REINERI NEUHUSI, JC. SUADA ALCMARIANA SIVE TYROCINIUM ELOQUENTIAE CONTINENS...

Reinerius Neuhusius, Carlo Antonio Lagaroli

Digitized by Google

Digitized by Google

I m
204.18.A.12

non posseduto
1951

Digitized by Google

Digitized by Google

REINERI NEUHUSI, JC.

SUADA ALCMARIANA

Sive

TYROCINIUM ELOQUENTIÆ

Continens Orationum

CENTURIAM

Habitas in Gymnaſio Publico.

NOVISSIMA EDITIO

Auctior & Emendatior.

Ex libris Caroli Antonii Zagarolii.



AMSTELODAMI,

Apud JOANNEM JANSSONIUM.

M. DC. LVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſsimis & Ampliſsimis Viris,

DOMINIS,

D. CORNELIO à TEYLINGEN. JC. *Senatus p. t. Præſidi.*

D. THEODORO à VRYBURCH. Med. D.

D. JANO ab EGMOND à NIEUBURCH. JC.

D. JOANNI STEENHUSEN, BAARTS. JC.

Illuſtris Reipublicæ

ALCMARIANÆ

CONSULIBUS.

ET

Prudentiſsimo Clariſsimoque Viro,

D. CORNELIO SCHAGEN, JC. & Med. D.

Vrbi à Conſiliis & Secretis.

S. P. D.

REINERUS NEUHUSIUS.

Nobiliſsimi, Ampliſsimi
DD. CONSULES

CEnturiam Orationum, *quæ in Gymnaſio Veſtro, ab aliquot retrò annis, publicè ſunt habi-*

 tæ,

tæ, nunc Illuſtri Veſtro Nomini, *ex fide & officio inſcribo. Qui ſingulari* Prudentiâ, Eruditione, *&* Authoritate *ſummâ, Soli Illi eſtis, apud quos, tanquam apud ſummum etiam Iudicem, nomen meum profiteri debeo. Accipite,* ILLUSTRES VIRI, *magnorum Principum exemplo, lætâ & ſerenâ fronte Literaria hæc Munuſcula. Non in alieno nata Solo, ſub Veſpere ſero, cum Conchis & Oſtreis; ſed Domi Veſtræ, in Luco Martis, & ipsâ valle Egeriâ. Hoc eſt, proprias* LIBERORUM *Veſtrorum Curas & vigilias, quæ pretioſiſſimis Vnionibus & Margaritis multò ſunt potiores. Octodecem annorum hi fructus ſunt, quos damus. Iam primùm pro parte maturi. Alia, ac aurea meßis in herbâ eſt. Vel, ut veriùs dixero, in ſpicâ. Scilicet, de* Claris Imperatoribus & Philoſophis. *Qui partim jam ex horreis noſtris exire geſtiunt. Partim in novo Theatro, & incude adhuc laborant. Quæ*

omnia, ſi Opt. Maximus volet Deus, AMPLISSIMI DOMINI, *etiam Veſtri aliquando erunt Iuris ac meriti.* QUIBUS, *libens id fateor, nihil mihi prius, nihil poſterius in hac vitá unquam eſſe poteſt. Apud Quos etiam nominis noſtri famam, in altâ Pace & tranquillitate heîc ſecurus qui ago, non ſic prorſus ignotam & obſcuram eſſe ſcio. Quod, proximis diebus,* Illuſtris FRISIORUM Reſpublica *publico Vobis exemplo oſtendit. Quando Illi, pro eximiâ ſuâ erga me, & piiſsimi* PARENTIS *Manes, memoriâ & affectu, poſtliminiò, in Patriam me revocarunt. In antiquâ & Celeberrimâ Ipſorum Academiâ, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſsione, cum totidem titulis & privilegiis honorificè tunc mihi oblatâ. Rem dico,* NOBILISSIMI DOMINI, *Ex meâ domo, à meâ Pube, Convictoribus, Gymnaſio, fruſtratis tot Parentum piis conatibus & laboribus, primo hoc Au-*

ſpicio & aggreſſu, exire non potui. Hactenus hic detentus divinâ quadam Virgulâ. Ignoſcat mihi, velim, PATRIA: *Cui vel hoc ſolo nomine ac beneficio æternum me & mea debeo. Vos,* NOBILISSIMI VIRI *grati ſemper, ſpero, agnoſcatis, quod Vos, quod Civitatem Veſtram, nimis, fortaſſe, amem atque diligam. Cum nemo mecum dubitet, etiam illa loca, ubi auram & aërem liberiorem quis traxerit, ex conſuetudine paulatim in naturam ſe convertere.*

Quare hoc unum unicè à VOBIS *Peto,* Nobiliſſimi, Ampliſſimi DD. CONSULES,

Vt porrò noſtras Artes & Studia, quemadmodum facitis, benignè juvetis, honoretis, promoveatis. Et, ſub Inclytis Veſtris Auſpiciis, *ab utraque* PALLADE, Armatâ

&

& Togatâ, *magis magisque, nobis Authoribus, inclareſcere* ALCMARIA *poſſit!* DIXI. *E ſeceſſu meo amœno apud Batavos. Nonis Julii* cIↃ.IↃ.CLVI,

Illuſtri Veſtro Nomini

Addictiſs.mus

REINERUS NEUHUSIUS.

IN

TYROCINIUM

ELOQUENTIÆ

Celeberrimi Viri,

REINERI NEUHUSI JC.

PUlchra ALCMARIA, ter beata, felix
Ter ALCMARIA, quò novem Sorores
Pindi culmina contulere, & undam
Quæ doctos creat irrigatque Vates.
Acceſſit proprius tuus Apollo,
Legum Conſcius, inclytuſque fandi
Et linguæ ſimul artifex diſertæ,
Et rarus ſimul inclytuſque Vates.
Hunc vitæ eximium ducem regendæ,
Hunc Vatem colat, exprimatque & unum
Dicendi artificem colat Juventus.

DANIEL HEINSIUS.

CIↃ. IↃ. C XLVIII.

AD

AD

Clariſſimum & Eruditiſſimum

Virum

D. REINERUM NEUHUSIUM JC.

Gymn. Alcm. Rectorem,

Super Triumphante

A L C M A R I A.

G*Audia* Neuhusii, *Vatum pia gaudia, Lector,*
En tibi Socratico Muſa lepôre refert,
Sic ſocius tandem Batavus, poſt bella, triumphat!
Sic ſibi, pacato Marte, Britannus ovat!
Europæ monſtrum hoc eſt. Monſtrum Illuſtrius, Auctor:
Qui Batavos inter Sideris inſtar agit.
Quid mirare magis? Succenſos Marte Britannos
Antiquis ſociis nunc ſociaſſe manus?
Inventum aut Vatem dignè qui dicere poſſit
Brittannos Batavis Marte fideque pares?

P. à Doma. JC. *&*
Illuſtribus Frisiæ Ordinibus
à Secretis. CIↃ.IↃ.CLIV.

IN

SUADAM
ALMERIAM

Clariſsimi Viri,

D. REINERI NEUHUSII, JC.

QVicquid Apollineâ meruit clareſcere palmâ,
Et cupidè à ſerâ Poſteritate legi;
Tradit inexhauſtis rivis *Almeria Suada*,
Suada per eloquium delicioſa ſuum.
Heic ubi Theſpiadum totam Polyhymnia ſcenam
Pandit, & in partes officioſa trahit.
Salve Nympha potens, Clariæ tutela Juventæ;
Nympha tot Aoniis nobilitata choris.

Applaudebam

JANUS ERASMIUS,

CIϽ. IϽ. CLVI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ORATIONUM.

I. IN exceſſum illuſtriſſimi PRINC. FREDER. Pag. 1
II. Inauguralis Lectionum Publicarum. 9
III. De Pace & Bello. 17
IV. In Laudem Sapientiæ. 27
V. In Laudem Scholæ. Sive, Inauguratio. J. Eraſmi. 40
VI. De Philoſophiæ & Eloquentiæ ſtudio exercendo. 50
VII. In Obitum Nobiliſſimi D. ADAMI FORESTI. 62
VIII. De Diligentia & Virtute exercendâ. 72
IX. De Liberatâ ab Hiſpanis ALCMARIA. 80
X. De Pace Belgarum cum Hiſp. Rege. 96
XI. De Commendatione Belli. 104
XII. Pro Pace Belgicâ. 110
XIII. In obitum Collegæ Friſii. 125
XIV. De rectè informandâ Iuventute, Inauguralis. 139
XV. De Gloriâ. 167
XVI. De Gloriâ, altera. 173
XVII. De Veterum Virtutibus. 180
XVIII. De Veterum Vitiis. 186
XIX. Arbitri. 192
XX. De Rep. mala. 197
XXI. De Rep. Bona. 202
XXII. Precatio & concluſio ad præced. duas. 207
XXIII. In Laudem Theologiæ. 211
XXIV. De difficultate Iuriſprudentiæ. 218
XXV. De Commendatione Doctrinæ. 225
XXVI. De ſtudio militari. 234
XXVII. De Divitiarum laude. 243
XXVIII. De Commendatione Virtutis. 252
XXIX. De Pietate. 261
XXX. De Grammaticâ. 274
XXXI. De Logica. 279
XXXII. De Rhetorica. 283
XXXIII. De Hiſtoria. 289
XXXIV. De Poëſi. 294
XXXV. De Eloquentia. 303

XXXVI.

[IN]DEX ORATIONVM.

[Ro]mulus. 554
[Nu]ma Pompilius. 551
[D]e Rerum Humanarum Inſtabilitate. 557
De Varia Fortuna Rerum Belgicarum. 562
De Initiis Belli Britannici. 566
De Perfidia Britannica. 570
[De] Remediis Belli Britannici. 574
[D]e quis, præſente muliere, corpus denudet. 580
Pater in Filium jus vitæ & necis habuit. 593
Adulterii Convictam vir & cognati, uti volent, necanto. 600
Induciæ ſervandæ ſunt. 606
Auguſtiore habitu Princeps venerabilem ſe facit. 614
Infida eſt omnis regni ſocietas. 617
Civis Ingenuus quæſtuoſas opificum artes non exerceto. 620
[De] Mœnia ſacroſancta &c. 626
Encomium Alcmariæ, Poeticè. 637
[Alcm]aria obſeſſa, Poeticè. 641
[Alcm]aria Liberata, Poeticè. 646
[De C]reatione & Lapſu Hominis Poeticè. 652
[De] CRISTO nato, Poeticè. 655
[De] CHRISTI paſſione, Poeticè. 659
[De I]udicio Hannibalis. 663
[De] Hiſtoriæ utilitate & neceſſitate. 667
[De] Lucretiæ ſtupro & Pudicitiâ. 672
De ALCMARIÆ laude & amœnitatibus. 678

DISCI-

Nobiliſſimis & Ampliſſimis Viris,

D O M I N I S,

D. CORNELIO à TEYLINGEN. JC. *Senatus p. t. Præſidi.*

D. THEODORO à VRYBURCH. Med. D.

D. JANO ab EGMOND à NIEUBURCH. JC.

D. JOANNI STEENHUSEN, BAARTS. JC.

Illuſtris Reipublicæ

A L C M A R I A N Æ

C O N S U L I B U S.

E T

Prudentiſſimo Clariſſimoque Viro,

D. CORNELIO SCHAGEN, JC. & Med. D.

Vrbi à Conſiliis & Secretis.

S. P. D.

REINERUS NEUHUSIUS.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi
DD. CONSULES

CEnturiam Orationum, *quæ in Gymnaſio Veſtro, ab aliquot retrò annis, publicè ſunt habi-*

tæ, nunc Illuſtri Veſtro Nomini, *ex fide & officio inſcribo. Qui ſingulari* Prudentiâ, Eruditione, *&* Authoritate *ſummâ, Soli Illi eſtis, apud quos, tanquam apud ſummum etiam Iudicem, nomen meum profiteri debeo. Accipite*, ILLUSTRES VIRI, *magnorum Principum exemplo, lætâ & ſerenâ fronte Literaria hæc Munuſcula. Non in alieno nata Solo, ſub Veſpere ſero, cum Conchis & Oſtreis; ſed Domi Veſtræ, in Luco Martis, & ipsâ valle Egeriâ. Hoc eſt, proprias* LIBERORUM *Veſtrorum Curas & vigilias, quæ pretioſiſſimis Vnionibus & Margaritis multò ſunt potiores. Octodecem annorum hi fructus ſunt, quos damus. Iam primùm pro parte maturi. Alia, ac aurea meſſis in herbâ eſt. Vel, ut veriùs dixero, in ſpicâ. Scilicet, de* Claris Imperatoribus & Philoſophis. *Qui partim jam ex horreis noſtris exire geſtiunt. Partim in novo Theatro, & incude adhuc laborant. Quæ*

omnia

omnia, ſi Opt. Maximus volet Deus, AMPLISSIMI DOMINI, *etiam Veſtri aliquando erunt Iuris ac meriti.* QUIBUS, *libens id ſateor, nihil mihi prius, nihil poſterius in hac vitá unquam eſſe poteſt. Apud Quos etiam nominis noſtri famam, in altâ Pace & tranquillitate heîc ſecurus qui ago, non ſic prorſus ignotam & obſcuram eſſe ſcio. Quod, proximis diebus,* Illuſtris FRISIORUM Reſpublica *publico Vobis exemplo oſtendit. Quando Illi, pro eximiâ ſuâ erga me, & piiſsimi* PARENTIS *Manes, memoriâ & affectu, poſtliminiò, in Patriam me revocarunt. In antiquâ & Celeberrimâ Ipſorum Academiâ, Eloquentiæ & Hiſtoriarum Profeſsione, cum totidem titulis & privilegiis honorificè tunc mihi oblatâ. Rem dico,* NOBILISSIMI DOMINI, *Ex meâ domo, à meâ Pube, Convictoribus, Gymnaſio, fruſtratis tot Parentum piis conatibus & laboribus, primo hoc Au-*

ſpicio & aggreſſu, exire non potui. Hactenus hic detentus divinâ quadam Virgulâ. Ignoſcat mihi, velim, PATRIA: *Cui vel hoc ſolo nomine ac beneficio æternum me & mea debeo. Vos,* NOBILISSIMI VIRI *grati ſemper, ſpero, agnoſcatis, quod Vos, quod Civitatem Veſtram, nimis, fortaſſe, amem atque diligam. Cum nemo mecum dubitet, etiam illa loca, ubi auram & aërem liberiorem quis traxerit, ex conſuetudine paulatim in naturam ſe convertere.*

Quare hoc unum unicè à VOBIS
Peto, Nobiliſſimi, Ampliſſimi
DD. CONSULES,

Vt porrò noſtras Artes & Studia, quemadmodum facitis, benignè juvetis, honoretis, promoveatis. Et, ſub Inclytis Veſtris Auſpiciis, *ab utraque* PALLADE, Armatâ

&

& Togatâ, *magis magisque*, *nobis Authoribus*, *inclareſcere* ALCMARIA *poſſit!* DIXI. *E ſeceſſu meo amœno apud Batavos. Nonis Julii* cIↃ.IↃ.CLVI,

Illuſtri Veſtro Nomini

Addictiſs.mus

REINERUS NEUHUSIUS.

In
TYROCINIUM
ELOQUENTIÆ
Celeberrimi Viri,

REINERI NEUHUSI JC.

PVlchra ALCMARIA, ter beata, felix
Ter ALCMARIA, quò novem Sorores
Pindi culmina contulere, & undam
Quæ doctos creat irrigatque Vates.
Acceſſit proprius tuus Apollo,
Legum Conſcius, inclytuſque fandi
Et linguæ ſimul artifex diſertæ,
Et rarus ſimul inclytuſque Vates.
Hunc vitæ eximium ducem regendæ,
Hunc Vatem colat, exprimatque & unum
Dicendi artificem colat Juventus.

DANIEL HEINSIUS.

CIↃ. IↃ. CXLVIII.

AD

A D

Clariſſimum & Eruditiſſimum

Virum

D. REINERUM NEUHUSIUM JC.

Gymn. Alcm. Rectorem,

Super Triumphante

A L C M A R I A.

G*Audia* NEUHUSII, *Vatum pia gaudia, Lector,*
En tibi Socratico Muſa lepôre refert,
Sic ſocius tandem Batavus, poſt bella, triumphat!
Sic ſibi, pacato Marte, Britannus ovat!
Europa monſtrum hoc eſt. Monſtrum Illuſtrius, Auctor:
Qui Batavos inter Sideris inſtar agit.
Quid mirare magis? Succenſos Marte Britannos
Antiquis ſociu nunc ſociaſſe manus?
Inventum aut Vatem dignè qui dicere poſſit
Brittannos Batavis Marte fideque pares?

P. à DOMA. JC. &
Illuſtribus FRISIÆ Ordinibus
à Secretis. CIↃ.IↃ.CLIV.

IN

SUADAM

ALMERIAM

Clariſſimi Viri,

D. REINERI NEUHUSII, JC.

QVicquid Apollineâ meruit clareſcere palmâ,
  Et cupidè à ſerâ Poſteritate legi;
Tradit inexhauſtis rivis *Almeria Suada*.
  Suada per eloquium delicioſa ſuum.
Heic ubi Theſpiadum totam Polyhymnia ſcenam
  Pandit, & in partes officioſa trahit.
Salve Nympha potens, Clariæ tutela Juventæ;
  Nympha tot Aoniis nobilitata choris.

Applaudebam

JANUS ERASMIUS,

CIↃ.IↃ.CLVI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX
ORATIONUM.

I. IN exceſſum illuſtriſſimi PRINC. FREDER. Pag. 1
II. *Inauguralis Lectionum Publicarum.* 9
III. *De Pace & Bello.* 17
IV. *In Laudem Sapientiæ.* 27
V. *In Laudem Scholæ. Sive, Inauguratio.* J. Eraſmi. 40
VI. *De Philoſophiæ & Eloquentiæ ſtudio exercendo.* 50
VII. *In Obitum Nobiliſſimi* D. ADAMI FORESTI. 62
VIII. *De Diligentia & Virtute exercendâ.* 72
IX. *De Liberatâ ab Hiſpanis* ALCMARIA. 80
X. *De Pace Belgarum cum Hiſp. Rege.* 96
XI. *De Commendatione Belli.* 104
XII. *Pro Pace Belgicâ.* 110
XIII. *In obitum Collegæ Friſii.* 125
XIV. *De rectè informandâ Iuventute, Inauguralis.* 139
XV. *De Gloriâ.* 167
XVI. *De Gloriâ, altera.* 173
XVII. *De Veterum Virtutibus.* 180
XVIII. *De Veterum Vitiis.* 186
XIX. *Arbitri.* 192
XX. *De Rep. mala.* 197
XXI. *De Rep. Bona.* 202
XXII. *Precatio & concluſio ad præced. duas.* 207
XXIII. *In Laudem Theologiæ.* 211
XXIV. *De difficultate Iuriſprudentiæ.* 218
XXV. *De Commendatione Doctrinæ.* 225
XXVI. *De ſtudio militari.* 234
XXVII. *De Divitiarum laude.* 243
XXVIII. *De Commendatione Virtutis.* 252
XXIX. *De Pietate.* 261
XXX. *De Grammaticâ.* 274
XXXI. *De Logica.* 279
XXXII. *De Rhetorica.* 283
XXXIII. *De Hiſtoria.* 289
XXXIV. *De Poëſi.* 294
XXXV. *De Eloquentia.* 303

XXXVI.

XXXVI. CHRISTUS *in Carne.* 312
XXXVII. PAULUS *in ore.* 319
XXXVIII. *Roma in Flore.* 323
XXXIX. *De Perſequutione Eccleſiæ.* 337
XL. *Conſolatio ad Exulantem Eccleſiam.* 345
XLI. *De non ineundâ Pace cum Hiſpano.* 349
XLII. *Sardanapalus commendat voluptatem.* 355
XLIII. *Commendatio Virtutis.* 362
XLIV. *Arbitri, Voluptatis perſonam rejicientis.* 367
XLV. *In promotionem Diſcipulorum.* 373
XLVI. *De Rerum inſtabilitate.* 390
XLVII. *De Literarum Laudibus.* 393
XLVIII. *De Literarum Contemptu.* 397
XLIX. *De præcipuis ſæculi noſtri vitiis.* 399
L. *De Pecuniarum ſtudio.* 403
LI. *De Ebrietate.* 408
LII. *In memoriam Beneficiorum* J. CHRISTI. 413
LIII. *De Precationis utilitate & neceſſitate.* 427
LIV. *De Præſtantia rerum creatarum & interitu,* 432
LV. *De Rerum humanarum interitu in Specie.* 437
LVI. *De Morte & interitu Hominis.* 443
LVII. *De Animæ Immortalitate.* 449
LVIII. *De Vitiis Humanis.* 457
LIX. *De Linguæ vitiis.* 460
LX. *De Linguæ Laudibus.* 466
LXI. *De Eruditionis præconio.* 470
LXII. *De Pietate & Doctrinâ in genere.* 475
LXIII. *De Pietate in Specie.* 479
LXIV. *De Educatione & Converſatione.* 482
LXV. *De Doctrinâ in Specie.* 487
LXVI. *De Doctrinæ obſtaculis,* 490
LXVII. *Valedictoria Diſcipulorum.* 493
LXVIII. ALCMARIA *Triumphans de Pace* BRIT. 498
LXIX. GUILIELMUS AURIACUS I. 516
LXX. MAURITIUS AURIACUS *Poëticè.* 522
LXXI. HENRICUS FREDER. AUR. *Poëticè.* 528
LXXII. GUILIELMUS AURIACUS II. 534
LXXIII. *De Providentia* DEI. 539

LXXIV.

Digitized by Google

LXXIV. *Romulus.* 554
LXXV. *Numa Pompilius.* 551
LXXVI. *De Rerum Humanarum Inſtabilitate.* 557
LXXVII. *De Varia Fortuna Rerum Belgicarum.* 562
LXXVIII. *De Initiis Belli Britannici.* 566
LXXIX. *De Perſidia Britannica.* 570
LXXX. *De Remediis Belli Britannici.* 574
LXXXI. *Ne quis, præſente muliere, corpus denudet.* 580
LXXXII. *Pater in Filium jus vitæ & necis habuit.* 593
LXXXIII. *Adulterii Convictam vir & cognati, uti volent, necanto.* 600
LXXXIV. *Induciæ ſervandæ ſunt.* 606
LXXXV. *Auguſtiore habitu Princeps venerabilem ſe facit.* 614
LXXXVI. *Infida eſt omnis regni ſocietas.* 617
LXXXVII. *Civis Ingenuus quæſtuoſas opificum artes non exerceto.* 620
LXXXVIII. *Mœnia ſacroſancta &c.* 626
LXXXIX. *Encomium Alcmariæ, Poëticè.* 637
XC. *Alcmaria obſeſſa, Poëticè.* 641
XCI. *Alcmaria Liberata, Poëticè.* 646
XCII. *De Creatione & Lapſu Hominis Poëticè.* 652
XCIII. *De* CRISTO *nato, Poëticè.* 655
XCIV. *De* CHRISTI *paſſione, Poëticè.* 659
XCV. *De Iudicio Hannibalis.* 663
XCVI. *De Hiſtoriæ utilitate & neceſſitate.* 667
XCVII. *De Lucretiæ ſtupro & Pudicitiâ.* 672
XCVIII. *De* ALCMARIÆ *laude & amœnitatibus.* 678

DISCI-

DISCIPULI

Qui in hac centuria publicè perorarunt.

ABrahamus Colman. *Schermeran-Bat.* 390
Adrianus Schagen, *Alomarianus.* 97.173
Andræas P. Winckelius. *Monechodamenſis.* 274.319
Antonius Danburch. *Alcm.* 397.413
Adolphus Venator. *Enchuſanus.* 294
Ægydius ab Oudeſteyn. *Alcm.* 323.349.355.373
Cornelius ab Egmond à Nieuburch. *Alcm.* 27
Cornelius Neoſtadius. *Alcm.* 218
Cornelius Backer. *Alcm.* 274.312
Cornelius Keetman. *Medemblicenſis.* 252.399.427
Cornelius Corenaer. *Alcm.* 432.482
Cornelius Daelder. *Alcm.* 437.490
Cornelius Backerus. *Alcm.* 528.651
Cornelius Schagen, Hoochlant. *Alcm.* 534
Cornelius Knyff. *Alcm.* 652
Cornelius Cuperus. *Alcm.* 617
Cornelius Pays. *Alcm.* 667.672
Gerbrandus Scutterus. *Alcm.* 457.475
Gualtherus Lanthchott. *Hagienſis.* 104.167.646.516
Henricus Druyff. *Alcm.* 345.367
Henricus Meyerus. *Monechod.* 408
Henricus Vreburch. *Alcm.* 443.470
Iacobus de Vos. *Alcm.* 621
Iohannes Knyff. *Alcm.* 192
Iacobus Hartman. *Hagienſ.* 197
Iacobus ab Oudeſteyn. *Alcm.* 225.283.403
Iohannes Nicol. Malapert. *Vltrajeẞ.* 234
Iacobus Poleman. *Alcm.* 211
Iohannes Steen-huſen. *Alcm.* 337.362
Iacobus Clock. *Alcm.* 466.487
Iacobus Lanſt. *Edamenſis.* 544.655
Iacobus Iohannis, Schagen. *Alcm.* 557
Iohannes Caſenbroot. *Hagenſis.* 570

Iohan-

Digitized by Google

ORAT ORES.

Iohannes à Sane. *Monechod.* 606
Iohannes à Nording. *Alcm.* 614
Laurentius Cnoll. *Alcm.* 186
Laurentius Clock. *Alcm.* 460. 497
Nicolaus Grebber. *Pormerend.* 562
Nicolaus Backerius. *Alcm.* 539
Petrus Marſier. *Haſſus.* 444. 493
Petrus Schagen. *Alcm.* 663
Petrus Langereys. *Alcm.* 551. 652
Petrus Bording. *Pormerend.* 567
Petrus Mars. *Monechod.* 600
Rochus Kien. *Hagienſis.* 202
Romanus de Hooghe. *Amſtelod.* 678
Simon de Veen. *Alcm.* 289
Simon Cnoll. *Alcm.* 207. 574
Tiberius Puteanus. *Alcm.* 522. 637
Theodorus Antonii ab Egmont. *Hornanus.* 243. 392

IN

IN
ALCMARIAM LITERATAM.

ERgò, novem Muſis ALCMARIA *noſtra ſuperbit,*
Atque illic ſummâ PALLAS *in* ARCE *ſedet.*
Barbariesque iſtâ feliciter exulat Vrbe,
Et tandem cuncti turba diſerta ſumus.
Priſcus Honos, faſceſque illic & Purpura Patrum
Permeſſi à vivo flumine tota ſapit.
Quares Invidiâ nunquam, aut Livore carebit,
Et pulchrè noſtrum tollet in Aſtra Decus.
Scilicet antiqui rediêre in Sceptra Catones,
Et rarâ ad clãvum Nobilitate Viri.
Qui propriâ in Populum pandunt Oracula voce,
Legibus armati, Iuſtiniane, tuis.
Pierides, veſtris narrate Nepotibus iſta:
ALMERIA *in ſolâ* PALLADE *ponit opes.*

REINERUS NEUHUSIUS JC.
CIↃ.IↃ CLVI.

REI-

REINERI NEUHUSI, JC.

TYROCINIUM ELOQUENTIÆ

Sive

ORATIONES PUBLICÆ

Habitæ

In Illuſtri Gymnaſio ALCMARIANO.

ORATIO I.

In Exceſſum

Illuſtriſſimi Principis,

HENRICI FREDERICI,

Arauſion. Principis Comitis Naſſ. &c.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi DD. Auditores.

EGo, quando communi luctu, ſquallore, lacrymis omnium in Belgio animos oculoſque in terram humiliter dejectos defixoſque viderem: Et Patriæ Patrem, AURIACUM, poſt tot ſuorum incredibilia monumenta ac trophæa, auguſtiſſimum illud in Europâ NASSOVIÆ Domus ornamentum, Illuſtriſſimum, inquam, Principem, FREDERICUM HENRICUM, Libertatis, Fidei, Religionis Aſſertorem perpetuum, rebus humanis exemptum intelligerem: certè, non ignorabam, hoc triſtiſſimæ neceſſitatis articulo, inclytam hanc ALCMARIAM, hæc noſtra pulpita, hanc ſacerrimam Muſarum Ædem

 publi-

publico quoque dolori atque miſeriis ingemiſcere debere. Nam Regum Principumque funera quantò ſubditis ſunt acerbiora, & ſingulorum ſaluti ſuo contactu pluſ nocent: tantò majore cum periculo animis cujuſque noſtrum publicæ calamitatis telum atque vulnus altius inprimitur. In bonis & fortibus viris famam, decus, gloriam, immortalis Reſpublica ſibi pollicetur. Quâ felicitate, rerumque proſpero ſucceſſu facile tunc caremus, quando, caput imperii, Princeps, vel ingenio malo pravoque; vel per ſiniſtras ſuorum fraudes arteſque in pejorem partem abripitur. Hujus argumenti temporum teſtis Hiſtoria utramque paginam facit: nec ad illam rem, hoc loco, aut novis aut veterum monumentis quicquam eſt opus. Nos, avi, proavi noſtri, vagiente adhuc in cunis ſuis Belgarum Republicâ, laus Optimo Maximo in cælis DEO, non niſi optimorum Principum ſucceſſione in magno apud omnes gentes terrore, pretio, admiratione ſumus, Inita Libertatis, poſt exactos Philippos, & ſubductam tyrannidi innocuam cervicem, Patriæ Atlanti, cæleſti illi viro, ſoli, inquam, Principi GUILIELMO, debemus. Cujus pluſquam humano conſilio, conſtantiâ, fortitudine ad florem, & quaſi vegetæ adoleſcentiæ robur noſtra ſe Felicitas magnificè erexit. Ex hac ſtirpe & illuſtri origine mox alius ſeſe in cælum ſurculus lætiſſimo incremento protruſit. Ille, inquam, par Celſiſſimo Patri Filius, tantarum Vrbium, præliorum toties victor, nullo ævo ſæculiſque unquam intermoriturus, Chriſtianiſſimus MAURITIUS. Qui, licet juvenili, tamen maſculâ & promptâ manu Patriæ cuſtodiam & gubernacula mactus arripuit. Qui medios inter fluctus, inter bellorum civilium flammas, immoto infractoque ſemper pectore, nunquam temerè ſupra fortunam ſuam inſoleſcens; non, dubiis aſperiſque rebus animum ad pejora conſilia caſumque inclinans.

nans. Docet hoc noſtri ævi memoria infinitis geſtarum rerum monumentis. Nullaque ætas unquam conticeſcet de ſtupendis, & miraculodignisſimis terrâ marique, Triumphis ac Victoriis. Hoc tanto Patre, tali Fratre, Illuſtriſſimis, poſt hominum cogitationem, Heroibus, Hic, illud tertium Belgicæ Libertatis Lumen & Columen, FRIDERICUS, liquiſſimo de cælis auſpicio eluxit. Tanquam ſacrum & ſolenne DEO & ſuperis propoſitum conſilium, ex eadem familiâ atque ſanguine oriundis Principibus totam publicæ ſalutis cuſtodiam ac tutelam ſtabilire, protegere, confirmare. Vtque iiſdem penè manibus, conſiliis, fortitudine Chriſtianæ Eccleſiæ dignitas ad ſummum ſui faſtigium educeretur. Hujus inclyti tamque excelſi Principis triſtiſſimus, eheu! Exceſſus, Illuſtrem, ac Præpotentem Belgarum Populum, per hæc tempora, acerbiſſimè lacerat, frangit, fatigat. Hujus, inquam, glorioſiſſima nos oſſa atque cadaver, poſt ſanctiſſimos GUILIELMOS, poſt MAURITIOS, propediem magnæ Matri, Terræ, mandabimus. Vt, quorum nos hactenus auſpiciis, vita, incredibilem in modum, ad invidiam maximarum gentium, effloruimus, Eorum etiam in morte, cineribus maximum atrociſſimumq; triſtitiæ argumentum reperiamus. Vt ejuſmodi aſtrorum fata & funera nos doceant, non in ſolâ magnatum potentiâ omne humanum præſidium eſſe collocandum. Modum enim terminumque exceſſiſſet jam diu unius animæ nimia Felicitas. Placuit itaque Omnipotenti DEO, noſtram in ſecundis rebus luxuriam ſubinde ſanioribus remediis corrigere. Tantoſque Heröas, quorum cervicibus tot in annos Libertas Belgica per multas nationes glorioſiſſimè ſe diffudit, aliquando è viventium numero, ad illa divina ac cæleſtia evocare. Quippe, ea fiducia plurimas gentes inceſſere ſolet, ut humanarum rerum, prô pudor! exordia & eventus

in ſolâ Regum Principumque manu & moderamine falsò conſtituant. Cujus infamiæ inſaniæque, laus DEO, nos planè contraria apud Belgas, cum omnis ævi memoriâ, documenta præbemus. Noſtri Imperii & Provinciarum poteſtas, jam penè in totum ſæculum excurrens, famâ, gloriâ per utriuſque orbis limitem prodigioſos progreſſus habuit. Iam quartum tamen immutatâglorioſiſſimorum Principum perſonâ ac theatro. Quo magis cognitum perſpectumque poſteris eſſe poteſt, quod noſtri tutela, cuſtodia, ac conſervatio non niſi Fato ipſo, ac cæleſti Providentiâ, in hunc uſque diem miraculosè ſubſtiterit. Non, ut hoc argumento evincam, quaſi Humani illi Ioves, Reges & Principes, tantò vilius apud ſuos in Republicâ æſtimandi: neque tot lacrymis, tot facibus, tinnitibuſque opus eſſe, ad unius hominis ſimplicem apparatum ac ſepulturam. Longè, inquam, maximam in bono cive, in æquiſſimo Iudice, in Senatore, in egregio aliquo viro jacturam nos patimur. Quod olim Togati illi Quirites in uno Catone, Bruto, Cicerone abundè ſunt teſtati. Quod Lacedæmonii, quod Athenienſes erga ſuos etiam clariſſimis exemplis oſtenderunt. Feliciſſima eſt Reſpublica, ex Platonis judicio, in qua viri Sapientes ad clavum ſedent, populoque leges & jura ſcribunt: Sed eadem hæc regna facilè interitura, ſi in illis excellentium ingeniorum lumina præpropero ac præcipiti Fato extinguantur. Quamobrem juſtiſſimus ille eſt dolor, qui è ſummo venit, qui communem populi ſalutem proximè contingit. Hæc enim in Principibus viris, eorumque oculis ac conſiliis collocari meritò debet. Quos & crebrò tunc abripi cernimus, quando matura DEI vindicta acerbiſſimo furore facibuſque in noſtrum ſcelus & vitia accenditur. Nos igitur, Mœſtiſſimi Audd. Quem nunc terrâ marique celebratiſſimum PRINCIPEM provectâ ætate, ſuo, quod rarum

rum eſt, fato ac ſenio placidiſſimè confectum & exſtinctum videmus, omnibus piis officiis, fletu, commiſeratione, lacrymis ad ARAM uſque DELPHICAM proſequamur, comitemur. Non, certè, ſolis uniſque Belgis tanti Principis rogus & calamitas incumbit. Mox à noſtro & alieno orbe prolixè dolendi materiam, triſtes querimonias, anxia ſuſpiria, miſerabiles mæſtoſque gemitus, hinc, inde, auribus noſtris percipiemus. Non à Rheno aut Viſurgi tantum, non ab Oderâ vel Danubio; à Sequana aut Tameſi. Ab extremo Tanai, ad remotiſſimum uſque Gangem, ſuis plangoribus ſupra nos, Aether Oceanuſque, miſerabili facie vultuque inhorreſcent. Ipſe inhumanus Boſphorus, nivoſæ Alpes, Apenninus & Helleſpontus; ipſe Tagus atque Iber triſte & ferale agmen hic facient. A primo ſolis exortu, ad ultimum Heſperiæ cubile, omnes næniæ præficæque ſolito magis loquaces erunt. Videbitis propediem veſtris oculis maximorum Regum Sceptra & Coronas, in tanto ſupplicio atque obitu, ſuam vicem, ſuam fortunam accuſare. Tot Principum & Ducum inſignia trepidare. Tot Imagines, Aquilas, Phaleras, Trabeas, Loricas non in pompam, aut læta, ut ſolet, ſpectacula oſtendi; ſed in noviſſimum tanti Ducis honorem, ad rigidas Templorum columnas, & penè ſudantia communi mœrore marmora, eheu! nimis triſti tragicoque morſu ac memoriâ ſuſpendi. Non enim unius mortalis animæ ſimplicem hîc urnam efferimus. non ſoli Batavi, non ſoli Friſii, aut Sicambri veſtem in hoc funere mutamus. Vltra Fœdera, ultra Provincias noſtras latiſſimè labos hic procurrit. Velut communis quædam Erynnis atque illuvies, omnibus diſruptis aggeribus & cataractis, ſimul multarum gentium ruinam fatalis hæc AURIACI periodus involvit. Audias ſub hoc onere triſtique feretro ingemiſcentes non tantum Boruſſos, Cimbros, Salios, Mattiacos,

Morinos; ſed & Buſacteros, Bructeros, Suevos, Saxonas, Toxandros. Et, ſi quis uſquam in Nerviis, Tungris, Advaticis humanæ commiſerationis vel levem guttam aut guſtum in fibris viſceribuſque inveniat. Haud dubito, ipſos Vindelicos, Noricos, Tridentinos, Euganeos, Pictonas, Xantonas; vtramque Herculis aram; ipſum Tiberinum Patrem, aut duri Vlyſſis militem Auſtriacumque à lacrymis, à lamentis temperare nunc poſſe. Omnium harum gentium cogitatio, memoria, nedum expleri unquam potuit vel ſolâ illorum facinorum commemoratione, quæ, intra proximos annos, HOC IMPERATORE, feliciter nos Belgæ geſſimus. Quæ tanta ſunt, tamque divina, ut ſupra omnis ævi annales, operumque monumenta, cum ipſo Tempore de ſui duratione ac Æternitate contendant. Sunt enim infinitæ, innumerabiles victoriæ, ovationes, triumphi, ſpolia, quæ annuatim terrâ marique ex Hiſpano hoſtibuſque reportamus. Quæ, inquam, divinis Arauſiorum auſpiciis, quæ tuis, Beatiſſime in cælo, FREDERICE, conſiliis, prudentiæ, fortitudini, longâ ſerie infinitoque numero debemus. Nihil prorſus hîc dicam de miraculo proximis, per Belgium noſtrum, toties pro bonâ causâ, pro Religione, pro Libertate ſemper glorioſè, ſemper feliciter ſuſceptis confectiſque rebus. Vnde, certè, in immenſum noſtri temporis turgeſcent Hiſtoriæ, creſcent Annales, omnium ora & pectora facundiſſimè loquentur. In hoc uno, audiat Poſteritas, Quem amiſimus, eheu! PRINCIPE, totidem Marcellos, Marios, Scipiones, Alexandros inpoſterum legemus. Talem, inquam, in Rep. nunc Ducem, Cives, quaſi Deum & Parentem alterum, eheu! amiſimus. Neque poſt Majorum noſtrorum manes & cineres, unquam in Belgio tam propitium ſidus apparuiſſe, fama, gloria perpetuis ac perennibus ad Poſteritatem Annalibus jure tranſ-

transſcribent. Cujus facta inclyta, à tot retrò annis, orbem terræ ſola ſui admiratione in ſtuporem, in formidinem dederunt. Cujus in pace, in bello conſilia pro divinis apud exteros finitimoſque ſunt habita. Cujus animi excelſi atque invicti magnitudo toties ſe domi, foris, in arduis difficultatibus & periculis, illuſtri documento oſtendit. Quo uno, inquam, novo Atlante, hoc Belgicum, ut ſic dicam, cælum hactenus feliciter ac ſecurè ſtetit, floruit, conquievit. Sed imparem me agnoſco, beatæ memoriæ Excellentiſſimi Principis auguſtæ virtuti ac temporibus dicendis. Ad veſtram appello fidem, Nobiliſſimi, Ampliſſimi viri: Qui pridem cum Illo laudatiſſimæ ſolertiæ Heroë, in Curiâ, in Comitiis, de graviſſimis Patriæ Paciſque negotiis coram diſſeruiſtis. Hiccine animos aureſq; veſtras divinâ ſuâ Suadâ, prudentiâ toties attentos, attonitos, ſuſpenſos tenuit? Sæpè ſolicitos, labantes ſpe novâ erexit ac corroboravit? Sive timidè, ſive fortiter de ſummâ rerum vobis decernentibus, ſemper conſiliorum parens, ſemper ſocius fuit? Vtinam! Vtinam! non illa aliquando tempeſtas & tempora illuxerint: quibus ſeriò nobis hæc vulnera recrudeſcant. Et nos à ſapientiſſimo illo, heu! quondam Neſtore, ſed ſerum & fruſtrà, opem & auxilia exſpectemus. Sive novus ad Trojam Achilles iterum mittendus; ſive de ancipiti Pacis aleâ otioque cautè ac prudenter Provinciis Hodeliberandum. Quod, non dubium Hiſpano & Hoſtibus noſtris novum animi robur, novam alacritatem, fiduciam, ſpem atque expectationem reſtituit. Qui haud ignari, quàm providum, quàm circumſpectum ad omnia in rebus dubiis arctiſque conſultorem; in aperto campo & caſtris quàm fortem, quàm felicem Imperatorem, eheu! perdidimus. Nam ſatis efficax, & ruinæ proximum eſt argumentum, alia imperia, alios Duces conſtituere. Inclytus Belgarum populus, divinis adjutus

præſidiis, hæc tamen mala nequicquam extimeſcimus. De rerum ſummâ, de ſaluberrimo clavi moderamine vel quantillum modò delibaſſe, non omnibus fortunis, non ſanguine, non omnium poſterorum jugulis redimendum. In pugnâ & acie eadem in Duce auſpicia, authoritas, poteſtas, præſidia. In Comitiis, in Tribunalibus adverſum Patriæ leges vel tacitè quicquam cogitare; fundatamque à Majoribus Conſuetudinem vel leviter tantum hiſcere, nullis unquam ſacris victimiſque expiandum.

Age tu nunc, Regio innexe innexeque ſanguine, Illuſtriſſime GUILIELME, Celſiſſimi Patris Celſiſſime Fili, age, & poſt inclyta ac invicta Tuorum Nomina, macte animo. Belgarum Imperium capeſſe. Tu potentem Rempublicam, cui toties parentum noſtrorum ſanguine ac viſceribus litatum eſt; quàm ab AVO, GUILIELMO, religioſiſſimo miraculo fundatam; à Patruo, MAURITIO, fortiſſimè defenſam ac protectam; à Patre, FREDERICO, jam pridem divinitus conſervatam vides, age, nunc in tuos humeros, AUGUSTE IMPERATOR, in tuam fidem, curam, cuſtodiam benignus accipe, protege, defende: ut ſub tuo Ductu, ſub tuo Præſidio. Concordiâ res noſtræ in majus creſcant; factæ opulentiores nunquam diſcordiâ dilabantur. ut priſca Libertas; ut intacta incorruptaque Religio; ut Fides, Iuſtitia, Pietas, altiſſimis in civium animis defixa radicibus, nunquam loco dimoveri, nunquam ex hoc Belgii florentiſſimo Pomœrio exſtingui aut exſtirpari queant. Quod tu, ô Omnipotens, Æterne, Miſericors, DEUS, Bono Belgarum Publico, Bono DUCIS AURIACI Perpetuo, ſemper proſperum, ſemper felix æternumque eſſe velis.

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ.IↃ.CXLVIII.XVII.*Apr.*

ORA-

ORATIO II.

Inauguralis Lectionum Publicarum.

Magnifice, Spectatiſſime D. Prætor. Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi DD. Conſules. Clariſſimi, Doctiſſimi DD. Scholarchæ; Reverendi. Præſtantiſſimi DD. Paſtores. Viri Nobiles. Viri Honorandi, Auditores, Collegæ, Iuvenes, Adoleſcentes, Ornatiſſimi, Humaniſſimi.

SI ullum unquam tempus fuit, quo de Publicâ Felicitate, poſt infandas infeſtaſque bellorum tempeſtates, in Belgio gratulari nobis poſſimus, hoc præſens hic dies vivis ad oculum exemplis teſtari poteſt. Iterum, gratia ſit Deo Omnipotenti, de Libertate Belgica pulcherrimè aſſerta; de reformatæ Eccleſiæ pomœrio producto clariſſima exempla & monumenta habemus. Domi foriſque de victis Hoſtibus, cum admiratione orbis terrarum, lætiſſime triumphamus. Nihil, quam gaudia, quam ſpem magnorum ſucceſſuum intra Civium animos menteſque ubiq; contemplamur. Nullum, inquam, Belgio noſtro ſæculum tot ovationibus, victoriis, triumphis illuſtre ac clarum fuit. Nunquam Eccleſiæ ſectorem Antichriſtum major rerum ſuarum calamitas metuſque cepit, invaſit, oppreſſit. Nunquam de regno fortuniſque ſuis, poſt hominum memoriam, magis timere, magis deſperare potuit. Ad omnia excelſa, felicia, præclara nati ac reſervati nos Belgæ videmur. Nihil terra marique à multis retro annis, Duce Auriaco, aggreſſi, quod non invidiam & indignationem exteris gentibus, terrorem inimicis, ſociis civibuſque ſolatium & gaudia pepererit. Quod tunc denique luculentum in modum apparet, quando ad primam imperii noſtri infantiam cogitatione nos convertimus, Certè, parva, deſpecta, penè dicam, puſilla & contempta Belgarum quondam natio fuimus. Vndiquaque noſtris malis

& miſeriis imperiti, fatigati, oppreſſi. Vix aliquod uſquam aſylum invenientes, ubi ſine metu, ſine formidine, ſacra in Deum officia profiteri licebat. Fides, Pietas, Religio quaſi in vincula & carceres detruſa, nedum animorum ſeptis ac penetralibus ſuis ſarta ſatis tectaque erat. Ab illa, laus OPT. MAX. DEO in cælis, ab illa, inquam, peſte atque labe, quantum ad ſolidæ Libertatis faſtigium profecerimus, nunc non uni tantum Orbi admirabile. Novum uti mundum, ſic novum nunc Belgium habemus: in aliam planè perſonam divina ac jucunda metamorphoſi tranſlati. Qui nunc magnorum regum principumque conſiliis comitiiſque pars magna facti, nec modò noſtris finibus ac Oceano potentes: etiam ultra ipſam Europam latè digreſſi, in ipſo Americano orbe ignotarum gentium Victores ſumus. *Qua parte debacchabantur ignes, qua nebula pluviique rores.* O terque quaterque fortunati Belgæ! ſi modò partam cœlitus ſalutem; ſi noſtras fortunas non temerè nobis de manibus eripi patiamur. Quod tum demum facilè evenire poſſet, ſi aut immemori ingratoque in Deum animo, Fas Fidemque turpiter negligeremus. Vel cum jurato Belgarum Hoſte ac perduelle, Hiſpano minus conſulti circumſpectique pacem & fœdera iniremus. Sed, ſpero, inſuper ad illuſtrem BELGARUM gloriam hoc unum quoque reſtare, ut aliquando jucundiſſimo, PACIS, nomine illud impium ac terribile Bellorum nefas commutare licebit. Ad hæc publica Belgarum Feſta, *Ampliſſimi* DD. AUDD: MUSARUM quoque trophæa, & Ingeniorum illa Spolia Opima præclariſſimè ſe adjungunt. Quaſi parum ſiat, Rempublicam omnibus numeris eſſe florentem, ſi non ad illius quoque cuſtodiam domi leges ac honeſtæ diſciplinæ adhibeantur. nam una certiſſimaque ad perniciem eſt via, quando ingenuarum artium præſidio deſtitutam Rempublicam
ſuis

Digitized by Google

ſuis tantum velis ventiſque permittimus. Firmiſſimum enim regnorum imperiique tutamen, columenque rebus dubiis, ERUDITIO. Cujus ſemel provecti auſpiciis ac gubernaculo, nullam prorſus tempeſtatem huic naviculæ metuemus. Per medium profundum, perque ipſas Erebi domos, hac, inquam, Sibylla Ductrice etiam tutiſſimo itinere incedemus. Quare, de Veſtro, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi* DD. CONSULES; *Magnifici, Spectatiſſimi* DD. SCOLARCHÆ, erga Muſas noſtras amore affectuque minimè ſilere nunc debeo. Qui exemplo maximorum Regum Principumque etiam in noſtra Civitate, inclyta hac ALCMARIA Literarum hoſpitia & Majeſtatem ad ipſos quoque poſteros propagare ſtudetis. Hoc omnium optimum rati, maximeque neceſſarium juventuti, ut inſitam inditamque animis ruditatem pulcherrimarum rerum cognitione expolire; humanioribuſque ſtudiis non leviter tincta, olim ſuæ patriæ civibuſque utiliſſimam operam navare poſſit. Igitur plurimorum honeſtiſſima ambitione atque impulſu inducti, MECOENATES, Hunc Diem nobis ſacrum & ſolennem decreviſtis. Quando SCHOLÆ noſtræ novos quaſi natales, famam, ſplendorem merito gratulamur. Quæ cum hactenus privatis quidem laboribus maſculè ſe extulerit: impoſterum, quod feliciter nobis vortat, publicis quoque monumentis ſub Veſtro Ductu & auſpiciis magis magiſque efflorеſcet.

Non poſſum quoque hoc loco præterire divinam atque excellentem multorum in Liberalium Artium ſtudia voluntatem & officia. Qui hoc unice omni ſtudio induſtriaque intenderunt, ut etiam ad CURIÆ pulvinaria totos ſe ſupplices clienteſque dimiſerint. tanquam hac vitæ ſanctimoniâ PUBLICARUM LECTIONUM ſacra à XII. Faſcium authoritate non ſiniſtro Eventu

exOraturi. O Præclaram Veſtrûm omnium PHILOMUSI, in Muſas noſtras humanitatem, amorem, vigilantiam? O Diem vere candidum, ipſiſque faſtis & annalibus ad poſterorum memoriam vel aureo charactere literiſque inſcribendum! Quo hic ſe primum Genius ille veſter in tam inclytis pectoribus in hac noſtrâ URBE tam egregie pulcherrimeque conſpiciendum dedit. Nunquam, fateor, major mihi in veſtram civitatem obſervantia, cultus, admiratio fuit, quam ipſo illo momento, cum Tabulas iſtas Literatorum Civium in ſacro Curiæ conclavi meis oculis manibuſque uſurparem. BONUM FACTUM! QUIRITES. Adſunt nunc iſta circa SCHOLAM & FORUM Halcyonia, quæ hactenus tam cupidè voviſtis, expectaſtis. Vtinam! quod tam ingenuè cepiſtis, porrò proſperum ac ſalutare ſiat. Vtinam! ſingularis hæc animi indoles, in Vobis, in poſteris veſtris creſcat, floreat, perennet. Nihilque de hoc Zelo ſpectatæ virtutis aut livor improbus depaſcat, aut iners aliquorum deſidies abradat. Vir fortis, etiam quando adverſa, quando ſcæva maleque ominata eveniunt, ſacram anchoram firmis manibus tenet, ac per obſtantia pericula perrumpit acrius. Vos, inquam, DECORA NOSTRÆ URBIS, quo ardore rem divinam facere inſtituiſtis, pergite macti feliciterque. Nulla mora, nulla moleſtia Vos à tam pulchro, tamque ſpecioſo opere perficiundò ignavos abſtrahat, aut aliquo ludibrio impetitos fœdè amoveat. Equidem, præclara res eſt, ACADEMIAS & GYMNASIA inſtituere, Præmia & Honores Doctiſſimis Viris in ſolatium ſui laboris perſolvere, ſeris nepotibus, contra fœdam fœtidamque Ignorantiam, contra Ignaviæ peſtem, ſalubrem medicinam præſcribere. Sed, neque minoris eſt penſi pretiique parem paratumque animum ad hæc Sacrorum myſteria conferre. Indies allaborandum alacriter, ne hoc ipſum, quod

penè

penè ipſa furente Invidia fortiter ſemel inſtitutum, turpiter aut exoleſcere, aut noſtra ſponte intercidere patiamur. Nunc cum finitimis de palma decertatur. Et ſecundi tertiique ſumus, qui Herculeo hoc auſu multorum rictui & calumniis obviam procedimus. Tamen, quis vetet, aut prohibeat? Numquid facere Benè, & Malà audire, regium eſt? Rumpantur ipſi Momo ſua viſcera atque ilia, quidni pulcherrimum gloriæ ſpectaculum ipſis quoque adverſariis jucunde exhibeamus? Lætor, profecto, lætor ex penitiſſimo corde: de hoc quoque pulpito impoſterum Clariſſimos Homines ad nos verba facturos. Et eo in loco, meæ domi, oculatum me teſtem & auditorem futurum: ubi quotidie veſtram Pubem, MECOENATES, veſtroſque Liberos Pietate, Virtute, Bonisque Artibus informo, Atque utinam! & Ipſus Ego tantum de ſolida provincia ac RECTURA mea decerpere poſſem, ut alternis quoque Horis id præſtem, quod vota veſtra & benevolentia tantopere ab ingenio operaque noſtrá implorant. Sed, video me undique multo maximis negotiis obſeſſum obſeptumque, nec facilè otium jam mihi ſuppetere, ut novis rebus, per hæc inprimis tempora ac difficultates, ſocium me adjungam. Cætera omnia, quæ expectari à VOBIS poſſint, non dubium, quin in Cl. Collega, ERASMIO, abunde habituri. Cui, profectò! libens lubenſque primo hanc Spartam & laborem, quem Ille Bonis Avibus nunc ſuſcipit, ſereno amicoque vultu gratulor. Vobis, ORNATISSIMI VIRI-JUVENES, ætatem quoque me obſtringo, quod eodem honore me dignati, meaque ſacra impoſterum commoveri, ac juxta in publicum theatrum prodire volueritis. Scio quidem, bonos omnes ex æquo rectoque æſtumare, quicquid à bono publico in publicum redundet. Quod animum inprimis facit, nullusque dubito, quin hæc ipſa lux Literarum,

rum, in multorum animis clariſſimè nunc accenſa ſummam quoque utilitatem apud nos & Poſteros habitura. Præſertim verò quando ad illos me converto, qui ætate judicioque præcurrunt. Hi namque in Rep. partim occupati, iſtis potiſſimum artibus exercentur, quæ priſci temporis ſcrinia & ſecreta, longè ab oculis & uſu remota, iterum quaſi redonare illis videntur. ut aliorum exemplis moribuſque excitati, ſuam ſæpe aut vitam diligenter emendent; aut aliorum vitia cum ſupercilio acriter perſtringant. Sive, quod rei caput, maturè perdiſcant, quibus modis civium illa multitudo optimè regi, & ſapienter in ſocietate contineri poſſit. Vel, ſi uſu veniat, ad exteras remotaſque gentes legationes obire; cum hoſtibus fœdera ſancire, domi foriſque publica negotia gerere, tunc qua potiſſimum ratione ac oratione uti conveniat, cautè prudenterque ſapere ac diſſerere intelligant. At verò de noſtris Alumnis Diſcipuliſque HH. AA. quid ſtatuam atque cogitem, fortaſſe quidem ipſi haud libenter audire, Vos, Ampliſſimi Viri, me Iudice, jam diu intelligere attentè exſpectatis. Dicam, quod res eſt: Adoleſcentulis hoc inprimis incommodi vitiique adhæret, ut prius de Academia, de publicis arduiſque rebus cogitationem ſuſcipiant, quam ingenii ſui hebetudinem; quam ignorantiam ſuam miſelli vel aliquo argumento ipſi deprehenderint. In prima adhuc herba, in ætatis tyrocinio, in ſuis quaſi cunabulis, quando enutriri ſalutaribus præceptis conveniret, tunc, prò pudor! Honeſtiſſimum ac venerabile illud DISCIPLINÆ nomen, neſcio, quam fœdis convitiis ſæpenumero præpoſterè vapulet. Ignari, certè, quid periculorum, quid aſperæ difficultatis ſecum trahant, ſine juſto alarum remigio ſe cœlo ventiſque inanibus committere. Credite, mei Adoleſcentes, non ulla labes aut contagio, non ipſa denique peſtis nocentiſſima humanis corporibus

plus

plus detrimenti adferat, quam veſtram ætatem ſtudiaque nimis credula de vobiſmet ipſis impediat opinio. Igitur, ſi unquam in Rep. clariſſimo nomine gloriaque eminere cupitis, agite, per omnes diſciplinarum gradus, laborem, curam, induſtriam adhibete. Vnde, jactis optimarum rerum fundamentis, poſtea facillimus ad honorem erit aditus. Illis longo intervallo feliciores, quos vitrea fallaxque ſui Perſuaſio, neſcio, in quas ſyrtes ſcopuloſque infelici impetu detruſit. Ignoratis, chara Pectora, quam plurimis acerbè doleat, quod floridam juventam, quod virides illos annos ſine aliquo fructu rerumque cognitione pigri inerteſque conſumpſerint? Neque paucos reperiri, in medio etiam foro, qui olim ſuæ felicitatis parum memores pravique æſtimatores, nunc ætate pleni animaque fetida, in officinis illis Literariis locum tenere vix erubeſcerent? Vos igitur, macti animis, Adoleſcentes, à teneris annis, hac vernante ætate, haſce artes Studiaque noſtra diligenter amplectimini: Vnde in omnem vitam tam divini fructus opeſque inexhauſtæ promanant. Ipſa RESPUBLICA, in qua vivitis, in veſtris aliquando erit manibus: videte bono jure prudentiaque illam moderemini. Quos Faſces, quas Secures nunc veſtri Parentes, aut Amici cum authoritate gerunt; hic etiam honor, hæc dignitas ſuo tempore vos exſpectat: facite, civium tutelæ ac imperio ne indigni ſiatis adminiſtri. In Curiis, in Tribunalibus, in Foro, in Templis, VIRTUS, PIETAS, PRUDENTIA præcipio loco ſedent: Date operam, ut pulcherrimis diſciplinis ſanctiſſimiſque moribus imbuti, veſtras hic partes & Perſonam præclarè ſuſtineatis. Volens hoc loco prætereo multa Regum Principumque exempla, quibus vos ad illuſtrem famam gloriamque adhortari poſſem. Mitto tot Sapientum Philoſophorum monita & Oracula, quibus, vereor, hi ipſi parietes.

hæc

hæc quæ videtis tabulata, aureſque veſtræ plus nimiò quotidie obtunduntur. Hoc unum oro rogoque Chari Adoleſcentes, ut ſimul cum lacte materno, Sapientiæ Virtutumque præcepta ſerio imbibatis, ut omne veſtrum ſtudium, labores, vigilias ad DIVINI NUMINIS gloriam maturè conferatis, ut ab omni vitæ turpitudine, pravoque ſodalitio, quod unum innumeros Mortales peſſumdedit, piè & religiosè vobis caveatis. Tunc talem vos Remp. habituri, MECOENATES, qualem nunquam aut Plato, aut Socrates; non omnis denique veterum Sapientum Schola nobis formare aut effingere potuit. Ad hanc Veſtræ immortalitatem URBIS, Civiumque beatitudinem, Veſtra, *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi*, *Prudentiſſimi* DD. COSS. *Clariſſimi*, *Doctiſſimi*, *Reverendi* DD. SCHOLARCHÆ, Veſtra, inquam, Cura & relligio indies magis magiſque gloriosè ac ſapienter intenditur. Nulla igitur tam ſera poſteritas, tam ingrati unquam nepotes, qui de hac veſtra laude gloriaque aut minus præclarè ſentient, aut inclytam tanti facinoris memoriam fœda oblivione ſepelient. *Ego & Collega meus* ÆTERNÆ MEMORIÆ ſanctiſſimis Delubris VESTRA NOMINA & IMAGINES voce calamoque ſuſpendemus. Felicemque illam REMPUBLICAM exclamamus: in qua VOS, VIRI NOBILES, VIRI PHILOSOPHI, almæ *Pietati Doctrinaque* ſedem & domicilia collocatis.

DEUS ILLE Opt. MAX. in cœlis, porrò ſacram hanc ÆDEM divino ſuo metu ductuque cuſtodiat, ſoſpitet, conſervet. Nobis omnibus ac ſingulis omnia PROSPERA, omnia FELICIA domi foriſque largiatur.

DIXI,

Recitata Alcmariæ CIↃ. IↃCXLVI. IX. *Kal. Feb.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO III.

De pace & Bello,

Super nobili dicto M. T. CICERONIS:

CEDANT ARMA TOGÆ, CONCEDAT LAUR. LINGUÆ.

Ampliſſime D. Prætor, Nobiliſſimi DD. Coſſ. DD. Senatores, Clariſſ. Doctiſſimi DD. Scholarchæ, Reverendi, Præſtantiſſimi DD. Paſtores, Conſultiſſimi, experientiſſimi DD. Doctores; Collegæ obſervandi, Auditores Humaniſſimi.

NUnquam è Tripode melius olim Apollo, quàm *Oratorum princeps apud Romanos*: CEDANT ARMA TOGÆ; CONCEDAT LAUREA LINGUÆ. Jure meritoque venerabile & adorandum PACIS nomen nefariis horrendiſque armorum ſtudiis anteponens. a) *Nam Bellum res adeo eſt immanis, ut feras potius, non homines deceat.* Bellum res adeo inſana, ut juxta Poetarum opinionem, à furiis infernalibus orcique tenebris ſuos natales atque originem deducat. Bellum tam peſtilens & exitioſum, *ut univerſam morum luem ſimul invehat.* Tam illud injuſtum, *ut à peſſimis latronibus optimè ſoleat adminiſtrari.* Tam impium, tam crudele, ut cadere prorſus in Chriſtianum hominem nullo unquam tempore aut poſſit, aut debeat. Optimum verò ac præſtantiſſimum Humani generis ornamentum & Deliciæ, PAX & CONCORDIA. Sub cujus læto tegmine ac tutela mentis animique viget tranquillitas. Quæ quando res noſtras ſuis verſat arbitriis, mox iras atramque bilem pene ſua ſponte compeſcimus. Mox ſub unum jugum & ſocietatem etiam ultro infeſtiſſimi coimus. Diſcordiarum ſemina ac fomenta paulatim exſtinguimus.

Volen-

a) *Eraſ. in Moria.*

Volendi nolendique arbitria non niſi ad virtutis rectique normam dirigimus. Benè igitur dixit *ſapiens Hebræus: pacem ſequimini cum omnibus*. Et *Pſalmiſta: Pacem, innocentiam, æquitatem cuſtodite*. Et *ſacer Eccleſiaſtes: Diſciplinam, o Filii, in pace & Concordia ſartam tectamque habete*. Hujus rei ipſi quoque Ethnici, quid mirum? abunde nobis teſtimonia ſuppeditant. Quorum aliqui Pacem *tranquillam Libertatem* vocarunt. a) *Qua non modo ii, quibus ſenſum natura dedit, ſed etiam tecta atque agri lætari videntur*. b) *Paci, quæ nihil habeat inſidiarum, ſemper conſulendum*. c) *Sed, tunc meritò repudiandum, ſi ſub ejus prætextu ac pretioſo nomine crudele atque atrox latitet Bellum*. Hoc cum non ignoraret *Antoninus Pius*, uſitatam Scipioni ſententiam, *Malle ſe unum ſervare civem, quàm mille hoſtes occidere*, Dii boni! quo non amore proſequutus! Ideo *Crœſus* à Cyro captus, multis utilibuſque argumentis pacem bello præpoſuit. Et *Antiſthenes*, qui fratrum inter ſe concordiam dixit quovis muro firmius munimentum. *Concordia enim Res parvæ creſcunt*, ait Romanus ſapiens, *Diſcordia maximæ dilabuntur*. Et pulchrè Poëta:

Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum: pax una triumphis
Innumeris potior: pax cuſtodire ſalutem,
Et cives æquare potens.

Me Hercule! quàm decorum quoque eſt ipſi Principi, cum victoriam prope in manibus habeat, pacem tamen non abnuere. d) *Sic enim bella ſuſcipienda ſunt, ut nihil aliud, quàm pax quæſita eſſe videatur*. Quare ſapientes etiam ſola e) *pacis cauſa bellum gerunt; ſed laborem ſpe otii ſuſtentant*. Ut, ſemel expediti triformi huic Chimæræ, diu deſideratæ pacis tranquillum portum feliciter ingrediantur. Nimium ſuo malo edocti, Eheu! quantum! barbara

a) *Cic. Philip.* 2. b) *Cic. pro Leg. Agr.* c) *Cic.* 2. *Off.* d) *Cic.* e) *Cic.*

bara gentium crudelitas, & illi immaniſſimi bellorum turbines humano generi miſeriarum portendant. a) *Cum non ſolum ſubitus ejus adventus, ſed ipſe quoque belli metus calamitatem mortalibus adferat.* Et hoc commune ſit illi belluæ, ut omnia fatali periculo commiſceat; ſacra, profana juxta habeat. Miſarabili denique incendio ac vaſtatione cuncta evertat, peſſumdet, abſumat.

Vos, Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Spectatiſſimi DOMINI. Cum tanta Bellorum Paciſque temporum ſint diſcrimina, atque hoc unum in toto nunc Belgio & Republica noſtra potiſſimum agatur, ut LIBERTATI noſtræ, quæ tanto majorum conſtat ſanguine, utiliſſimo à VOBIS conſilio ſubveniatur: *VOS*, inquam, *DELECTI ad CLAVUM PROCERES, VOS REI BATAVÆ Fidiſſimi ATLANTES*, patiamini, quæſo, benignè, ſi Ego unus ex Togatorum ordine, hoc loco pro TOGA, adverſum ARMA Gradivi Patris, Bellorumque Furias, paucis verba fecero. Veſtra, *Humaniſſimi Audd.* ſolita erga nos benevolentia, præſentis negotii materiès, mihi Dicenti ſilentium & attentionem, non dubito, conciliabunt.

PAX & CONCORDIA unum ſtabiliendæ Reip. eſt fundamentum, una baſis atque rupes, cui res noſtræ altiſſimis defixæ radicibus perpetuò innituntur. Sine quibus columnis ac veſtigiis maxima quæque in nihilum recidere oportet. Quippe cuncta mortalium ab hoc filio & origine certiſſimè dependent, mox itura in ſui exitium & perniciem, ſi hic nexus & copula ſemel deficiat. Plus ultra noſtros fines atque imperium prolaturi, ſi firmis manibus ſacram Concordiæ paciſque aram complexi fuerimus. Docuit nobili notoque hoc exemplo poſteritatem *Rex Scylurus*, qui cum de vita jam jam emigraturus, filios ſuos ad ſe venire

nire

a) *Cic.*

nire juſſit. Interrupta mox voce, *Capite*, inquit, *ſinguli faſciculum iſtum, ac tela hæc quisque frangite.* Fruſtra erit: nemo vim unitatam munitamque potuit comminuere. Poſtea, ubi ſeorſim quiſque unum in manum accepit, illicò in partes tela diſſiliunt. *Iſthoc modo*, ait Pater, *O Filii, regnum ſe habet, quod vobis moriturus relinquo.* Quamdiu unanimes fueritis, ſtabit incolumis imperii majeſtas. Amoris fraterni vincula ſi diſſolvitis, actum de vobis & conclamatum. Hæc Regis quoque *Mycipſæ* ad filios ſuos monita fuerunt: a) *Cui non exercitus, non theſauri præſidia regni erant, ſed amici.* Hæc de *Ioviano Imp.* teſtatur Hiſtoricus, qui diſſidia & contentiones graviſſimo odio proſequutus: concordiam unicè ſibi charam acceptamque habuit. Hoc ad vivum in *Ageſilao* liquet: qui Spartæ Civitatis mœnia, cives dixit unanimes. Et tunc demum inexpugnabilem fore populum, quando pro vallis, pro mœnibus, Concordia animique tranquillæ modeſtia cives uterentur. An non idem noſtra ætate ac moribus videre licet? Quamdiu confœderatæ Pacis ſigna noſtris vexillis animiſque inſculpſimus, victores fortiſſimarum gentium exſtitimus. At verò proni promptique in lites, diſcordias, publica & privata odia, prô pudor! ut in ruinam, in exitium proximo præcipitique gradu ſtetimus! Hinc mox Bella Civilia, b) *nullos habitura triumphos*; hinc adverſa partium ſtudia; hinc inimicitiæ in vulgo: quæ, immane quantum! miſeriarum; quantum malorum, in innoxiam turbam; in liberos poſteroſque noſtros intulêre. Scilicet,

Notum, quid cæde calentibus armis.
Quantum ira liceat. motuſque quod audeat enſis.

Hæc magnarum rerum initia, quæ ſub Reginâ Dictatrice Concordia, paſſim proſerpere prognaſcique incipiunt. A cujus ſano ſacroque cultu,

a) *Salluſt.* b) *Lucan.*

cultu, infinitæ felicitatis ingentia ſcaturiunt flumina. Vnde mox ad publicæ PACIS contubernia latiſſimus ſe explicat campus. Sed, iſtam amœnitatem magis ſub Saturno Rege aureum vidit ſæculum, quàm noſtra tempora,ſic fera,ſic ferrea. Animo tamen & cogitatione complecti licet, quam divina, quàm beata hujus Divæ ſit poſſeſſio. Ejuſmodi namque bonum Pax eſt, a) *ut nuſquam illius nomine quicquam dulcius, pluribuſque refertum gratiis reperiri poſſit.* Ipſo Poëtâ nobis accinente:

Interea Pax arva colat. Pax candida primum
Duxit araturos ſub juga curva boves.
b) *Pax aluit vites, & ſuccos condidit uvæ,*
Funderet ut gnato teſta paterna merum.
Pace bidens, vomerque vigent, ac triſtia duri
Militis in tenebris occupat arma ſitus.

Nos igitur noſtras Secures faſceſque, qui Togæ Paciſque titulo inſcribuntur, ſua laude & præconiis meritò cohoneſtamus, Arma, Arma: quæ niſi publici tumultus ſunt inſtrumenta ac incendia peſſimo ſuo malo prætioque æſtimamus. CEDANT ARMA TOGÆ: CONCEDAT LAUREA LINGUÆ, olim ſapientis Romani, nunc mea vox eſt. Sumus enim ab omni ævo exempliſque edocti,quid diſcriminis inter Togam & Arma ſiat. Firma, quieta, candida PAX quantum boni mortalibus elargiri ſolet: tantum malorum ac detrimenti infelix bellum ſecum trahit. PACIS tempore ſine magnis ſceleribus vitiiſque penè vivitur. Sæpe Innocentiæ, ſæpe honeſtis laboribus ſuus honos ac pretia conſtituuntur. Cives cum civibus de virtute contendunt. PACIS tempore ingenui incorruptique mores, reverentia legum, Fas, fides locum tenent. Tunc in templis colitur Relligio, in Foro viget Æquitas, in Tribunalibus Juſtitia. Tunc videas ſata *læta boumque labores* incredibili agricolam cenſu afficere:

a) *Quam-*

a) *Auguſt.* b) *Tibull.*

a) *Quamvis lapis omnia nudus*
Limoſoque palus obducat paſcua junco.
Tunc alta ſub rupe canet frondator ad auras,
Nec gemere aëria ceſſabit turtur ab ulmo.
Mihi lilia plenis
Ecce ferent Nymphæ calathis: mihi candida Nais
Pallentes violas, & ſumma papavera carpens,
Narciſſum, & florem junget bene olentis anethi.
Libet jacere, *Modò ſub antiquâ ilice,*
Modo in tenaci gramine.
b) *Aut in reducta valle mugientium*
Proſpectat errantes greges.
Aut amite levi rara tendit retia,
Turdis edacibus dolos.
Pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem.
Iucunda captat præmia.
Aut horna dulci vina promens dolio.
Dapes inemptas apparat.

Tunc inprimis, PACIS, dico, tempore, Bonarum Artium ſtudia, *Silent enim ſub armis leges*, in flore & faſtigio ſuo eminere conſpicimus. Vbique Bonæ menti honoribus, dignitate, præmiis ampliſſimis propoſitis. Quæ omnia ſub fœdo ſitu ac ſquallore computreſcere videntur, quando litui circum aures ſtrepunt; *quando* ferox BELLONA, ſemel cœperit, c) *Ære ciere viros Martemque accendere cantu.* Sed quando tandem erit, ô vos aurea PACIS Tempora, ut protritis afflictiſque tot populis; ut BELGIO noſtro; ut toti Europæ gratulari de veſtrâ amænitate diliciiſque licebit? *Quando*, inquam, exſtinctis bellorum incendiis, à cæde & ſanguine manus noſtras abſtinebimus? *Quando, quando* de cælis eluceſcet iſte dies, ut ſecura, ut tranquilla & beata PAX infeſtos mortalium animos æternæ charitatis vinculo nexuque componet? Vſquamne in terris ulla eſt regio, ulla natio: quam non incerti præliorum exitus

a) *Virg.* b) *Horat.* c) *Virgil.*

Digitized by Google

tus ad ſui penè deſperationem redegerunt? Nos modò unius Europæ provincias & regna adeamus. Quàm hîc à longo tempore, *Peſtis & ira Deûm Stygiis ſeſe extulit undis! Non duri miles Vlyſſis Temperat à Lacrymis!*

Quò non Diſcordia cives
Perduxit miſeros! En queïs conſevimus agros!

Hic Danubius & Rhenus ſanguinem cædeſque eructat. Illic Albis, Odera, Viſurgis in cruore ſuo natat. Iſtic Tameſis penè civilium bellorum flamma exuritur. Alibi Sequana, Liberis; penè dixerim, Alpes & Apenninus ad tam funeſti Martis fœda ſpectacula cum horrore quodam ingemiſcit.

a) *Eheu! quantus equis, quantus adeſt viris*
Sudor!

Horret animus meminiſſe, luctuque refugit. Gratulor noſtris Artibus; gratulor quietiſſimis TOGÆ ſtudiis. Quarum ſecuritatem atque præſtantiam, quis unquam ſatis digno elogio eloquioque deſcripſerit? Nos, nos, inquam, Palladiâ recti tunica, in meliore ac molliore arena militamus. Nos niſi legum armis, niſi ſapientiæ illo mucrone cum adverſariis noſtris confligimus. Non tyranni more manus ſanguine cruentamus. Non inſontem opprimimus malis artibus. Non innocentem mactamus ſuppliciis. Hoc noſtro jure ſtudiiſque agimus, ut honeſto; ut æquo; ut virtuti ſuum decus, gloria, dignitas conſervetur. Hoc Toga, Annulique nos docent, ut ſcelus, ut perfidiam, ut improbitatem carcere & compedibus vinciamus. Vt morum turpitudinem, animique laſciviam utiliſſimo pœnæ remedio expurgemus. Vt Principem, ut civem noſtrum armata legum cuſtodia defendamus. Denique ne quid injuriæ aut detrimenti Reſpublica capiat; totum hoc, totum hoc inquam, honeſtiſſimis TOGÆ officiis arbitriiſque debemus.

SINI-

a) *Horat.*

Sinite *Humaniſſimi Auditores*, Hæc tam præſtantia inter Cives veſtros virtutum Organa ſub cura ac prudentia veſtra paullum reſpirare. Quid Arma, quid Toga poſſit, ſeriò vobiſcum perpendite. Hinc alma ſalus Reip. ad ſeros nepotes deſcendit; inde in omnem poſteritatem æterna peſtis & pernicies derivatur. Nam

Nulla fides pietaſque viris, qui caſtra ſequuntur.

Alterutrum hoc tempore in comitiis Belgarum eligendum eſt. Vivendum aut in jugi ſtatione & caſtris feralibus; inter bellorum flammas; inter incendia regnorum atque urbium: Sive, quod Diis placeat, jucundo pacis glutino in unum corpus fœduſque coeundum feliciter. Quàm triſte, quàm acerbum foret, ante oculos noſtros ſemper videre iſta inhumanorum corpora; iſtos trucidatorum depaſſos artus; hæc ſingultientium exanguia membra, feriſque projecta alitibus cadavera. Miſerandum cœlo ſpectaculum, Chriſtiani auditores. Certè, non hoc nobis prima noſtra natalia promiſerunt. Non illa lege in ſocietatem humani generis recepti ſumus. Ex priſca origine ad fraternos amores ſati ſumus; ad honeſti obſequium; ad jura propinquæ neceſſitudinis educti edoctique. Non ut belluarum inſtar, in mutua vulnera & viſcera ſæviremus. Sed, lacte; ſed pabulo jucundiſſimi amoris noſtras cunas & crepundia cum naturali quadam ſtorge aleremus. Ad hoc noſtræ Togæ & Libertas plenis nos velis ventiſque vocant. Multo enim pluris eſt, unum civem noſtris legibus in Rep. retinere, quàm tot millia armatorum acerbiſſimis ſuppliciis condemnare. Fateor, ex animi eſſe ſententiâ, plurimumque nos exhilarare, ſi de profligatis hoſtibus multa quotidie nova, multa læta percipiamus. Si Hiſpano & Flandris cuncta in lævum ſiniſtrumque eant. Si confœderatis Gallis, ſi Belgio noſtro omnia in melius dextrumque procedant. In hoc tamen uno omnes Chriſtiani

quodam pudore atque verecundia confundimur,

Nulla ſalus bello, Pacem te poſcimus omnes.

Ita demum felicibus Togæ auſpiciis, quod ſpero, fax lœtiſſimi Ominis Eventuſque allucebit. Et caſtrorum illa immanis, & plus quam barbara ſupellex arma; arma, inquam, quæ terræ non unius orbem ſuo fulmine atque ignibus accenderunt, tandem multis parietibus, veluti ludicra & inania puerorum oblectamenta ſuſpendemus.

VOS, LIBERTATIS, Fideique Aſſertores BELGARUM fidiſſimi, hoc unum, ore, veſtris auxiliis, curâ veſtrâ, prudentiâ, conſiliiſque agite, ut illuſtri Togatorum ordini; ut profugis afflictiſque tot gentibus, ut toti denique Europæ in ſuo ſanguine ac miſeriis penè contabeſcenti beata, tranquilla, ſecura de Cœlo PAX affulgeat.

Ad hoc tuam opem, ô omnipotens, æterne, Miſericors DEVS, flexis genubus precibuſque ſuppliciter imploramus. Tu, qui unus Regum Principumque corda tuo nutu ac manu gubernas, faxis omnia nobis proſpera, omnia feliciter domi foriſque eveniant.

CEDANT ARMA TOGÆ; CONCEDAT LAUREA LINGUÆ.

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ. IↃCXLVI. XV. *Sept.*

ALCMARIA TRIUMPHANS,
Sive Gratulatio
DE
PACE PUBLICA,
Celebratâ
Inter Potentiſſimum Hiſpaniarum Regem
PHILIPPUM IV.
Et Illuſtriſſimos Fœderati Belgii
ORDINES,
Anno Reparatæ Salutis Chriſti cIↃ IↃCXLVIII,
5. Junii.

INcrepuere ſatis Mavortia Claſſica, Belga,
Et Regum ſudavit ebur. Fœcunda malorum
In pœnam Bellona diu crudelibus armis
Intonuit, feros acuens in bella Nepotes.
Nulla ſalus, Gradive, tibi. Dehinc otia Rheno
Promittunt faciles Divi. Sat prata biberunt
Sanguinis, & rupit Balearica machina muros.
Sat dubios in ſe populos Diſcordia traxit;
Sat terra pelagoque in vulnera viribus itum eſt
Auriaco Heſperioque Duci. Nunc Ægida triſtem,
Bellantumque manus Batavo proſcribimus axe.
Nunc, quæ ſera licet Tityrum reſpexit amantem
Libertas, famam ſeris annalibus infert:
Porrigitur tanti Regis dum Dextera nobis,
Et pacem hoſpitiis & fœdera jungimus ambo.
Ceſſerunt ſic arma togæ. Batiſquê Taguſque
Accipiunt lætantem animis genialibus auram,
Terribileſque olim galea, lituique, tubaque,
Lorica, clypei, metuendaque tela, ſariſſa;
Obſita plena ſitu, lanum ſubiere recentem,
Auſpiciis, Auguſte, tuis. Fomenta malorum
Mit-

Mittite ad Euganeos, placido nunc æquore, Patres.
Hic alter Pellaus erit, vincendus & alter
Hannibal; hic Scythicum poſsit frænare Draconem
Caucaſeumque tuis ſubmittere falcibus orbem.
Aut, ſi tantus amor belli tibi: Belgica pubes,
Vt nequeas generoſum animi ſedare furorem,
Fortiter in Vitium pugna affectuſque rebelles,
Et nequaquam imperio Motus parêre jubeto.
Pulveris hic ſatis eſt ubi te præſtabis Achillem,
Hectoraque, & priſcas Heroum imitabere Lauros.
At, pia Poſteritas, non eſt Victoria tanti,
Quam Pacis ſecura fides. Quam Libera tandem
Imperia, Aſſertore Deo. Virtute parari.
Armorum cuncti ſaturi ſumus. inque Ferarum
Iam morem vixiſſe pudet. Pax una beatos
Efficit. Hac Divum nobis commercia donans
Ambroſia immortali animos & pectora nutrit.
Bella gerant alii, nos pulchra in regna locati
Cingimur in Batavis Ramo felicis Olivæ.

ORATIO IV.

In Laudem

SAPIENTIÆ.

Nobiliſſimus CORNELIUS ab EGMOND à NIEUBURCH. Alcm. Batt.

Magnifice, Ampliſsime D. Prætor. Nobb. Spectatiſſ. Prudentiſſimi DD. Coſſ. Clariſſimi, Reverendi DD. Scholarchæ. Doctiſſimi, Humaniſſimi DD. Auditores.

OPtimè ait Oratorum Princeps! SAPIENTIA eſt a) *rerum Divinarum & Humanarum; ſcientia omnium bonarum artium mater:* qua nihil à diis immortalibus uberius, nihil florentius

a) 4. *Tuſc.*

rentius, nihil præſtantius, hominum generi datum eſt. a) *Quæ, quod difficillimum eſt, nos docet, ut noſmet ipſos rectè noſceremus.* Sine quâ fieri non poteſt, *ut quiſquam verè probus audiat.* Et Platone teſtante ἡ φρόνησις μόνον ἡγεῖσθαι τῷ ὀρθῶς πράττειν. Cujus præcepti tanta vis, tanta ſententia eſt, ut ea non homini cuipiam, ſed Delphico Deo tribueretur. *Hæc actiones in omni negotio regit & dirigit; agenda & omittenda demonſtrat. Hæc ad gubernaculum ſedet, & per ancipitia fluctuantium curſus ſua arte moderatur.* b) *Hæc non beatos illos exiſtimat, quos vulgus admiratur, ad quos magna pecuniæ copia confluxit; ſed illos quibus omnia in animo ſunt ſita.* Quæ præſtantiſſimorum hominum judicia, tam altas in animo meo jaciunt radices, ut divinam ejus Majeſtatem non pro merito enarrare, aut verbis exornare poſſim. Nam cætera omnia, quæ apud miſeros mortales, in magno deſiderio, ac deliciis habentur, nihil planè cum hujus decoro atque excellentiâ commune habent. Fluxa atque caduca ſunt, quæ in bonis noſtris poſſidemus, magiſque facie aliquâ inanium rerum, quàm facto ipſo ſpecioſa. Quidquid ſplendore ſuperbè nos circumfulget. Quicquid aliquam elegantiam præ ſe ferre videtur, totum hoc, aut temporis injuria brevi inferius adducet; aut, certè noſtro, vel alieno malo, ad ſui exitium ocyſſimè contendit. Divina verò ſapientia firmis ſolidiſque radicibus ſemper ſubſiſtit. Nulla fatorum vis, nulla improborum malitia ſuo illam loco dimovere, aut diſturbare poteſt. c) *Nec quiſquam contra virtutem ſic unquam conjurabit, ut non illius nomen perpetuò venerabile, ac ſacrum maneat.* Quod cum non ignoraret Philoſophus *Bion*: Sapientia inquit, tantò cæteris virtutibus antecellit, quanto reliquis ſenſibus præſtat viſus. Quæ ſi oculis noſtris cerni poſſet, quàm illa ardentes amores ſui excitaret! Ideoque

a) *De Legib.* b) *Seneca.* c) *Seneca.*

eoque *Socrates.* diſcipulis ſuis quotidie inculcabat, ut in animo haberent prudentiam ; in linguâ ſilentium , in vultu verecundiam. Et egregiè *Periander*, quærenti , quid in minimo maximum eſſet, reſpondit : *Prudentes cogitationes in parvo corpore.* Non minus verè, quam facetè *Alexander Magnus,* qui aliquando videns Diogenem in dolio ſuo decumbentem! *O vas* , inquit , *ſapientia refertum !* Pulchrum quoque in ſapientiam teſtimonium Regis *Alphonſi :* qui, cum ſciſcitaretur quidam, Quomodo in tantis divitiis pauper effici poſſet ? Reſpondit . *Si Sapientia venditaretur.*

Nos igitur, *Nobiliſſimi Ampliſſ. Clariſſ. D. D. Audd.* quid ſit Magiſtra vivendi , Sapientia , pro modulo ingenii noſtri paucis contendemus. Vos aures veſtras, dum nobiliſſimam liberoque homine digniſſimam materiam tractare aggredimur, quæſo, benevolas attentaſque præbete.

Inclytâ atque auguſtâ Sapientiæ poſſeſſione , quod nihil ſit optabilius , nihil præclaro homine dignius, hoc omnis ævi auctoritas, omniumque ſeculorum memoria luculentiſſimis teſtimoniis confirmat. Et nemo unquam inter mortales tam perperam ac præpoſteri ingenii reperietur,qui matrem omnium bonarum rerum ſapientiam , infra ſuum decus pretiumque collocabit. Exemplo eſt ipſe *populus Quiritium*, diſertiſſimi Romuli Nepotes : qui in hanc vitæ humanæ Dominam ac rectricem , Sapientiam , incredibili amore flagrarunt . Principem inter illos locum *Scipio Africanus* ſibi vendicat , quem tam vehemens cognitionis ardor inceſſit ut in medio belli Punici apparata crepidatas Philoſophorum Scholas frequentârit. Huic *Pompejum* adjungo , qui contra Mithridatem bellum adminiſtrans , Rhodum profectus eſt, ut à ſapientiæ Magiſtris optima vivendi præcepta traheret. Illi *Cato* Vticenſis accedit , qui in curia dum ſenatus cogeretur , doctiſſimorum virorum le-

ctionem non intermiſit. Hoc non inferioris *Auguſtus*, & *Marcus Brutus*, quos in medio belli ardore literarum ſapientiæque ſtudia, immane quantum! oblectarunt. Ideo *Alexander Magnus*. Quando cubitum ire ſolitus, pugionem cum Homeri libris cervicali ſuppoſuit, ut cum ſomnum capere non poſſet, ſapientiæ ſtudio operam navaret. Non alia fuit ratio *Cajo Plinio*, nunquam in menſa & lectica eruditas animi meditationes intermittenti. Non *Antigono Demetrii* filio, Zenonem aſſiduè frequentanti. Non *Carolo Magno* & *Alphonſo*, omne vitæ ſuæ tempus ſapientiæ ſtudio conſumentibus. Hinc ſi ad *Græcos* & *Barbaros* oratio noſtra deſcendat, profecto! magna cum admiratione illorum in ſapientiam affectum exoſculamur. Inter illos primo occurrit Athenienſium legis lator *Solon*, qui tanta diſcendi cupiditate exarſit, ut penè in morte ipſa diſſerentibus de arduis rebus amicis, aliquid morientem ſe addiſcere gloriatus fuerit. Inter illos *Socrates*, qui hoc ſe tantum ſcire dixit, quod prorſus ſciret nihil: Oraculo Apollinis hominum ſapientiſſimus judicatus. Huic *Antiſthenem* accenſere licet, qui propriis, quos habebat, diſcipulis, manu miſſis, in Socratis diſciplinam ſe contulit. Quis ignorat *Cleanthis* erga literas indefeſſam animi intentionem? Stupendam in *Diogene* induſtriam? admirabilem in *Carneade*, *Chriſippo*, *Demoſthene* diligentiam? illos non laboris difficultas, non æſtuantis caniculæ fervor, non creber procellis Africus, aut triſte Arcturi ſidus ab honeſto animi propoſito dimovit. Nulla tam præerupta montium, tam longè diſſita terrarum ſpatia: ad quæ non promptiſſimis difficillimiſque itineribus contenderunt. Hoc unum in ſumma gloria ponentes, quando prudentiſſimorum hominum conſiliis edocti, animos ſuos ab ingenita ignorantiæ caligine expedirent. Quorum ſi nos virtutem ſtudioſè, imitaremur, Dii boni! quantum

tum

tum quotidie noſtro nomini, famæque adjiceremus! Cujus enim animum ſemel invaſit honeſti ardor, hic illa, quæ ante pedes ſunt poſita, facilè deſpicit ac contemnit, ſatis in ſeipſo ingeniique ſui decoro felix beatuſque. Et qualis olim poëtarum ille Cyclops, amiſſo oculo: talis Reſp. cui abeſt lumen divinæ imaginis ſapientia. *Nam ſapiens*, ut cum Tullio loquar. *ſecum in pectore circumfert, quo ſe commendet quibuſlibet.* Sapiens omnia rectè facit; bonorum rector, & malorum victor; ad utroſque caſus aptus. *Sapienti nihil peregrinum, niſi quod cum vitio conjunctum*; Sapientis animus nunquam turgeſcit, nunquam tumet. Sapiens univerſa animo poſſidet, jure ac dominio ſua ſapiens, virtutem, ſi licebit, in divitiis explicabit; ſin minus, in paupertate. *Quamcumque fortunam acceperit, aliquid ex illa memorabile efficiet.* Deſine Philoſophis pecuniam interdicere: Nemo ſapientiam paupertate damnavit. *Socratem* in carcerem compingas, non erit carcer in quo Socrates. *Pyrrhus Rex* Fabricio ingentes theſauros offerat: ille majus regno judicabit, regias opes poſſe contemnere. Denique nemo altero eſt natalibus & familia nobilior niſi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. a) *Nam qui imagines in atrio exponunt & nomina familiæ ſuæ longo ordine, ac multis ſtemmatum flexuris in parte prima ædium collocant noti magis, quam nobiles ſunt.* Neque eſt populare artificium ſapientia, nec oſtentationi paratum, non in verbis, ſed in rebus ipſis ineſt. Age tuum negotium, Fortuna, nihil apud Diogenem tunc tuum eſt. *Nec Catonem mirere pontibus non ſemel fractis ſtantem nihilominus inter ruinas publicas rectum. Quem toties mutata Rep. nemo unquam mutatum vidit.* Cum alii ad Cæſarem, alii ad Pompejum inclinarent, ſolus Cato fecit aliquas Reip. partes. Cujus in eam rem gravius teſtimonium adducere

 poſſim,

a) *Seneca.*

poſſim, quàm *Sapientia* ipſius? quæ ſibi cum ipſa bonorum omnium acervum veniſſe gloriatur. Et Sacer *Eccleſiaſtes* hoc in illam elogio uſus: *Sapiens*, inquit, *præcipui honoris hereditatem poſſidebit*. Beatum exclamat *Propheta*, qui hujus theſauri factus eſt compos: cujus poſſeſſio auro argentoque eſt potior.

Sapientia H. A. divinæ ſcientiæ ſacraria nobis recludit; Sapientia nos docet; ut Deum magna ex parte intelligamus rectius; ut cœli & aſtrorum vias viceſque cum Copernico & Empedocle noſtris ingeniis complectamur felicius. a) *Hoc eſt quod Philoſophia nobis promittit, ut nos pares Deo faciat*. Hac divinâ virtute fretus *Ioſephus* ab obſcuro carcere ad principatum peregrinæ gentis pervenit. Hac *Daniel* ab humili ſervitute ad regiæ dignitatis ſolium emerſit. Hac *Salomon* fratribus à patre prælatus, ad Iſraëlitarum imperium contendit. Ex vero igitur Ethnicæ gentes tanta laudum deprædicatione excellentem ſapientiæ indolem extulerunt. Quæ una, inquam, divini Numinis germana filia, ultra ſortis ſuæ conditionem res humanas promovens, nos longè extra tenuitatis noſtræ confinia ponit. Quamobrem præclarè aliquis è Neotericis, b) *Nulla mœnia tam munita, quin machinis, ſuffoſſionibus, aut proditione capiantur*; At ſapientis viri decreta conſiliumque planè inexpugnabilia ſunt. c) *Sapiens ad omnem incurſum intentus & munitus, non ſi paupertas, non ſi luctus, non ſi ignominia, non ſi dolor impetum faciat, pedem referet. Nudum latro tranſmittit, etiam in obſeſſa via ſapienti pax eſt*. Ille plenus gaudio, hilaris, placidus nullum intra pectus dolorem admittit; jucundiſſimè ſemper vivit. d) *Voluptateſque non niſi circumſcriptas habet*. Ille ſibi omnia reſtare non ignorat. Nam quicquid à ſapiente proficiſcitur, id continuo debet expletum eſſe ſuis partibus;

a) *Nec*

a) *Seneca*. b) *Eraſmus*. c) *Seneca*. d) *Cicero*.

a) *Nec eſt ſapientis dicere ; non putabam.* Stultis & fortunæ credentibus omnis videtur nova rerum & inopinata facies ; ſapientibus *præcogitati mali mollis ictus venit.* Poëta Teſte ,

b) *Plurima felix*
Paulatim vitia atque errores exuit omnes
Prima docens rectum ſapientia.

Et ſanè omnium temporum eventus docebit, & docuit, c) *plura in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geri.*

Igitur quemadmodum medicorum ſcientiam bonæ valetudinis cauſa probamus : ſic meritò expetenda eſt, animi medicina, ſapientia. Quia eſt tantæ quam artifex conquirendæ ac comparandæ voluptatis. d) *Nam ſapiens ſi uratur, ſi crucietur in Phalacidis tauro, ſic erit dicturus : quam ſuave eſt hoc, quam hoc non curo? Talis enim ſapientis animus quales mundi ſtatus ſuper lunam : ſemper illic ſerenum eſt.* d) *Et ſi fractus illabatur orbis, impavidum ferient ruinæ.* Non contriſtatur in adverſis , non luxuriat in rebus ſecundis ; utramque ſortem æquiſſimo animo exſpectat ; nunquam ſibi diffidens aut diſſimilis. Si à naturâ diſtortiſſimus , ſibi formoſus videtur ; ſi mendiciſſimus , ſuo judicio dives ; Si ſervitutem ſerviat , ſe Regem exiſtimat. Quare egregiè Lyricus :

At ſummum ſapiens uno minor eſt Iove, dives ,
Liber, honoratus , pulcher, Rex denique Regum.

O præclaram atque excellentem animi ſapientis imaginem ! O illam divinæ auræ pretioſam particulam ! quæ nos pulchris variiſque virtutibus Deo aſſimulat. Quo cœleſti afflati genio , quid unquam difficile aut aſperum ingentis animi Philoſophis fuit ! Hoc in *Zenone* apparet , qui omnibus bonis, per naufragium amiſſis, *Euge* inquit, *quàm probè nos ad hoc palliolum redegiſti !* Etiam in *Ariſtide.* qui magna ingratorum civium affectus injuria , nullum

a) *Cicero.* b) *Iuvenal.* c) *Lipſius ex Tacit.* d) *Seneca.*

nullum tamen vindictæ locum reliquit. Qua animi magnitudine prædictus *Schevola* & *Pompejus*, non flammam, non ignem in viſcera ſua ſævientem exhorruerunt. Alii verò ut tutius philoſopharentur, nulliſque bonæ mentis impedimentiſque eſſent adſtricti, contra Fortunam in virilem hanc vocem prorupêre: *fruere, Fortuna, tropheo tuo, nos omnia noſtra nobiſcum portamus.* Ad vos appello; Pii Parentes: quam durum ac triſte, chariſſimos liberos, conjuges, familiares veſtros inexpectatâ morte amittere. Nonne tamen *Pericli*, *Craſſo*, *Pollioni*, *Sylla*, ut ferre mala hæc poſſent præſentaneum conſolatrix Philoſophia remedium præſcripſit? Hujus imprimis documentum dedit *Anaxagoras*, qui inter publicam diſputationem, annunciata filii morte. *Sciebam*, inquit, *mortalem genuiſſe*. Mirari hic ſubit *Cratetis* excelſum illum animum, qui quærenti Alexandrum; an patriam ſuam Thebâs vellet reſtitui, quid opus, reſpondit, *alius Alexander iterum fortaſſe eam ſubvertet*. Ita injuriarum contemptum in *Cæſare* & in *Catone* laudamus; Clementiam in *Alphonſo*, in *Nerone*, in *Auguſto*; frugalitatem, modeſtiam, temperantiam in *Platone*, *Socrate*, *Diogene*, *Pythagora*. Divitiarum neglectum in *Epaminonda*, *Lyſandro*, *Phocione*. Sapientia enim perceptrice, in tuta tranquillitate vivitur, omni cupiditatum ardore reſtincto. utque de nocte ſtellas fulgere videmus in tenebris: ſic liquidus ſemper ac ſerenus viri ſapientis animus, etiam in ipſa temporum caligine. Nec ulla jucunda poteſt eſſe vita, à qua abeſt prudentia. a) *Prudens in futura proſpectum intendit, & quæ poſſunt contingere, animo ſuo cuncta proponit.*

Ille ſapit ſolus, volitant reliqui velut umbræ,

Aut Grajo ore loqui ſi libet. ὡς οὐδὲν ἡ μάθησις ἦν μὴ νοῦς παρῇ. Denique publica & privata felicitas ab hoc uno fonte derivatur. Et nemo unquam rem magni

a) *Cicero.*

magni momenti tentare auſus, priuſquam rerum ancipites eventus imperiique magnitudinem providè diligenterque apud animum ſuum expendiſſet. Sive pacis tranquillum, ſive belli periculum imminet, ad ſapientiæ aſylum, ſicut ſacram anchoram, confugimus: quæ una eſt Cynoſura, quò omnibus actionibus collimare debemus. Vis, cum authoritate Magiſtratum gerere? dictaturam & imperium exercere? docebit te ſapientia. Vis ſacram in Eccleſiis perſonam ſuſtinere? de myſteriis divinis ad populum verba facere? Advoca in auxilium ſapientiam. vis jura & leges tribunalibus præſcribere; belluam multorum capitum, vulgus, intra modeſtiæ limitem continere? facies auxiliatrice ſapientiâ. Scilicet

a) *Nullum Numen abeſt ſi ſit prudentia,*

Hac clavum tenente, ait Tullius, plurima ad remp. commoda veniunt, Et

b) *Vbi non eſt pudor*
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides
Inſtabile regnum eſt:

c) *Omniaque regna, civitates, nationes uſque eò proſperum regnum habuerunt, dum apud eos vera conſilia valuerunt.* d) *Vbicunque gratia, timor, voluptas ea corrupêre, poſt paulo imminutæ opes; deinde ademptum Imperium, Poſtremo ſervitus impoſita.* Nam quemadmodum Caſtoris & Pollucis faces, ſi ſolitariæ appareant, durum eſt oſtentum; Si geminæ, ſalutare: ita quoque non oportet potentiam eſſe ſejunctam à virtute ac ſapientia. e) *Nihil ad rem pertinet, quantum ares, quantum fœnores, à quam multis ſaluteris, quam pretioſo incubes lecto, quam pellucido bibas poculo.* Sed quàm bonus, quam ſapiens ſis. Hanc excellentis ingenii indolem pueri colluſores in *Cyro* animadverterunt; certo fortunæ præſagio, cum ſibi regem præficientes. Illam in

a) *Iuvenal.* b) *Seneca.* c) *Salluſt.* d) *Lipſius.*
e) *Seneca.*

Romulo ſuſpiciebat imbellis paſtorum turba, cum ab ipſis in diſceptandis controverſiis arbiter eligeretur. Sic de *Alexandri* ingentis animi magnitudine Perſarum Legati non ſiniſtrè judicarunt: cum ille nihil humile, aut puero dignum ad illos loqueretur. Non ignorabant diviniſſimi homines. a) *Eſſe ampliſſimum vitæ ſpatium, ad ſapientiam vivere. Nam unus dies eruditorum ac ſapientum plus patet, quam imperiti longiſſima ætas.* b) *Ingenii enim facinora, ſicut anima immortalia ſunt.* Ac verè, c) *iſtuc eſt ſapere, non quod ante pedes modo eſt, videre; ſed etiam illa, quæ futura ſunt, proſpicere.* Tanto magis, eheu! dolendum, quod tam pauci ſummâ ope viribuſque, ad invictam ſapientiæ arcem nitantur. Hoc ubique penè gentium pro ſummo prô pudor! bono ducatur, per fas & nefas divitiarum Spolia corradere; d) *omnibus modis pecuniam trahere, vexare:* quæ extruendo mari montibuſque coæquandis vix ſufficiunt. *Quibus nihil rectius videtur quàm virium opibus gloriam quærere. Apud quos pro labore deſidia, pro continentia & æquitate lubido atque ſuperbia invaſere. Qui ingenium incultu & ſocordia torpeſcere ſinunt: cum tamen multa variaque ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paretur. Mihi verò is demum vivere & anima frui videtur, qui præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* Quo diffuſius longiuſque H. A. in divinæ ſapientiæ laudem provehimur, tantò major in dicendo materies ac copia undiquaque præbetur. Inextricabilis hîc error, nec facilè eſt pertexere iſtam telam; quam ſic feliciter exorſi ſumus. Sapientiæ enim ac virtuti ſimul dicto ſacramento, quid mirum, ſi verborum aliquo quaſi torrente in immenſum noſtra ſe effundat oratio? Incaleſcat, oportet, animus in tam ſpetioſam nobilique materiâ, quæ nos ad honeſta omnia provocat, ſuique deſiderio humana ingenia, velut ſacro quodam igne inflammat. Sapientiæ

a) *Seneca.* b) *Salluſt.* c) *Terent.* d) *Salluſt. variis l.*

pientia enim eſt recta illa & regia via, quæ ex hiſce mundi tenebris ad immortalis vitæ gloriam nos evehit. Ideoque ab Ariſtotele, ὄμμα τῆς ψυχῆς meritò appellatur. Et ab Annalium ſcriptore: a) *quod honeſta ab deterioribus, utilia ab noxiis diſcernat.* Hæc, ut ait *Eccleſiaſtes*, à Domino eſt, & cum illo fuit ſemper, & ante ævum. b) *Hæc ex ore altiſſimi prodiit primogenita. Hæc nos à malo pravoque abducens, Domini nobis timorem inculcat. Fili ſi concupiſcis ſapientiam, ſpiritu intelligentiæ repleberis. Hanc ſi invocaveris, ſi illi cor tuum inclinaveris; ſi quæſieris eam, quaſi pecuniam, & ſicut theſauros illam effoderis, tunc ſcientiam Dei invenies. At verò in malevolam animam divinus hic fœtus nunquam introibit. Perpetuo clara eſt, unaque omnia moderatur ſapientia; omnia innovat, & per nationes in animos ſanctos ſe transfert. Stulti verò Sapientia indolem & doctrinam deſpiciunt. Nec quemquam diligit Deus, niſi eum, qui cum Sapientia habitat.* Quod cum non ignoraret *Divus Ambroſius:* ubicunque ait, acceſſerit ſapiens, civis eſt, ubique ſua eſſe intelligit. Nunquam ſe peregrinum, nunquam hoſpitem judicat. c) *Sed hoc Majores noſtri queſti ſunt, hoc nos querimur, hoc poſteri noſtri querentur, everſos eſſe mores regnare nequitiam, in deterius res humanas & in omne nefas labi.* Scilicet:

d) *Ætas parentum pejor avis*
Tulit nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitioſiorem.

e) *Nam poſtquàm divitiæ honori eſſe cœperunt, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cœpit.* Sapientiam, virtutem, doctrinam pauci æſtimant, & niſi illi, quibus ingenium eſt rectius, *Niveoque incoctum pectus honeſto.* Diis tantum geniti potuere, *revocare gradum ſuperoſque evadere ad auras.* Tales olim fuerunt *Ægyptiorum*

Sacer-

a) *Tacitus.* b) *Ex Sacris.* c) *Seneca.* d) *Horat.* e) *Salluſt.*

Sacerdotes, Babyloniorum *Chaldæi*: Tales Gallorum *Druidæ* & Indorum Brachmanes; quos ſolius ſapientiæ æſtimatio ad ſummi honoris faſtigium provexit. Hinc eſt quod terrarum orbis miracula *Thaletem* Mileſium. *Pittacum* Mitylenæum; *Solonem* Salaminium tantopere admiretur. Ideo apud Lacedæmonios *Chilo*, apud Lindios *Cleobulus*; apud Corinthios *Periander* in tam magnâ exiſtimatione exſtiterunt. Igitur non immeritò veteres rerum viciſſitudinem levitatemque adumbraturi, Fortunam rotæ orbiculari, Sapientiam quadrato inſiſtentem Lapidi depinxerunt.

Sicuti navem nemo tibi dirigat, ſine ferro, quod affricuit
Siderites: ſic nemo Remp. ſine mente, quam afflavit Diva illa
Sapientia.

Nam, vir *conſilii expers mole ruit ſuâ.* a) *Sapiens quidem pol ipſe fortunam ſibi fingit*, Poteſt vir Sapiens ſecum dicere:

b) ——— Νοέω καὶ οἶδα ἕκαστα,
Ἐσθλά τε καὶ χέρηα.

Et rectè Euripedes: Σοφὸν γὰρ ἓν βούλευμα τὰς πολλὰς χέρας νικᾷ. c) *Multaque quæ naturæ impedita ſunt, conſilio ſapientum expediuntur.* Etiam in arduis difficillimiſque rebus, ille nec deſpondet animum aut dimittit. ubique immotum ejus robur, quod in externis & fortuitis oſtendit. *Quemadmodum fluvii quidam per media Maria tranſire dicuntur & ſervare ſuam undam:* d) *Sic Sapiens per tumultus circumfuſos, ut ſalſedinem nullam trahat ex hoc pelago mærorum.* In quem ſi nimbi, ſi fulmina de cœlo decidant, *mediis tranquillus in undis*, exclamavit.

Nos igitur, Chariſſimi Commilitones, qui ſemel ſtudiis bonarum artium nos totos conſecravimus, generoſis animis ad ſacram ſapientiæ Ædem enitamur. Vt, ſi noſtram fortaſſe operam aliquando Reſp.

a) *Plaut.* b) *Hom.* c) *Livius.* d) *Lipſius.*

Reſp. deſideret, Tales in illâ regendâ præſtare non poſſimus, quibus à teneris unguiculis præclara virtutum ſtudia in ſumma voluptate fuerunt, a) *Nam quemadmodum arbores quædam fructum non ferunt, niſi aliis vélut maribus adſita:* ſic literæ niſi cum virili ſapientiæ robore conjunctæ eſſe debent. Vtque militem ante pugnam videmus per luſoria arma ad certamen ſe præparare: ſic noſtri penſi & officii eſt per artes liberales ad ſapientiæ poſſeſſionem mactis animis contendere. Quæ licet procul intuentibus tetrica ac ſevera appareat: tamen cum propius ad illam acceſſeris; levem, benevolam, clementemque invenies. b) *Mitiorem*, inquam, *amicioremque ipſâ amorum Dea*, Hoc unum, inquam, à nobis, Commilitones, requiritur, c) *ut voluptates iſtas turbidas dimittamus, quæ animum effœminant*; ut irritamenta vitiorum quam longiſſimè profugiamus; *ut ad virtutes diſcendas nunquam præoccupati ſimus. Nec tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligamus.* Non enim ut Cæneus ille in fabulis, è fœmina in virum tranſiit Optando: ſic nos vovendo ex rudibus docti, ex fatuis ſapientes evademus. d) *Non votis neque ſuppliciis muliebribus auxilia Deorum parantur: vigilando, agendo, bene conſulendo proſpera omnia cedunt: ubi ſocordiæ tete atque ignaviæ tradideris, nequicquam Deos implores: irati infeſtique ſunt. Sacer intra nos Spiritus ſedeat malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos. Bonus enim vir ſinè Deo nemo eſt, primum argumentum bene compoſita mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere ac ſecum morari* Nullaque res, ait Philoſophus, magis honeſta animis induit, & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum converſatio. *Paulatim deſcendit in pectora & vim præceptorum obtinet, frequenter audiri, adſpici frequenter*, Vnum *Menandri* & *Sophoclis* hic addam:

Ἄ-

a) *Lipſ.* b) *Lipſ.* c) *Seneca.* d) *Salluſt.* & *Senec.*

Ἅπαντα δ᾽ ἄλλα τοῦ φρονεῖν καθίσταται.
Καὶ πολλῷ τὸ φρονεῖν εὐδαιμονίας
Πρῶτον ὑπάρχει.

a) *Hac divina ſapientia laurus ut noſtra aliquando tempora, poſt confectum ſtudiorum curriculum, latiſſimè circumerret, in tua Omnipotens, æterne, miſericors Deus, manu ac benignitate eſt poſitum, Tui favoris ſarti tectique clypeo omnes laborum ſcopulos ſcyllaſque facile ſuperabimus. Te auxiliante, contra omnem cœli injuriam. Contra fatorum vim, contra improborum nequitiam fortiter invictique ſubſiſtemus. Et veniat aliquando fauſtiſſimus ille Dies, quo divini tui Numinis Majeſtatem meritis in cœlum laudibus extollere poſſimus; opem ferre afflictis, ſublevare miſeros, tueri innocentes. Interea tu, O potentiſsime Deus, ſerva incolumem inclytam Belgarum Remp. defende contra Barbarorum tyrannidem Eccleſiam, largire terra marique toti Europæ tranquillam pacem. Hanc denique illuſtrem Civitatem, & in ea Clariſsimorum hominum prudentiam, conſilia; Tribunalium Iuſtitiam; Curiæ integritatem; Templi fidem ac Religionem; Hujus inclyti Minervæ hoſpitii famam decuſque tuo, O Deus, Spiritu ſoſpita ac guberna.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ.IↃ.CXLV.XII.*Apr.*

ORATIO V.

In laudem Scholæ

Cum munus ſuum Scholaſticum ordiretur
Cl. V.
D. IANUS ERASMUS.

Magnifice, Ampliſſime D. Prætor. Nobiliſſimi, Prudentiſſimi Spectatiſſimi DD. Conſules. Clariſſimi, Doctiſſimi DD. Scholarchæ; Reverendi. DD. Paſtores. Chariſsimi DD. Collegæ; Præſtantiſsimi, Ornatiſſimi DD. Auditores,

Quod

a) Precatio.

QUod tam ſolenni pompa & concurſu ad Divinarum Artium Domicilium, SCHOLAM, confluxiſtis, Veſtra omnium, de quo meritò Muſarum nomini, & ſacratiſſimæ huic Ædi nunc gratulor, veſtra, inquam, omnium in Scholam & juventutem noſtram publica paternaque facit benevolentia. Hoc imprimis tempore, quando prudentiſſimus Civium Senatus hoc magna cum cura, & cogitatione intendit, ut ſuæ Reip. non tantum ab aliquo manuum opere inſignis accedat elegantia; ſed imprimis ab ingeniorum luce ac claritate fama atque immortalitas illi comparetur. Quo uno, ſi rite recteque humanam felicitatem intueor! nihil, profecto, melius præſtantiuſque, *Illuſtres DD.* veſtris unquam conſiliis manibuſque elaborare poteſtis. Hac præſertim mundi ætate, cum vicinæ gentes, & omnium Regum Principumq; Tribunalia tantum de Marte & armis conſilia agitant. In ſolo ſanguine ferroque immane quantum! feroces de toga & pace ſtabilienda nemine uſquam ſincere ſolicito. Vos, inquam, ſoli cum paucis, non ignoratis, quam beata ſit Reſpublica, in qua aut Reges philoſophantur, aut Philoſophi dominantur. Hoc unum illud eſt, quamobrem ego hoc die ad dicendum potiſſimum conſurrexi. ut *Vobis, Magnifici, Prudentiſſimi DD. Coſſ.* de Literarum ſalute præclarè indicantibus ac decernentibus. honorem decuſque gratuler. Vobis, *Spectatiſſimi, Reverendi, Doctiſſimi DD. Scholarchæ* fidem curamque publici Minervii feliciter ſemel ſuſceptam unicè ac ſtudioſè commendem. Vos, *ingenui optimique Cives*, ad liberorum veſtrorum acerrimam ſanctiſſimamque diſciplinam animoſè invitem, excitem, impellam. Tecum, *Clariſſime D. Collega*, IANE ERASMI tecum, inquam, ne inauguratò limitem hunc ſacrum introeas. Opt. Max. in cœlis Deum, pro bono Alcmarienſi publico, orem atque obteſter. Argumentum orationis

nis noſtræ aliunde non quæram; nec propoſitum mihi eſt, in circum aut caveam feras cum Androdo introducere, non funambulos facere elephantos; nec cum Phavorino Therſitem aut quartanam laudare; calvitium cum Syneſio; muſcam & Paraſiticam cum Luciano. Hic ipſe locus materiem ſuggerit. In Scholâ tantum de *Scholâ* verba ſum facturus. Decus, & dignitatem Scholæ, quæ apud nonnullos in contemptum, deſpectumque venit, priſco ſuo nitori pro meâ virili reſtituam. Quam ſit neceſſaria, quàm utilis illa docendi provincia, paucis quoque docebo. Faximque ut omnis linguæ luxuries reſtringatur, ſtylusque noſter non longè à carceribus in aperta miſſus, brevi curſum abſolvat. Hoc unum à vobis peto, *Nobiliſsimi, Ampliſsimi DD. Auditores*, ut non moleſtè feratis; vos, qui olim pueri ſolidos integroſque dies in Scholarum ſubſelliis deſediſtis, ſæpe ad nauſeam, ac bilem credo, nunc ad unius quadrantem horæ, aures mihi attentas benevolaſque iterum in Schola præbeatis.

Miror indignorque *Humaniſsimi Virorum*, quod illuſtre ac venerabile Scholarum nomen toties apud rerum imperitos imprudenteſq; in contumeliam ac ludibrium veniat. Cætera omnia, quæ imbutam venenis malis avaritiam; quæ non niſi pecuniæ, ſordidumque lucelli ſtudium olent: in tanto honore tantaque exiſtimatione habeantur. Fluxæ opes, temporum ſpolia, ſic miſerè homini imponant, ut præ inani divitiarum faſcino liberales doctrinæ, ingeniaque ſolertiſſimorum hominum, ſæpè pro pudor! juxta viliſſimarum rerum expurgamenta, ac res planè nihili collocentur. Illi autem divino penè cultu in Republica adorandi, quibus fortaſſe paulùm, ultra plebeiam menſuram, inſtabilis fortuna ſinum palliumque laxavit.

Cum tamen longè aliter ab omni ævo ſapientiſſimis Philoſophis ſit viſum; qui in optimarum artium

artium cognitione; in ſolo virtutum amplexu vitæ ſuæ beatitudinem depoſuerunt. quibus ſecundum ſapientiæ regulam bene vivere, & ſua ſorte eſſe contentum, maximæ ſemper voluptates fuerunt. Qui non in emptis domi pomœriis; non in ſpatioſis agrorum finibus ſuperbi, ſed ſola ſua virtute felices, atque animoſi. Qui non in illo magni, *quando pretioſis orbibus parietes refulgerent*; quando aut a) *lapis Thaſius piſcinas oneraret; aut Alexandrina marmora Hymettias columnas diſtinguerent, ultima receiſas Africa.* apud quos neminem faciebat nobilem fumoſis imaginibus plenum atrium; ſed optimus quiſque erat nobiliſſimus. Quemadmodum egregiè liquet in illo divini *Thaletis*, qui, cum felix quis eſſet, interrogaretur, *qui animo*, inquit, *eſt eruditus*. Et, teſte *Socrate*, qui hominem doctrina ornatum, *pulcherrimum in terris animal* appellat. Neque minus vere, ac eleganter *Ariſtoteles*, qui tantum differre doctum ab indocto judicat, quantum vivi à mortuis. *Plato*, quantum ægri à medicis. *Demades*, quantum Dii ab hominibus. De *Alexandro Magno* quis neſcit, quod doctrina alios, quam opibus antecellere maluerit? De *Ariſtippo*, cum interrogaretur, quid filio profutura eſſet eruditio, ut nihil aliud, inquit, certe vel in *theatro non ſedebit lapis ſuper lapidem*. Quæ ſi hominum vulgus cum ſona ratione ſemel intelligat, ac divinarum mentium ſecuritatem ex vero contempletur, ſperandum eſſet, de plus quam belluina feritate atque rigore aliquando plurimum illi remitterent. Sed ut nihil hoc loco de illis nunc dicam, qui, quod peſſimum inter mortales vitium dominatur, aut alieno honori malitiosè invident; aut odio ſuarum rerum, nullius penè merita agnoſcunt, vel ferre in oculis poſſunt. Quibus, ut Romanus ille ait Socrates: b) *ſemper aliena virtus formidoloſa eſt*. Et cum ipſi nulla ingenuitatis nota inſigni-

a) *Seneca*. b) *Salluſt*,

inſigniti, nullis artibus bene imbuti, nullo literarum ſucco niſi leviter tantum tincti, ſæpe tamen præpoſterè, ſemper perperam in aliorum nomen famamque inſurgunt. Meo certe judicio illi non abſimiles ſunt priſcis gigantibus, qui Iovem ipſum animo malo pravoque oppugnare auſi. Aut parum, profectò, abſunt à literarum hoſtibus Licinio & Caracalla, qui in odium generis humani, omnia miſcere, ac denſiſſimis ignorantiæ tenebris involvere certabant. Quali animo in Liberales quoque Artes immane illud inter homines monſtrum, Iulianus extitit: quem cum non fugeret formandæ juventutis magna neceſſitas, utque Chriſtianum orbem facilius feliciuſque ſubjugaret, clariſſimis Profeſſoribus docendi ſilentium injunxit. Ita hodiè erga ſtudia humanitatis affecti *Anabaptiſtæ*, qui plus quam novercali odio ac inimicitia Scholas & Gymnaſia proſequuntur. Sic Germana illa mundi illuvies *Mahometes*, qui inſtitutis ad Pietatem officinis meras & Cimmerias Barbariæ tenebras inducit. Longe melius H. Aud. illi magiſtratus agunt ſapiuntque qui educandæ juventuti omnem operam diligentiamque impendunt. Qui publicis ſumptibus, magnaque liberalitate bonarum artium ac virtutum Gymnaſia aperiunt. Cum nihil aliud Academiæ Scholæque ſunt quam *officina ſapientiæ, ſeminaria Reipublicæ*, Διδασκαλεῖα λογικῶν, καὶ θεογνωσίας παιδευτήρια. Unde tanquam ex liquida & limpidiſſima ſcaturigine populi ſalutis, & felicitas promanat. Unde prudentiam Curia, juſtitiam tribunalia authoritatem leges, intemeratum Dei cultum Eccleſia ſibi vindicat. ſcilicet Poëta Ethnico teſte:

Didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.

Et certè, quod à nativa inſitaque naturæ pravitate rurſus deflectimus; quod paulatim ad priſcæ integritatis habitum revertimur, ſoli ſcholarum beneficio

neficio debetur. Hæc incompoſitos juventutis mores ad uſum rectæ rationis informat; animi vitia expellit; nova virtutum ſemina pectoribus imprimit. Hæc omnem à noſtris ſenſibus caliginem divina quadam luce radiiſque diſpellit, Philoſophiæ præceptis mentem inſtruit; ad publica imperia ac dignitates gerendas idoneos nos, reddit. Quod cum Cheronenſis Philoſophus animadverteret; *πηγὴ καὶ ῥίζα καλοκαγαθίας ἐςὶ τὸ νομίμου παιδείας τυχεῖν*, jure meritoque aſſeruit. Et divinus ille *Socrates*, qui cum aliquando ex corporis cultu ſummæ improbitatis argueretur, *talem*, inquit, *me natura formavit; at emendavit correxitque diſciplina.* Idem *Themiſtocles*, qui vita moribuſque in melius tranſlatis, *neſcitis*, ait, *ex aſperis indomitiſque pullis utiles fieri equos, ſi quis rectam illis adhibeat diſciplinam?* Rurſus audite *Socratem*, qui interrogatus, quare in tanta regendæ civitatis peritia, ipſe non adminiſtraret Remp. *ille*, reſpondit, *utilior Reipub. eſt, qui multos illi præſtat idoneos, quam qui ipſe ad clavum ſedet.* In hanc ſententiam pulchrè quoque *Marcus Tullius*, *qui nullum majus meliuſve Reip. munus agnoſcit, quàm ſi doceas, atque erudias juventutem, iis præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrananda atque coërcenda ſit.* Quæ ſola quoque ratio divino *Crati* ſapientem illam vocem Athenis extorſit: *Quorſum ruitis cives, qui omne ſtudium in pecuniis collocatis, liberorum veſtrorum curam plane nullam ſuſcipitis?* Nonne merito igitur, A. H. hoc unum in rep. maxima cum cura ſtudioque agendum, ut Scholaſticæ inſtitutioni ſuus honos & pretium tribuatur! ut ante omnia literarum ſtudia ampliſſimis muneribus præmiiſque afficiantur. a) *Præceptores enim animorum generatione Deum æmulantur, pubis formatione naturam perficiunt, amoris ſtudio parentes æquant, virtutis Sapientiæque præceptis*

a) Gymn. p. m. parentis.

ptiù Remp. conſervant. Præceptores, ait *Seneca*, hortando bonam indolem erigunt, modo laudibus animum faciunt, ingenium pigrum & latens, injecta quaſi manu extrahunt. Sed nolo in communem hic locum deſcendere, atque aliunde noſtram laudem infinitis exemplis ſtabilire. Qui uno *Alexandro* teſte ſatis apud omnem ætatem poſteroſque commendati. *Nudam ego vitam, Philippo debeo; at virtutem ſapientiam; demum bene vivere, bene eſſe, Præceptori Ariſtoteli.* Omitto hoc loco commemorare *Pompejum* magnum, qui magiſtro Poſſidonio lictorios faſces ſubmiſit. Prætereo *Theodoſium* Imp. qui docentem Arſenium juſſit conſidere, filios verò Principes cum metu ac verecundia ſuo præceptori aſſurgere. Taceo *Fulvium nobiliorem*, qui Ennium Poëtam Civitate Romana donavit. Taceo *Octavium, Auguſtum, Gratianum, Dionyſium.* Nihil de *Marco Antonio* nunc dicam, qui aureas præceptorum imagines in Curia erexit. Nihil de *Alphonſo*, de *Ælio Hadriano*; nihil de *Lacedæmoniis, Samiis, Syracuſanis.* Non loquor *Solonem* & *Iſocratem:* quorum hîc Magiſtros multam mercedem à diſcipulis capere volebat ab ingenioſis, quia multa diſcunt, à rudibus, quia multos labores exhibent. ille Civitatem optime habitari dixit, in qua viros doctos honoribus affici: contra autem malos indoctoſque pœnis, mos fuerit. Et profectò, quod tandem à fœdo ſitu & Vandalica Barbarie nos repurgavimus; quod ex craſſa ſuperſtitionum nocte tuti evaſimus; quod artibus ſcientiiſque imbuti; quod legum reverentia imperiique metus nos intra præſcriptos virtutum cancellos coërceat; quod ſua Religioni conſervetur integritas, foro fides, cives incorrupta morum ſimplicitas: totum hoc, quantulumcunque eſt, quod certe maximum eſt: totum hoc, inquam, bonis diſciplinis, & illis ſacrarum artium nutritiis, Præceptoribus debemus. Qua de cauſa ſapientiſſimi Athenienſes in magna meritò

Digitized by Google

merito laude verſantur, qui cum de conſtituenda Rep. multum ſolliciti eſſent, & oraculo admoniti, ut rem omnium pretioſiſſimam liberorum ſuorum auribus inſererent, illi non ad æraria ſua, non ad uniones, non ad gemmas, & Margaritas accurrerunt; ſed continuo illuſtria docendi, Gymnaſia & Scholas inaugurarunt. Scilicet, hoc unum Apollinem tacitè cohortari, ut in ſanctiſſimis virtutum ſapientiæque præceptis juventus à primis unguiculis informaretur. Quam publicè profitendi provinciam ac utilitatem, tanti quoque pendit Rex *Ninus*, ut primum inter gentes ludos literarios aperiret. Et Iudæorum Rex *Iosaphatus*, qui convulſam diſſipatamque Aſæ patris improbitate Remp. emendaturus, per univerſam regionem eruditos Doctores emiſit, qui Dei legem teneræ juventuti fideliter inculcarent. Hac pietate uſus *Salmanaſſer* Aſſyrius, & *Artaxerxes Perſa*. Ita *Charundas Thuriorum* legis lator; hic in Hiſpania *Sertorius*; in Gallia *Conſtantinus*; in Italia, in Germania *Carolus Magnus*. Hanc Regum Principumque induſtriam, noſtro patrumque ævo, pulcherrimo ſanè conamine noſtri in Belgio Mœcenates ac *Naſſovii* imitantur. Qui in ſolo literarum præſidio, tutiſſimam ſuæ gentis ſalutem famamque repoſitam agnoſcunt. facilè in ruimam interitumque inclinatura Reſp. quando nunc uno Minervæ hoc deſtituti gubernaculo, inter tot diſcordiarum decumanos fluctus & tempeſtates terra marique jactamur. Hæc dum dico, in mentem mihi venit *Ageſilai*, qui cum interrogaretur, quare Sparta eſſet ſine muris, oſtendens cives armatos, dixiſſe fertur: ταῦτ' ἐστι λακεδαιμονίων τείχη. Idem jure mihi de Belgis & ad Batavos referre licebit: *Imperatoriam Majeſtatem non minus armis decoratam, quàm legibus ornatam eſſe oportere.*

Hic veſtræ quoque ſunt partes, *Magnifici, Prudentiſſimi DD. Conſules; Ampliſſimi, Clariſſimi DD.*

DD. Scholarchæ. Quibus non immeritò multa triſtia, horrenda multa præſagit animos: quando legum Imperiique cunabula ac Tyrocinia, liberales diſciplinæ, à foro veſtro Comitiiſque exularent, Ideo omni ope, & opera id fortiter conamini, ut in veſtra Civitate, quam herclè, ipſa rerum natura his artibus togæque ſtudiis conſecravit, ſartam tectamque Muſarum hanc Ædem reſerveris: velut alterum de cœlo delapſum Ancile aut Palladium, Agite, mactis animis *Illuſtres Domini*, quod negotium in manibus eſt. Et quæ apud vicinas gentes veſtro Nomini ab Arte&Marte immortalis Laurea debetur, hanc, amabo, ne ſinite unquam per negligentiamque culpamque veſtram turpiter emori, aut marceſcere. Ecce vobis hanc nobilem florentemque Adoleſcentiæ coronam, unicas parentum ſuorum delicias, & jucundiſſima Tori pignora. In illos aliquando vos iterum renaſcituri; illis imperium & faſces, unà cum opibus veſtris in manum tradituri; hi ſunt illi, quando nos omnes dudum è medio ſublati, qui novum noſtræ Civitati ſupplementum conſcripturi. Dicite, quæſo, quid utilius ad opes illas cuſtodiendas inveniri poteſt, quàm bona mens, & animus literarum notitia egregie imbutus? Quid magis neceſſarium, contra temporum injurias, adverſus novam ſemper vitiorum turbam, quam pietatis virtutumque exempla, quæ nobis olim pueris divina præceptorum inſtitutio impreſſit; Quid præſtantius, pulchrius aut formoſius Sol unquam ſuis oculis de cœlo adſpexit, quàm ingenuis formatum ſtudiis viri Sapientis animum? Quem ſi nobis liceret inſpicere, ait *Seneca*, ô quam pulchram faciem; quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus. Docuit egregiè hoc *Ariſtippus*, qui in littus & Rhodienſium naufragio ejectus, comitibus in patriam referre juſſit, ejuſmodi viatica liberis debere comparari, quæ etiam cum naufragio enatare poſſent. Et *Stilpo*
Athe-

Athenienſis, qui capta patria, rapta uxore, amiſſis libris & liberis, cum ſolus ex incendio beatus exiret, interroganti Demetrio, nunquid amiſiſſet, *omnia*, inquit, *bona mea mecum ſunt*.

Hanc optimarum artium dignitatem *Nobiliſſimi, Ampliſſimi DD. Conſules, Clariſſ. Rev DD. Scholarchæ*, vos quo favore & gratia proſequimini, præſens hic dies vivo liquidoque exemplo teſtatur. Vos *Virum Clariſſimum D. Ianum Eraſmium*, Collegam mihi adjunxiſtis, ut mecum ille in partem laborum meorum alacriter deſcendat Quod ego jam nunc, uſque in decimum, puta Lunarem annum, neſcio, quam forti ac intrepido animo Siſyphi ſaxum cum paucis volutavi. Impoſterum, ut ſpero, cum ingeniis provectioribus plus voluptatis, minus tædiorum negotiique habiturus. vos, *ingenua ſtirpe oriundi Adoleſcentes*, in hoc diligentem navate operam, ut optimis quibuſque virtutibus exornati, utilem aliquando aut Reip. aut Eccleſiæ fructum adferatis. vos, *Conjunctiſſimi DD. Collegæ*, pergite, ut cœpiſtis, labore indefeſſo. Magna vobis gratia parata eſt. fama & gloria vos excipiet. Deprædicat veſtram induſtriam Magiſtratus; laudant boni Cives; probant vigilantiſſimi *DD. Scholarchæ*; teſtor ego. Res ipſa & labor loquitur. Et quod omnium præmiorum eſt maximum certiſſimumque in cœlo, ſupra illa clariſſima mundi lumina, poſt hanc vitam, inſtar ſtellarum effulgebimus: nos qui pravam perditamque juventutem ad eruditam pietatem Deique cultum divinitus hîc informamus. Tibi, *Præſtantiſſime Domine collega, ERASMI*, omnia fauſta, omnia felicia ex omnino precor, ut nos omnes, quorum curæ fideique ſalus hujus Gymnaſii eſt commiſſa, pari ſtudio & alacritate bonum publicum juvemus, illuſtremus. Amicitiam, ſine qua, ut bene *Plato* judicat, vir bonus eſſe nemo poteſt, religioſeque ſancteque ſemper colamus, foveamus, exerceamus.

mus. Idem velle, idem nolle, unicum nobis ſcopum terminumque proponamus. Quod ut ritè recteque fiat, Tu ô Æterne misericors, & ſanctiſſime Deus qui unicus es cordium ſcrutator, da, ut Gymnaſio noſtro omnia bene, omnia proſperè eveniant. *Da, ut inclyta hæc Alcmaria, & in illa universus Civium Ordo, & hic nobilium virorum ampliſſimus conſeſſus diu feliciterque floreat ac ſubſiſtat.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ.IↃCXLIV. IX *Auguſti.*

ORATIO VI.

De Philoſophiæ & Eloquentiæ Studio exercendo.

ATque ita Studiorum tuorum curriculum, *Ornatiſſime Adoleſcens,* quod nobis Ducibus ac Ductoribus feliciter ſemel es ingreſſus hodierno die feliciter abſolviſti. Magnum mare & ſcopulos emenſus: cum quibus lubrica ætas, & rudis animus animique pueriles huc uſque aſperrimè colluctati. Quaſi cum naturæ monſtris bellum gerens, ipſas quoque Herculis columnas tuo robore viriumque conatu maſcule ſuperaſti. In quo procertamine multi vix ad primam pugnæ aciem progreſſi, impatientes laborum ac diſciplinæ, turpi fugâ ſuæ inertiæ peſſimè conſulunt. Plurimi cum aliquò uſque ſacra Muſarum perreptaverint, & per tranſennam rimulaſque Palladem conſpexerint, velut Meduſæ objecto capit, in ipſo limine, tanquam cœlo tacti, ſtupentes ſubſiſtunt. non auſi ultra prima auſpicia veſtigium ponere. Nonnulli animo & corpore ad terram ſuam ita humiliter affixi, ut bonas artes, & quodcunque mens illa divinior pulcherrimorum operum ſecum trahit, plebeio faſtidio contemnant. Humaniores literas & literatos, quaſi emptos de lapide homunciones,

Digitized by Google

aut ex venalium abſtractos grege, penè pro ludiculo, pro capite cenſis ac infimi ſubſelli viris annumerent. Tu, *macte Adoleſcens*, regiam rectamque viam, quò nos clavum ac conſilia direximus, impigrè ſemper inſtitiſti. Eodem animo vultuque imperia ac juſſa capiens, quo te Imperator ad caſtrenſe officium & quælibet Martis munia ſum exhortatus. Viden' in Scholis multos ad penſum grandioris operis ingemiſcere? non paucos ab inſtituto negotio ignaviter ſe ſubducere? Aliquos tractandæ quæſtionis magnitudinem, dejectis animis, exhorreſcere? illos impares humeros accuſare? iſtos argumentorum hinc inde frivola comminiſci, quò melius operas divinàs nocturnaſque, ſupinâ oſcitantes ignaviâ, à ſeſe removeant? Nonnullos diſciplinæ ſeveritatem, quando vitio ipſorum ex merito officioque compeſcimus, & jam jam à teneris nocitura averruncare ſtudemus, gygantæâ voce oppugnare? vah! improbæ tarditatis edecumatæque pigritiæ vecordes aſellos! qui profectò, callo aprugno magis calletis, ac dudum ex pulchrâ hominis imagine in verberceam, & plusquam Mercurialem ſtatuam tranſiiſtis. Nihil horum de te queror. Hoc unum deſiderem, cæteri omnes tam ad obſequium eſſetis prompti, & ad bonas artes alacres intentique.

Sed, antequam Libertatis tuæ atrium. Academiam, ingrediare, Adoleſcens, hæc ad VIRTUTEM & DOCTRINAM monita prius animo tuo præfige. ut vaſtum hoc æquor, quod deinceps arandum reſtat, ſine procelloſis Aquilonibus, Africiſque impetuoſis, tutò feliciterque decurras. Vos, *NN. DD. Auditores*, adſpirate me dicentem favonio veſtri favoris. Et benevolè patiamini, Liberis veſtris, Seminariis Reip. unde aliquando, Civium copiis exſtinctis, novum Civitati robur invenietis, ad omnia præclara Virtutum, meâ manu atque hortamento viam & veſtigia deſignem.

a) *Noſtra omnis vis*, ait Romanus ille Socrates, *in animo & corpore eſt ſita. animi imperio corporis ſervitio magis utimur. Alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt. Quo mihi rectius videtur ingenii, quàm virium opibus gloriam quærere. Et quoniam ipſa quæ vitâ fruimur, brevi eſt, memoriam noſtri quam maximè longam efficere.* Et diviniſſimus Seneca: *Cogita in te, præter animum, nihil eſſe mirabile: cui magno nihil eſt magnum. Cætera omnia contemne, quæ ſupervacuus labor, velut ornamentum, ad decus ponit.* b) *Nam majore corporis ſarcina animus læditur, & minus agilis eſt: quantumque potes circumſcribe corpus tuum, & animo locum laxa.* Illud unum maximumque eſt, Adoleſcens, quod ſeriò hac ætate inſculptum tibi volo: ut omnem ingenii tui vim in labore & induſtriâ colloces; corporis verò curam cultumque in poſtremis habeas. Nunquam te illis immiſceas, *quibus contra naturam corpus voluptati, anima oneri fuit.* c) *Nam is ſolus mihi vivere & anima frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris aut artis bonæ famam quærit.* d) *Ut agat aliquid non in ſpeciem bonum, ſed ſolidum, & æquabile, & à ſecretiore parte formoſius. Ampliſſimum enim vitæ ſpatium eſt, uſque ad ſapientiam vivere.* Quanquam hæc prudentium Virorum conſilia vulgus hominum, quieti & otio adverſum, plerunque ex alto ſolet deſpicere: iſta in pretio ſolum habere, pluri̇mique ſemper æſtimare, in quibus Fortunæ levitas poteſtatem ſuam exercet. *Sed beatus non eſt is, ad quem pecunia magna confluxit; at ille cui bonum omne in animo eſt. Qui neminem videt, cum quo commutatum ſe velit, qui hominem ea ſolum parte æſtimat, qua homo eſt.* Atque utinam! non illa quoque opinio multos è medio foro obſederit, qui ſuos liberos per fas & nefas malint diteſcere, quàm bonis artibus inſtitutos ad ſapientiæ præſcripta

a) *Salluſt.* b) *Animus exercendus.* c) *Salluſt.*
d) *Seneca.*

præſcripta legeſque aſſueſcere. a) *Qui ipſi per luxum atque ignaviam ætatem agunt; ingenium vero, quo neque melius neque amplius quidquam in natura mortalium eſt, incultum atque ſocordia torpeſcere ſinunt: cum præſertim tam multæ variaque ſint artes animi, quibus ſumma claritudo paretur. Siquidem divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis eſt, ſapientiæ ſtudia clara æternaque habeantur. Dux atque Imperator vitæ mortalium, Animus eſt: qui ubi ad gloriam virtutis via graſſatur, abunde potenſque & clarus eſt, neque fortuna eget.* Quo divino dogmate ſi plerique Parentes ſuos à primo lacte Infantes innutrirent, illiſque magis bonam mentem, quàm pecuniæ ſtudium à teneris inſtillarent, teſtor fidem! multò feliciorem Rempublicam haberemus. b) Sed, poſtquam *veneniis malis imbuta Avaritia in honore eſſe cepit, & maxima gloria in maximo imperio putatur*, incredibile memoratu, quàm ſubitò per inſolentiam animum hominum inſoleſcere videmus. *Animus enim malis artibus imbutus, haud facilè libidinibus caret.* Nonne una *Ambitio multos mortales falſos fieri coëgit? aliud clauſum in pectore, aliud promptum in lingua habere? amicitias inimicitiaſque non ex re, ſed ex commodo æſtimare? magiſque vultum, quàm ingenium bonum habere?*

Reperias ubique multos, *quibus maxima induſtria videtur, ſalutare plebem, & conviviis gratiam quærere; qui per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia & honores graſſantur; Qui magna vi & animi & corporis, ſed ingenio malo pravoque Remp. peſſimis conſiliis perturbant, ſacra & profana promiſcuè habent.* Sed, nolo Ego communium vitiorum tot latebras & viſcera hoc loco in medium producere, Qui cum Adoleſcentibus hic in circo Doctrinarum decurrimus: quos ſemel egregia virtute boniſque artibus imbuendos noſtræ curæ fideique commiſi-

 ſtis.

a) *Salluſt. Variis locis.* b) *Pro Animi cultu Vitia vigent.*

ſtis. Deplorare tamen licet publicam temporum noſtrorum calamitatem, quibus perditi mores in libera civitate tam impune dominantur. *Nam pro labore deſidia, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia invaſere. Multique mortales dediti ventri atque ſomno, indocti incultique vitam ſicuti peregrinantes tranſigunt.* ut nihil, prò pudor! minus, quàm in beata olim Republicâ, nunc de Civium virtute legumque felicitate gloriari liceat. a) *Quando domi militiaque boni mores colebantur; concordia maxima, minima avaritia erat. Ius bonumque apud eos non magis legibus, quàm natura valebat: jurgia, diſcordias cùm hoſtibus exercebant; Cives cum civibus de virtute certabant, Magiſq; in decoris armis, quâm in ſcortis atq; conviviis lubidinem habebant. In pace beneficiis magis, quàm metu imperium agitabant; accepta injuria, ignoſcere, quàm perſequi malebant. Virtus omnia domuerat, gloriæ maximum inter illos certamen erat. Nunc verò, poſtquam Fortuna ſævire & miſcere omnia cepit, hebeſcere virtus, paupertas probro haberi, innocentia pro malevolentia duci cepit.* Nunc prô dolor! *Virtutis præmia poßidet Ambitio*; nunc id agitur, *bonis ne an malis moribus vivamus.* Et quod olim de Sylla dicebatur, *ad ſimulanda negotia altitudo ingenii incredibilis.* Neminem tamen ideo ex virtutum doctrinæque amantibus, ſæculi noſtri magna improbitas à morum honeſtate ſtudiorumque præſtantia avocare debet. b) Non enim rerum ſcientia, non Liberales Artes tunc peccant, quando animus improbus, & libidine corruptus à recto in pravum deflectit. Hujuſmodi malorum, inter multa, origo & nutrix eſt, prima *Iuventutis mala Educatio*; ac in teneris illis annis, circa morum caſtigandas ineptias, *diſciplina negligentia & impunitas.* Quam, pro vetere formula, in Gymnaſiis exercere, non patitur hodie parentum in Liberos tenellus affectus, molliumque Matercularum pertinax & laſciviſſima

a) *Laus priſci avi.* b) *Cauſa ruina publica.*

Digitized by Google

viſſima in ſuos indulgentia. Quæ una & princeps eſt ratio, quod Academia de ſuis alumnis civibuſque tam malè edoctis toties cum dolore conqueritur; quod SCHOLÆ priſtino ſplendore elegantiaque deſtitutæ, quod vitæ morumque improbitas ex conſuetudine in naturam penè deducta videatur. Quidquid dies nocteſque ad hanc profligandam peſtem boni Præceptores paſſim obnituntur; nullam penè vim aculeumque in perverſis Adoleſcentium pectoribus relinquunt. Sæpè, quaſi ſurdo fabula narretur, ita adverſus omnem virtutem & bonos mores obduravit Iuventus. Abſit, aliquam carnificinam, aut compedes in Scholam inducamus: quibus ingenua pubes ignominioſè coërceatur. Quod planè non eſt ſenſus noſtri. Nam Poëta teſte,

a) *Peragit tranquilla poteſtas*
Quod violenta nequit. Mandataque fortius urget
Imperioſa Quies.

Tamen, ne Authoritas docentium tota evileſcat, & Puerorum ferox animus nimia licentia efferveſcat, quidni modicæ punitiones ac pœnæ juxta præmia & laudes ponantur? Quotuſquiſque profectò, è Scholarum pulvere felicius emerſiſſet, ſi non contumacem diſciplinæ cervicem præbuiſſet; Quàm multi bonis artibus variaque ſcientià clari evaſiſſent, ſi non ſalutaribus ad doctrinam monitis aures animoſque obturaſſent? Hinc illæ lacrymæ & labes in univerſam Rempublicam; hinc ſemidoctorum illa turba, quæ ſapientiæ odium indixit; hinc in Forum, in Eccleſiam tot rabulæ inertes, tot mali Impoſtores protruduntur, qui ſuæ ignorantiæ caligine & veritatis & literarum luminibus nocentiſſimè officiunt: Hic Tu, ô *Adoleſcens*, quando nunc à noſtra poteſtate manu mitteris, & liberum illum vivendi campum ingrederis, animum aureſque intende. Vide, ne quid peſtilens

 contagio

a) *Claudianus.*

contagio uſquam tibi affricet, quod poſtea nulla ætas tempuſque eluet. a) Vide, à teneris annis DEO rectæque Rationi pareas; Fide, Religione pectus tuum imbuas, Virtutem, induſtriam omni loco inviolatam habeas. b) *Sic vive cum hominibus tanquam DEVS videat; ſic loquere cum DEO, tanquam homines audiant. Inimica eſt multorum converſatio. Nemo non aliquod nobis vitium aut commodat, aut imprimit; aut neſcientibus allinit. Recede in te ipſum, quantum potes. Cum his verſare, qui te meliorem facturi ſunt. illos admitte, quos tu potes facere meliores. Vtique quo major eſt populus, cui commiſcemur, hoc periculi plus eſt. Vnum exemplum aut luxuriæ aut avaritiæ multum mali facit. Convictor delicatus paulatim enervat ac emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. In Homine nihil ad rem pertinet, quantum aret, quantum fœneret, à quàm multis ſalutetur, quàm pretioſo incumbat lecto, quàm pellucido poculo bibat; ſed quam bonus ſit.*

c) Quibus VIRTUTUM præſtantiſſimarum fundamentis ſi ſuperſtruxeris Columnas Sapientiæ & Literarum, tunc quaſi candidis Gloriæ Quadrigis ad ſacram Honoris Ædem contendis. Nam ipſa per ſe virtus non ſatis clara & efficax eſt, ſi non ab ingenio doctrinaque lucem ſuam accipiat. & tanquam purpura aliqua ac ſplendidiſſima veſte exornetur. Et certè, *in ingenio, non in patrimonio optimæ ſunt poſitæ divitiæ. Verba quoque imperitorum,* ait Seneca, (honos veſtris ſit auribus) *ut ventre editus crepitus.* Igitur, *Adoleſcens*, quantum potes, per ſummas animi corporiſque vires contende, ut optimarum Artium ſcientia inbutus, juxta venuſtatem morum, vitæque innocentiam, æterni nominis famam decuſque demereare. *Liberalia ſtudia perbibere oportet, non illa, quibus perfundi ſatis eſt;*

a) *Hortatio ad virtutem.* b) *Seneca variis locis.*
c) *De Ratione ſtudendi.*

eſt; ſed hæc , quibus fingendus eſt animus. Quomodo
inquis , illo pervenitur. Non per Apenninum Gra-
jumve montem, nec per deſerta Candaviæ ; nec Syrtes,
nec Scylla, aut Charybdis adeunda ſunt. Solus LABOR
ac jugis animi Exercitatio huc te ducet. Non eſt
viri fortis timere ſudorem. Animos generoſos Labor
nutrit. Nihilque eſt, quod non expugnat pertinax ope-
ra & intenta ac diligens cura. DUPLICEM tibi
CAMPUM propono : in quo inprimis ad pal-
mam & gloriam decurres : priuſquam in profun-
dum illum Myſteriorum Oceanum , THEOLO-
GIAM, vela immittas, a) PHILOSOPHIA,
inquam , & ELOQUENTIA. Sine quibus ne-
mo unquam Deorum ordinibus ſe immiſcuit ; ne-
mo in aliquâ Facultate egregiam famam conſe-
quutus ; nemo apud poſteros ſui nominis memo-
riam immortalitati conſecravit. Non eſt Philoſophia
populare artificium , non oſtentationi paratum , non in
verbis , ſed in rebus conſiſtit. Illa animum format &
fabricat ; illa vitam diſponit , actiones regit ; agenda
& omittenda demonſtrat ; illa ad gubernaculum ſedet,
& per ancipitia fluctuantium dirigit curſum. Corpus
hoc animi pœna ac pondus eſt : premente illo urgetur,
in vinculis eſt, niſi acceſſit Philoſophia, & illam reſpi-
rare naturæ ſpectaculo juſſit , & à terrenis dimiſit ad
divina. Sic Animus in hoc triſti & obſcuro domicilio
clauſus, quoties poteſt, apertum petit , & in rerum na-
turæ contemplatione requieſcit. Quando continget con-
temnere utramque Fortunam? Quando continget omni-
bus oppreſſis affectibus, & ſub arbitrium adductis, hanc
vocem emittere, VICI? Non prius , quam Philo-
ſophiæ quaſi Vallo Animi tui Arcem benè muni-
tam firmamque effeceris. Philoſophus ad utroſque
caſus aptus eſt , bonorum rector & malorum victor.
Philoſophus , ſi licebit , in Divitiis Virtutem explica-
bit ; ſin minus, in paupertate , in exilio. Quamcunque
Fortunam acceperet, aliquid ex illa memorabile efficiet.

a) Philoſophia.

Ille, qui philoſophiam in remedium ſuum exercuit, ingens fit animo, plenus fiducia ac inexuperabilis. Eodem modo ſublimis animus, quietus ſemper & in ſtatione tranquilla collocatus. Quare Cicero Philoſophiam omnium optimarum rerum cognitionem, Matrem omnium bonarum Artium, Animique Medicinam appellat. Apulejus, regalem diſciplinam; Plato lucem & ducem vitæ humanæ; Socrates, Virgulam oculumque divinæ mentis vocavit.

Cum illâ bonarum Artium Regina PHILOSOPHIA, *Adoleſcens*, proximo gradu Bene Dicendi Magiſtram, a) ELOQUENTIAM, conjunges. b) *Cujus Dignitas vel ſola ex eo intelligi poteſt, quod in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquilliſque Civitatibus præcipuè ſemper floruit, ſemperque dominata eſt.* Quæ teſte Cicerone, nihil in tota rerum natura eſt dignius, nihil præſtantius, nihil utilius, nihil æque neceſſarium. *Eſt enim Oratio quaſi Rationis quædam imago, cui regnum totius animi tributum eſt.* Ratio regit ac moderatur animum proprium; Oratio flectit etiam alienos. *Quid enim admirabilius eſſe poteſt, quàm cogitationes tam multas, tam excellentes, tam varias atque multiplices oratione commendari? Ipſamque orationem aere exceptam, quaſi vehiculo, incredibili celeritate, breviſſimo temporis ſpatio, ad quam plurimos pervenire? ac per tenuiſſimos aurium meatus in alienos animos introire?* Divinam vero Eloquentiæ vim ſi quis non puerili judicio ſenſuque expendat, nunquam ſatis pro dignitate illam deprædicare, aut admirari poteſt. c) *Quis enim cohortari ad Virtutẽ ardentius? Quis à vitiis avocare acrius? Quis vituperare improbos aſperius. Quis laudare bonos ornatius? Quis cupiditatem vehementius frangere accuſando? Quis mœrorem levare mitius conſolando?* Certè perfecti Oratoris moderatione ac ſapientia, non ſolum ipſius artis dignitas, ſed & privatorum plurimorum, & univerſæ Reip. ſalus con-

a) *Eloquentia.* b) *Soarez in Inſtituti. Rhet.* c) *Cicero.*

continetur. Hinc ſunt illa togatæ militiæ arma, quibus a) *ardor civium prava jubentium*, toties edomitus. Hinc validiſſimi Suaſionum tori & lacerti, qui gladios cruentos hominum manibus extorſerunt. Hinc illa admirabilis dicendi efficacia, quæ pro ſuo arbitratu auditorum animos in quamlibet partem flectit & moderatur. Quid b) *etiam aut tam jucundum cognitu atque auditu, quàm ſapientibus ſententiis gravibuſque verbis ornata Oratio & perpolita? Aut tam potens, tamque magnificum, quam hominum animos unius oratione converti?* c) *Quid admirabilius, quam res ſplendore illuſtrata verborum, & quaſi ad vivum coloribus exſculpta? Quis enim cantus moderata orationis pronunciatione dulcior inveniri? Quid autem ſubtilius, quàm acutæ crebræque ſententiæ?* Sed, amputetur in verbis procacitas, & vitium illud teterrimum probris alios lacerandi; reſecetur arrogantia, & inanis laudis appetitus. *His tot tantiſque deletis maculis, continuo exiſtet illa divina & cæleſtis Eloquentiæ pulchritudo.* d) *Hæc eſt illa Suada Chriſtiana, qua Gregorius & Baſilius, nobiliſſimum par amicitiæ, doctrinæ, ſanctitatis plurimum præſtiterunt, & Iuliani amentiſſimi & profligatiſſimi hoſtis impetum fregerunt. Hac excelluit Athanaſius, quem nec ſæviſſima periculorum tempeſtas, nec humanorum commodorum aura unquam de ſuo curſu dimovere potuit, quin impium & conſceleratum Arrii furorem comprimeret. Hac floruerunt Chryſoſtomi, Auguſtini, Cypriani, qui Chriſtianæ Reip. lumen clariſſimum exſtiterunt.* Quare ſi ad utilitatem & Neceſſitatem Eloquentiæ me convertam, neſcio, ſanè, quid prius, quid poſterius in illius laudem gloriamque dicturus. e) *Quæ in omnes Reip. partes, in Forum, in Eccleſiam, in ſocietatem hominum univerſam uberrimo ſe fructu diffundit.* Illa, in Tribunali-

 bus,

a) *Horatius.* b) *Vide Gymnaſ. Eloq. parentis mei. pag.* 16. c) *Cicero.* d) *Soarez in præfat. ſuæ Rhetorica.* e) *Eloq. Gymn. Tar. p. m.*

bus, Cauſarum Patronis operam ſuam & auxilia præſtat; reos nocenteſq; ſuppliciorum metu coërcet; vim à bonis, injuriam à ſingulis propulſat. Illa in acie milites oratione inflammat, ad capeſſendam cum hoſte pugnam ſtrenuâ voce hortatur; pro patriâ nullum periculum ſubterfugere, exemplorum magnâ ſerie perſuadet. Vis de Divinis rebus ex ſuggeſtu ad populum magnificè loqui? Hac ipſa perculſos fractoſque peccatorum conſcientia animos conſolaberis; & improbos, ſcelerum ſuorum injecta formidine, acriter percelles. Quæ una ſi ab Eccleſia & Iudiciorum ſacris excludatur, in denſiſſimas ignorantiæ tenebras totum prolabi Remp. neceſſe eſt. a) *At ſimplex veritatis eſt oratio. Non diſſentio; nec eget exquiſito verborum ornatu, quo ſe Doctorum gratiæ, ſumpto quaſi fuco, commendet: at, ut ſe rudi inſinuet plebi, operam illi amicam præſtat Eloquentia. Magnum habet Orator perſuadendi præſidium, ſi de fide, de probitate, de Sapientia bene apud populum audiat. At longè maximum, ſi manum Virtuti & copias auxiliares præbeat Eloquentia.* Quod ipſum, Hercule, in aliqua Facultate ſcientiaque verſantibus luce meridiana eſt clarius. Ad cujus culmen & faſtigia nemo unquam feliciter pervenit, ſine artificio Eloquentiæ. b) *Qua de cauſa ſtudioſè colenda eſt Ars, ut quæ viam & rationem dicendi doceat. Etſi enim magno ingenio præditi quidam dicendi, ſine arte, copiam ſunt conſecuti, ars tamen certior eſt dux quàm natura. Et* c) *intereſt permagni, ſtudium & ardorem quendam amoris aſſumere, ſine quo cum nihil quicquam egregium, tum certè Eloquentiam nemo unquam conſequetur.* Contemplare ab omni ævo homines ingenio doctrinaque præclaros, Græcos omnes & Romanos excute. Nemo illorum omnium, quem non ſuus, ut ſic dicam, Genius, & in primis incunabulis fovit ac produxit Eloquentia. Vis aliquem divina virtute præſtantem Theologum

a) *Eloq. Gymn. Par. p. m.* b) *Soarez.* c) *Cicero.*

logum? non ſine hac Magiſtra unquam magnus evaſit. Legum Iuſtitiæque ſacris initiatum? nomen ſuum decuſque illis artibus debet. Hippocratem aut Galenum aliquem? Ipſa Eloquentiæ penna ad poſteros illos tranſcripſit. Vis amplius in aurem tibi dicam, *Adoleſcens*: quæ ſola ſit cauſa, quod in omni doctrinarum genere tam pauci verè excellant? Quia nunquam Ægeriæ illos ſeceſſus, ac venerantem in Tullianis Myrteis Bene dicendi Venerem intra pectus ſuum penetrarunt.

a) Omnem igitur lapidem move, ut in Duplici illo Campo, quem nunc tibi præſcripſi, PHILOSOPHIA & ELOQUENTIA ingenium tuum induſtrius exerceas. Dabit ingentes tibi fructus Biga hæc pulcherrimarum Artium. Tunc inprimis illarum voluptate perfruiturus, cum emenſus ſtudiorum curriculum, de Divinis rebus in ſuggeſtu ad populum verba facturus. Quod ut Reip. & Eccleſiæ Bono benè feliciterque vortat, DEUM OPT. MAX. ex animo precor. Qui & Belgium noſtrum, periculoſo hoc mundi tempore, quando cuncta incendiis ferroque devaſtantur, contra Facunctorum injuriam & Tyrannos ſuæ clementiæ clypeo protegat ac conſervet. Inclytam & illuſtrem ALCMARIAM; & in illâ vos, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Clariſſimi, Reverendi, Doctiſſimi Viri*, diu vita incolumes ſoſpiteſque tueatur. Noſtram IUVENTUTEM Virtute ſapientiaque probè inſtitutam, ad ſui nominis gloriam, Reip. ſalutem, ſingulorum gaudia ac jucunditatem ſanctiſſimè ducat, doceat, promoveat, domi foriſque Orbi Chriſtiano Pacem & Concordiam largiatur. Per *Filium Suum, Dominum Noſtrum IESUM CHRISTUM: Cui ſit Laus, Honor, Gloria & Gratia, in Secula Seculorum.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ.IↃ.CXLIV. 2. *Apr.*

ORA-

a) *Concluſio.*

Digitized by Google

ORATIO VII.

Funebris in Obitum

Nobiliſſimi, Cl. Doctiſſimi Viri,

D. ADAMI FORESTI, Med.Doct.

SENAT. COS. & TRIB. ÆRARII.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Reverendi, Clariſſimi Viri, Audd. HH.

FAtalis hic eſt dies univerſæ Reipublicæ, quod Principem Bataviæ VIRUM terræ matri ſepulchroque mandavimus. Eſt fatalis & lacrymabilis hic, inquam, dies, quòd inclytâ virtute ſapientiaque cumulatiſſimum virum. D. ADAMUM FORESTUM, triſtiſſimo, prô dolor! caſu amiſimus; quòd illum Reip. à tot annis Atlantem; quòd fidiſſimum Patriæ parentem; Vindicem literariæ ſalutis extremo nunc honore proſequimur. Dole vices tuas univerſa Reſp dole; nunc alteram quæ manum perdidiſti, & prudentiſſimo deſtituta rectore in multam noctem miſeriamque impingis. Vos meritò, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi viri,* meritò, inquam, toti lacrymis luctuque ſordidi atratique inceditis. Qui ſinguli aut Collegam, aut Socerum, aut Patruum, aut Affinem, aut Cognatum, aut Amicum hac hora ad rogum & cineres, inopinatâ morte, extuliſtis. Tota eheu! Civitas à tam acerbo mœſtoque funere langueſcere videtur. In Curia faſces & Secures quodam arcano quaſi metu obrigeſcunt; in Templis Fides, in Senatu conſilium, in Foro æquitas veluti ſubito terrore exhorreſcunt. Vicinia univerſa quàm triſtem, quàm miſerabilem ab hoc vulnere cladem accepit! quæ tota doloribus confecta exhauſtaque. Omnes, eheu! omnes inter vota & gemitus exanimum lugemus FORESTUM:

FORE-

FORESTUM proſequimur lacrymis omnes, luctuque ſupremo. Si foras & in vulgus proſpicis, circumſonat tuas aures horror fragorque ejulantium. Quoquò te vertis, audies niſi gemitus & ſuſpiria pauperum pupillorum, vides inopum viduarum ſpem perditam ac derelictam. Uno nuper in vivis FORESTO, ſatis omnes felices fortunatæque. O cladem unius Viri nunquam ſatis deplorandam! ô Reip. dolorem inexhauſtum! ô noſtrum cujuſque vulnus immane ac acerbum! Quid eſt dira Nemeſis, quòd ſpem piorum ſic fruſtra habes? quòd Florem decuſque virorum tam immaturâ falce proſcindis? Quaſi non ſatis malorum triſtiumque rerum ſuperſit, ut tam quoque nefando funere nos miſeros excrucies. O ſi illis vitæ uſuram adimeres, quos vanus error aut impia Ambitio tranſverſos rapit; quibus impotens ventris venerisque libido, quàm honeſtæ ſalutis ratio potior. Tunc tu æternum in terris ſuperſtes manſiſſes, Tu ô Divine in cœlis FORESTE! At nunc te unum rebus mortalibus exemptum, immane quantum! dolemus. Unum Te, dive FORESTE, ardentiſſimis votis ſuſpiriiſque jugiter appetimus. Te tot Civium ſolliciti amplexus quantâ cum ſpe deſiderant. Ut Te unum ſuæ ſenectutis ſolamen noctes dieſque dilecta implorat Marita, dulceſque ſuſpirant Nepotuli. Quos ad unum omnes meritò ſquallor luctuſque obſedit.

Sed privatas Ego lacrymas, tantique Funeris juſtum dolorem meo hic planctu & querelis adjuvare non debeo. Ut Reip. ſuum vulnus & clades palàm conſtet, opera diligentiaque adhibenda.

Vos *Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Spectatiſſimi Viri,* quando Parentali oratione hîc utor, oro obteſtorque, ut, τοῦ μακαρίτου illuſtri memoria atque nomine, veſtros mihi ſingultus lacrymaſque affatim ſuppeditetis. Flebilem triſtemque perſonam hîc ſuſtineo, & veſtrum omnium ore & exſpectatione

tione illuſtres Defuncti manes nunc unus, in hac Muſarum Palæſtra, poſtremo honore afficiam. Vos, atrati Iudices, tali me dicentem patientia benignè comitemini, quâ olim in vivum, in virum conſularem, in publicum ærarii præfectum, in Clariſſ. Doctiſſimumque Hominem fide & obſervantia propendiſtis.

Si unquam illuſtris Alcmariæ ater funeſtuſque dies illuxit, ille ante alios fuiſſe mihi videtur quando immortali virtute, ſummâque ingenii præditum præſtantiâ, ac ſupra humanæ ſortis ſublatum menſuram, inclyti nobiliſſimique ſanguinis, D. ADAMUM FORESTUM, de vitæ ſuæ ſtatione migrantem vidiſtis. Cùm nulla mors periculoſior, magiſque extimeſcenda, quàm præſertim talium virorum: quorum cervicibus atque humeris tota Reip. ſalus, tanquam tutiſſimis columnis innititur. Nam cætera omnia, ſive publica ſive privata ad communem imperii felicitatem ornamenta conſideres, facili laborepretioque reſarciri queunt. Sed præſtantium Ingeniorum jactura nullo tempore, nullaque ſolertiſſimi Senatus curâ reparari rependique poteſt, Quicquid fortunæ levitas ad caducas opes adjicit, nihil unquam ſtabile, aut æternum humano generi pollicetur: cùm intra ſuum punctum & anguſti ſpatii terminos hæc fluxa & mortalia conſiſtant. At illa priſcæ virtutis æmula Majeſtas ultra omnes annorum metas temporumque fines longiſſimè ſe protendit. Tantò nunc magis Parcarum invidiam triſtiſſimis animis dolemus, quæ, pro dolor! Senatoriæ dignitatis Principem virum triſti letho ſubmerſit, Qui quot annos Reip. dictaturæ impendit, multò minus pro ſuo ſuiſque, quàm pro aliorum uſu atque commodis perpetuò vigilavit. Nunquam laboris tædiorumque ſatur, quando utilem communi Rei operam navare poſſet. Quotuſquiſque ad negotiorum novos fluctus, tanquam ad ſcopulos exhorre-

horreſcit! Quos hic omnes indefeſſo ſtudio, maſculè fortiterque ſuſtinuit. Cui cum à laboribus publicis honeſtam miſſionem lex & jura concederent; publicæ civitatis ſuffragia ſententiamque ſequi maluit, quàm ſe illo ſenectutis prætextu à moleſtiſſimis in Rep. occupationibus, cum alieno dolore, ſubducere. Nimis ampla mihi oggeritur materies, qua in tanti viri laudes excurrere nunc poſſem: niſi lacrymis ego fundendis, quàm laudibus enarrandis diſertior eſſe velim. Ille, prô dolor! qui quadraginta in annos patriam Reip. curam impendit; Qui legum civiumque patrocinium tanta fidelitate ſuſcepit, magiſtratum toties aſſumpſit & depoſuit, publicum Ærarium ſummâ religione adminiſtravit, vos, tanquam oculos ſuos fraterna charitate complexus, Hic nunc duro gelidoque ſub marmore, quicquid in illo mortale & caducum fuit, ad quietem æternumque ſilentium depoſuit. Qui noſtrum, eheu! neminem ſuis poſthac oculis in hiſce terris contemplabitur. Riget frigetque nunc os illud Sacrum quo toties mire conſilium profeſſus. Iacet nunc, eheu! altis in tenebris illa antiquæ virtutis proba, ac ſine fuco facies. Obriguêre jam dudum tranquilli animi indices oculi; non pes, non manus officium facit; ſilet divina quondam iſto in cerebro prudentia. Stant muto murmure in clauſtris Muſeorum ferales Muſæ: quæ niſi vanas nunc umbras pro ſuo, heu! quondam Domino, agnoſcunt. Heu! miſelle, FORESTUM quid voce tuâ inclamas? Cede viator, cede; nec amplius ab illa mente opem ſolicita. Terras reliquit FORESTUS, & jam cura corporeque totus liber, in cœlo, in Chriſti gremio lætos agit Triumphos. O Virum ſupra omnes faſtos & annales laudabilem! In Te, Dive FORESTE, quando adhuc in terris mortalem Spiritum ducebas, omnis nota virtutis exiſtit. In Te clara luce refulſit *Scipionis* & *Lalii* amicitia,

Ari-

Ariſtidis juſtitia, *Pythagora* temperantia; in Te *Lycurgi* fides, *Catonis* prudentia, *Epaminonda* ſinceritas, *Platonis* frugalitas. Et quæ cætera virtutum promiconda Hiſtoria Principi viro adſcribere unquam valet. Talem nunc Virum, mœſtiſſimi Audd. terra tegit. Raro agnoſcimus, quod in vita eſt magnum. Nam

a) *Virtutem incolumem odimus,*
Sublatam ex oculis quærimus invidi.

Dico libere, & per luctum extorta verba: Qui FORESTUM terris redonare velit, non niſi ipſius fiat FORESTUS. Quotuſquiſque, ubi in ſplendidam fortunam evectus erectuſque, mox ſupra modum & morem turpiter inſoleſcit! Alius *Caligulam, Neronem, Cleopatram* in gulæ corporiſque deliciis malitiosè imitatur Alius *Mileſios, Sybaritas, Lucullos* ad cœnas & cereos tanquam ad vivum exprimit. Sunt, qui *Alexandros, Demetrios, Heraclidas* pari animo faſtuque metiuntur. Pauci verò *Curios, Cyros, Platones* ac *Foreſtos* agunt. Qui etſi antiqua & nobiliſſima familia oriundus, inter purpuram & pompam à teneris educatus; quis ille, qui tanta modeſtia virum, tam præclara fide, tam antiqua ſimplicitate ac virtute, unquam in vita exprimat? In quo nemo bilem ac ſalſuginem in tota ſua familia animadvertit; nemo ingenii arrogantiam, invidiam, calumniam aut venenum aliquod perverſæ mentis invenit. Et qui nullum unquam, quæ ſumma eſt Principum virorum virtus, triſtiorem à ſe demiſit. In moribus ad priſci Catonis normam; in habitu cultuque corporis ad veteris ævi modeſtiam; in verbis geſtuque ad omnem decentiam ab ipſa rerum natura præclarè factus & inſtitutus. Liceat mihi cum ſancto vate exclamare: b) *Juſtus perit, & nullus homo cogitat in animo ſuo.* Atque utinam! ſine gravi malorumque præſagio mors iſta evenerit! Cùm hoc inprimis pru-

a) *Horat.* b) *Ieſ.* 47. 1.

prudentiæ illi divinæ familiare eſſe ſoleat, ut ſi mortalium flagitia regnorumque libidines ſuppliciis expiare velit, tum præſtantium virorum Ingenia de mundo ac medio ſuſtollat. *O vita fallax, ut abditos ſenſus geris!* quamque contempta res Homo, niſi ſupra humana ſe erexit. *Temporis punctum ſumus,* a) & nos caduca, tanquam divinum aliquod nectar appetimus? Bene vivere, bis vivere. *Ille beatiſsimus eſt, & ſecurus ſui poſſeſſor, qui craſtinum ſine ſolicitudine expectat.* Et ſi dies aut hora una læta, nunquid illi centum aliæ velut ex decreto ſuccedunt & excipiunt! Quare meritò Antiquitas cum fabula Hiſtrionum vitam noſtram comparavit; *Cujus ultimus actus eſt ſenectus, vita decurſa, peracta Fabula. Trica & ſpina hac omnis vita, & falleris, ſi quaris in eâ gaudiorum flores,* Apud Deum vita longa non optima, ſed innocentiſſima. b) Ut *Athleta in ſtadio oculos ad metam & bravium intendunt, ſic noſtra mens ad cælum & aternam illam palmam.*

Vis verâ imagine Tibi hominis vitam exprimi? Age, iterum in c) *ſcenam & fabulam oculos deflecte. Prodeunt reges. Satrapa, alia officia, & quidem Satellites ac perſona in ſpeciem & multa. Ecce alii diutius ex iuharent in ſcena & loquuntur; alii oſtendunt ſe tantùm & vocem non edunt.* Simile nobis eſt, qui vario munere aut dignitate in theatrum hoc univerſi mittimur. Alii ſilentio tranſimus, aut oſtendimur tantùm. Nihilo tamen deterior ille, qui non diu hæſit, quàm ille, qui Regem aut longum carmen egit. d) Et pulchrè *Seneca: Omnes Lucili, horas complectere: ſic fiet, ut minus ex craſtino pendeas, ſi hodierno manum injeceris. Dum differtur vita tranſcurrit, & quicquid atatis retro eſt, Mors tenet.* Vah! miſelli mortales, ut parum illa veterum ſophorum monumenta ad mentem noſtram admittimus! Et cùm una lethali hora nihil in rebus hu-

manis

a) *Lipſius variis locis.* b) *Lipſius.* c) *Lipſius.*
d) *Seneca.*

manis ſit certius, nos præter propter vitam improbè vivimus: a) *ſemper minores nos natu fingimus, nobis ipſis mendacio adblandientes, & tam libenter fallimur, quàm ſi Fata unà decipiamus.*

Hanc vitæ degendæ firmiſſimæ regulam, Tu ô Dive FORESTE, priuſquam corpore diſcinctus; ſumma ſolertia Cœleſtique inſtinctu, per omnem vitam expreſſiſti. Templum tua tibi domus atque animus fuit, in quo ſalutis æternæ curam & cuſtodiam tanquam vigil excubitor exercens verum Chriſtiani militis officium expediviſti.

Felix, qui funere pulchro
Regna beatorum cœlica victor habes.

Nunc ad vos revertor, Atrati Iudices, & lacrymis abſtinere jubeo; Remp. tamen univerſam ſuum vulnus in perpetua memoria retinere. Quæ, vereor, Tanti viri infelices obitus nunquam tuto ſatis ſilentio involvit. Vos inquam, *Nobiles Amici* triſtes jam lacrymas luctumque abſtergite. Satis atque abundè ubique dolorum eſt, ſi tota Batavia, ſi publici faſces, ſi Senatus & Curia veſtem hodierno die mutarint. Privatæ deliciæ & honos eſt, Amiciſſimi Hominis memoriam tanta cum laude ad poſteros tranſmittere. Atque hoc in nobiliſſima familia magnum Solatium publicam civium Salutem privato vobiſcum vinculo quàm arctiſſimè conjunctam eſſe. Cùm nihil virum prudentem magis afficiat, quàm majorum famam virtuteſque in ſera poſteritate agnoſcere. Vulgus hominum non illuc mentis acie pertingit, ut literarum ac virtutum cenſus ex merito æſtimet: Quod externus ſplendor plus ſæpe oblectat, quàm aliquod Solonis aut Lycurgi oraculum. Sed prudens pudenſque vetuſtas rectiore mentis oculo res Majorum geſtas intuetur: apud quam vita glorioſè inſtituta, cum Avorum virtute & meritis, nullo unquam tempore obſoleſcit. Vivet in omnium ſeculorum perpetuita-

a) *Lipſius.*

tuitatem, cum iſthoc genere & familia, ὁ μακαρίτης noſter, vivet. Et jam ſolutus vili fragilique corpuſculo, anima rectius in cœlo fruitur: ubi ſupra omne mundi nefas & ludibrium, tanto auguſtior, illud cœli convexum oculis ſuis coram rimatur. Quid eſt, *Nobiles amici*, quòd faciem genaſque pungitis? quòd tanta intus ſuſpiria trahitis? quòd vix paululum de mœrore & lacrymis abſiſtitis? Invidia eſt, quos cum gloria vitæ terminus hinc ad cœleſtia illa tranſtulit, illorum in terris præſentiam nimis acri deſiderio ſuſpiremus.

Κρεῖσσον εἰς ἅπαξ θανεῖν
Ἢ τὰς ἁπάσας ἡμέρας πάσχειν κακῶς.

Cœlum Patria eſt, Cœlum Solum natale: quò nos ſingulos ultimus & decretorius ille dies certa lege deſtinavit.

a) *Illi mors gravis incubat, qui notus nimis omnibus, Ignotus moritur ſibi.*

Ecquid aliud mentis noſtræ origo, quà illa à cœlo cum corporis ſocietate quadam diffuſio commixtioque? Quo tandem per Senium morboſque deficiente, remigrat mox inde hoſpes Ratio, auræ illa divinæ particula: cui cum ſordido terræ pondere nihil unquam affine aut cognatum. b) *Quis as aut metallum perire dixit, cùm liqueſcit & ſtatua ex eo funditur? Non perit, ſed honeſtatur.* Idem in nobis, qui ex informibus & infirmis ſplendidam illam imaginem Dei tranſimus. Sapiens *Seneca* inquit: *Mors medicina malorum eſt, refugium & aſylum, & in his mundi fluctibus portus, quem ſapiens nunquam fugiat, imo, Deo vocante, totis velis in eum feratur.* Injuriam facitis quietis Manibus Amici, ſi fatum, ſi æternam ab æterno in æternum Dei legem, tot acribus Iambis iratiſque vocibus proſcinditis. c) *Quiſquis aliquem queritur mortuum, queritur hominem fuiſſe; omnes eadem conditio devinxit: Cui naſci contigit, mori reſtat.*

Omnes

a) *Seneca.* b) *Lipſius.* c) *Seneca.*

a) *Omnes eodem cogimur, omnium verſatur urna, Serius, Ocyus ſors exitura.*

Neque aliquid tam ſecuris radicibus nititur, in quod violentia Fatorum non valeat.

b) *Certo veniunt ordine Parcæ, nulli juſſa ceſſare licet.*
Nulli ſcriptum proferre diem; Recipit populos urna citatos.

Et iterum Lyricus:

Linquenda tellus & domus & placens
Vxor: neque harum, quas colis arborum,
Te, præter inviſas cupreſſos,
Vlla brevem dominum ſequetur.

Equidem, quid vita hæc noſtra quam eripi lugemus? c) *Ludibriorum ſcena, Miſeriarum mare, per quod ut maximè ex voto feratur navis, tamen in multos ſcopulos impingas, multis vadis obhareſcas neceſſe eſt.* Et pulchrè d) *Epictetus*, vitam fortunæ conjunctam torrenti ſimilem eſſe dixit: turbulenta enim, plena cœno, ingreſſuque difficilis, violenta & obſtrepeta eſt, & breve tempus durat. Nec immeritò cum ſapiente iſto interrogem: Quid βίος nisi βία? Quid σῶμα niſi σῆμα? quid χρῆμα, niſi στῦμα. Quid δέμας, niſi δεσμός? Quid γένεσις, niſi εἰς τὴν γῆν ὦσις?

Video, *Nobiliſſimi Audd.* quòd naturæ lex, quòd fatalis moriendi neceſſitas aliquid levamenti ad communem dolorem adferat, & tanti viri jucundiſſima memoria veſtros paulatim luctus aliquâ ratione componat. Hoc tamen vos ſingulos graviſſimè affligit, quòd tam ſubitò, tamque inexſpectato caſu Socerum, Patruum, Affinem, Collegam amiſiſtis. Et, ne puſillo colloquio illud ultimum prô dolor! in vita VALE, vobis mutuo comprecati ſitis. *Ferendum quoque patienter, quicquic corrigere eſt nefas.* Pro remedio exemplis utar. *Iulius Cæſar.* cùm inter cœnandum ortus eſſet ſermo,

a) *Horat.* b) *Seneca.* c) *Lipſius.* d) *Epict.*

mo, quòd genus mortis eſſet optimum? Inopinatum. Utcunque felicior eſt, a) *quem ventus acrior cito in portum pertulit, quàm venti ſegnes & longa tranquillitas lentiſſimo tædio delaſſerunt: ita & fortunatior, quem feſtinata mors ſtatim his vitæ malis exemit*. Neque hoc novum eſt, de improviſo ad mortem appellere; cum vulgaris querela ſit: b) *Quis eum putaſſet tam præcipitis Fati?* Sic aliquis *Anacreon* unius uvæ grano ſuffocatur; *Sophocles* inter riſum & gaudia emoritur; *Fabius Prætor*, hauſto in lacte pilo, animam agit; *Tarquinius priſcus*, ex oſſe piſcis, in gutture transverſo, vitam amittit; varia ad illam metam fert via: c) *clivoſa, plana, brevis, longa, eadem tamen omnibus quies, cùm pervenere*. Age, æquiſſimo animo expecta hunc diem, quo Imperator hoc corpore, imò carcere te ſolvet. *Dies ille, quem tanquam extremum reformidas, æterni natalis eſt.*

Volens nunc plura prætereo; quæ in rerum humanarum viciſſitudinem vitæque noſtræ lubricitatem hoc loco adferri poſſent. Illud præ omnibus maximè optandum, ut nos, qui terreſtrem corporis adhuc molem circumferimus, magis religioſe feliciterque fatalem moriendi neceſſitatem apud animos noſtros expenderemus. Et tanti VIRI divinas virtutes, ac in omni vita admirabilem continentiam, Modeſtiam, Frugalitatem nobis quoque ad imitationem & exemplum proponeremus.

Hoc Tu olim in vitâ, nunc in Cælo nos doces
O Divine FORESTE!

Faxis ô cœleſtis æterne DEUS, ut nos omnes vitæ noſtræ actiones, ad ſacram tui verbi regulam rite rectèque dirigamus; & poſt hæc putridæ mortalitatis tot tædia ac miſerias tandem æternum illud in cœlis cum CHRISTO FORESTOQUE gaudium poſſideamus. DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ. IↃ. C. XL.

HORA-

a) *Seneca.* b) *Seneca.* c) *Lipſius.* d) *Seneca.*

ORATIO VIII.

In Promotionem Diſcipulorum,

Cum de Vitiis Iuventutis perorasſent.

De DILIGENTIA & VIRTUTE exercenda.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Clariſſ. Doctiſſ. VIRI: *Et vos Deo & Virtuti dicata pubes, Adoleſcentes Chariſſimi.*

AD vivum, fateor, ingenium & mores veſtros depinxiſtis: quando nunc turpiſſima VITIORUM monſtra Oratione veſtrâ in medium protrahitis. Adeò in turpi materia diſerti, ut non Apelles aliquis aut Protogenes vobiſcum hoc loco de artificii ſui præſtantia contendat. Scilicet in hoc uno omnes valdè eloquentes ſumus, quod quiſque in foro ſuo ac provincia quotidiè exercemus. Vobis, Chariſſimi Adoleſcentes, quanquam ad Virtutem vitæque rectitudinem non præſtantiſſimi Præceptores, non clariſſima inſtituta deſint, tanta tamen teneris animis innata ſocordia atque malignitas, ut, quàm tuto mihi caveam à tam formidoloſis Scholarum prodigiis, neſcio, quod uſquam mihi aſylum perfugiumque inveniam. Penè, ut cum Philoſopho exclamem: a) *Adeò in publicum miſſa nequitia eſt, & omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, ſed nulla ſit: undique velut ſigno dato ad fas nefaſque miſcendum coorti ſimus.* Inprimis, prô dolor! tam deperdita hoc ævo juventus, ut peſſimi mores ac vitia pene in conſuetudinem ac naturam tranſierunt. Sed, abſit in Vos ſolùm, Adoleſcentes, qui tamen veſtras quoque maculas & ſordes habetis, ſeculi injuriam culpamque detorqueam. De univerſo puerorum cœtu,

a) *Seneca.*

cœtu, de Scholarum communi malo nunc queror. Nec erubeo publicè hoc dicere, quod Academiæ & Lycæa tantâ indies voce clamitant. Vbi hoc perpetuò ad aurem occinitur: quòd corrupta ſit Iuventus, quòd negligantur diſciplinæ, quod emoriantur Scholæ, quòd Academia in infantiam abierit. Quæ clariſſimorum hominum de noſtris temporibus querela, quod magis, quam meridiana, ut dicitur teſte comprobetur. Ego pauciſſimis hoc loco, Audd. oſtendam. VOS, VIRI *Nobb. Clariſſ. Doctiſſimi*, benignè, quæſo, patiamini lethalem Reip. Literariæ peſtem vobis in medium nunc protraham: ſi fortaſſe, in viſceribus ſuis fibriſq; malo reperto, ægræ Iuventuti Opitulator ſubveniam.

Meritò hodie de SCHOLARUM interitu Viri boni conqueruntur, & jam, neglecta Iuventutis proba inſtitutione, magnam barbariem tenebraſque nepotibus ſuis imminere, haud falsò prænunciant. Siquidem florentis Reip. optima ſunt initia, quando privatorum civium vita ad decus & virtutem componitur, Liberorum ſuorum Educatione non in poſtremis repoſita. Denique, ſi apertis Gymnaſiis, clariſſimi homines ingenuas artes maxima cum laude profitentur. Quæ publicæ felicitatis divina remedia ſi ſemel in contemptum veniant, domi foriſque liberorum cura neglecta, quis fortunatam nobis poſteriſque Remp. polliceatur? Atque illò, prô pudor! inclinare res noſtræ potiſſimùm videntur, ut informandæ Iuventutis operoſo labore pro vili abjectoque habito, in Cimmeriam Vandalorum ignorantiam paulatim deſciſcamus. a) Ad juventutis noſtræ depravationem & corruptelam immane quantum! nimia Parentum indulgentia & tenellus ille in ſuos liberos faciat affectus, meminiſtis hoc loco nuper me dixiſſe. Nunc inprimis lubricæ ætatis errorem & mala deſcripturus, cum

a) *Indulgentia parentum.*

Scholarum immanibus Monſtris alter quaſi Hercules depugnabo. Ecce occurrit primò conflictu terribili ac ſupino vultu, & cadaveroſa facie Tartarea NEGLIGENTIA;

——— *Di talem Muſis avertite peſtem.*

Ad quam ſi Harpyas omnes, ſi Stymphalicas aves, aut Lapitharum Centauros comparetis, vix tanta monſtra levem terrorem incutiant, præ illa prodigioſa unius Negligentiæ magnitudine. Cum hac immaniſſima Bellua dies noctesque fortes congredimur. Nec intermittenda hæc acies, niſi, ſumpto in furorem ſpatio, illa vires ſuas ac venena recolligat, & tanquam Hydra aut Scorpius aliquis toties ſuis capitibus renaſcatur. Semper in caſtris armiſque pervigilandum. nec unquam fas telum de manu deponere: ni novum certamen & pugnam depoſcas. a) *Serpunt enim hæc vitia, & in proximum quemque tranſiliunt, & contactu ſuo nocent.* Patere non iniquo animo, Adoleſcens, quod ſocordiam ac inertiem tuam cum mala beſtia aut venenoſo Serpente conferam. Qui adeò multum negotii Doctoribus tuis faceſſis, ut toties luctari in arena, aut nudi cum Diogene ad nivales columnas exercere ſe malint, quàm cum præpoſteris tuis moribus ac rigida cervice quaſi bellum habere. Quid enim boni Præceptoris animum magis lancinare queat, quàm ut ſua doctrina & inſtitutione nihil apud illum proficiat, quem omni ſudore atque viribus ad Virtutem & Sapientiam elaborare contendit? Quod triſtius magiſque tragicum theatrum ingredi poſſis, quàm ubi offendas circum te homines in Brutorum ſpeciem transformatos, fucos inanes, ſimias ineptientes, equos indomitos, pecora Arcadica a) *quibus pigrum corpus, & ſuper membra iners ſagina ſuccreſcit?* Nos ſi ad famam vitæque ſplendorem ſtudioſè cohortamur; Vos ſalutares admonitiones rem quaſi indignam æſti-

a) *Seneca.* b) *Seneca.*

æſtimatis. Nos ſi cum Socrate optimum in terris animal, Hominem doctrina excultum dicimus; Vos nugas ac inania puerorum crepundia docere nos putatis. Si veritatem in imo Democriti puteo poſitam Vobis perſuadere cupimus; Vos ſupremis in labris rerum notitiam prognaſci ſtultè vobis imaginamini. Scilicet, hoc pede adituri illum bicipitis Parnaſſi verticem: nude in os veſtrum divina ſapientia plenis ſuis fontibus defluat. Si per violis & roſis ſtratum iter ad Muſarum Helicona adſcendere liceat, ſi intra ludum & jocos rerum ſcientiam conſectari queas; aut, facta quaſi licitatione, in poſſeſſionem virtutis irrumpere: credo, pigros tuos lacertos aliquouſque exporrigeres. Aſt ille, *πόνος εὐκλείας πατήρ*: Labor, Adoleſcens, labor, inquam, intendendus. Siſyphi illud ſaxum, Ixionis illa rota jugi opera volvenda, ſi illuſtri aliqua fama ad hominum memoriam velis inclareſcere. Quo non pigro otio, non ignavia; nec per illecebras aut voluptatem pervenitur. Sed, ut olim, Imperator Veſpaſianus: *μηδὲν ἀναβαλλομένῳ.*

a) *Non quiſquam fruitur veris odoribus*
Hyblaos latebris nec ſpoliat favos,
Si fronti caveat, ſi timeat rubos.
Armat ſpina roſas, mella legunt apes.

Vt enim roſa, flos unus omnium gratiſſimus de ſpinis naſcitur: ſic è triſtibus & aſperis laboribus fructus capitur jucundiſſimus. Ideo,

Εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς, monebat Apollo.
Γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος, exclamabat Solon.
Τὴν ἀρετὴν εἶναι διδακτικήν, Antiſthenes.
Μοχθεῖν δὲ βροτοῖσιν ἀνάγκη. Comicus.

Certè, nihil magis offendit diſcentium animos, quàm Educatio mollis & blanda. b) *Neque reſiſtet offenſis, cui nihil unquam negatum eſt, cui lacrimas ſolicita ſemper abſterſit mater, cui de Pædagogo ſatisfactum*

a) *Seneca* b) *Seneca.*

factum eſt. Per aſpera & ſalebroſa viarum virum fortem eniti oportet. Præcipitia ſunt ac prærupta locorum, ad quæ Virtus vocat; noli in imo ſubſiſtere. Ad dura atque invia Conſtantia nos ducit; Vos macti gradum conferte. *Marcet ſine adverſario virtus.* a) *tunc apparet quanta ſit, quantum valeat polleatque, cùm quid poſſit, patientia oſtendit.* Circumſcribatur nox, & aliquid ex illa in diem transferatur. *Aves quæ conviviis comparantur, ut immota facilè pingueſcant, in obſcuro continentur.* Ita, tu Adoleſcens, cum Carneade, cum Demoſthene in ſubterraneas terræ latebras te abſconde, ut tibi aliquem diligentiæ doctrinæque lautioris fructum acquiras. *Primum argumentum benè compoſitæ mentis exiſtimo, poſſe conſiſtere & ſecum morari.* Nullus tibi dies per otium exeat, partem noctium ſtudiis impende, non nimis ſomno vaca, ſed ſuccumbe, & oculos vigiliâ defatigatos cadenteſque in opere detine. *Aliquis vir bonus tibi eligendus eſt, ac ſemper ante oculos habendus*, ut ſic tanquam illo ſpectante vivas, & omnia tanquam ille videns facias. Quæras aliquid non in ſpeciem bonum, ſed ſolidum & æquabile, & à ſecretiore parte formoſius. *Illa, quibus delectatur vulgus, tenuem habent ac perfuſoriam voluptatem, & quodcunque adventitium gaudium eſt, fundamento caret.* Ille, qui deſidioſum otium ac gulæ & libidinis vices, felicitatem vocat, bonum malæ rei quærit authorem. Agite, macti Adoleſcentes, qui animum facilem & adhuc tractabilem ad meliora convertere poteſtis. Veſtra ætas idonea eſt laboribus, idonea agitandis per ſtudia ingeniis, & exercendis per opera corporibus. nam meliora prætervolant, deteriora ſuccedunt. *Quemadmodum ex amphora*, ait iterum Seneca, *primum quod eſt ſinceriſſimum effluit; graviſſimum quodque turbidum ſubſidit: ſic in ætate veſtra, optimum in primo eſt.* Sed peſſimus quiſque correctorem

a) *Seneca variis locis.*

rem aſperrimè patitur, admoneri bonus gaudet. *Et quemadmodum quadam haſtilia detorta, ut corrigamus, adurimus, & adactu cuneis, non ut frangamus, ſed ut explicemus, elidimus: ſic ingenia vitia prava dolore corporis animique corrigimus.* An vero inviſos eſſe Lacedæmoniis Liberos ſuos quiſquam credat, quorum experiuntur indolem publicè verberibus admotis? Tu quoque, Adoleſcens, quantum ingenio viribuſque ſufferre vales, ad liberales Artes & Virtutem ſummam operam induſtriamque adjunge. Neque à tam divino excelſoque animi propoſito, aut inertium condiſcipulorum exempla te abſtrahant, aut malè conſulentium error ſeducat. a) *Et quos vides barbâ & coma nitidos, de capſula totos, nihil ab illis exſpectes forte, nihil ſolidum.* Illos, qui inter pectinem ſpeculumque occupati; qui Remp. quam comam turbari malunt, tanquam infames ſcopulos ac fallaces Sirenum cantus devita. *Nulla res magis* ait Philoſophus, *animis honeſta induit, dubioſque & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum virorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet frequenter audiri, adſpici frequenter.* Regiam rectamque Virtutis ſemitam ingredere, & cave ad nequam ſodalitia, quæ vitium exulcerant, ſocius deflectas. *Nihil proficient præcepta, quamdiu menti error offuſus eſt.* Omniumque honeſtarum rerum ſemina animi gerunt, qui rectæ rationi obediunt. *Cogita, quòd ſit ampliſſimum vitæ ſpatium, ad ſapientiam vivere*, ut tela fortunæ contemnere, aut præoccupare poſſis. Noli felicem te exiſtimare, quando feliciter tibi ſagina ceſſerit, & inter delicias luxumque tori creverint. *Omnium iſtorum perſonata felicitas eſt, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit.* Poteſt ingenium fortiſſimum ac beatiſſimum ſub quavis cute latere. Igitur Thales cum rogaretur, quem feli-

a) *Seneca variis locis.*

cem haberet, *Qui animo*, inquit, *eruditus, corpore ſanus.* Et Diogenes, *hominem indoctum onus terræ graviſſimum putavit.* Namque unus dies hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas.

Quare Vos, ô macti Adoleſcentes. Qui nunc à noſtra manu & diſciplina ad Atrium illud Libertatis, ACADEMIAM, tranſitis, nunc à benè monente præceptore poſtrema hæc verba, tanquam Oracula, intimis animi medullis fideliter inſculpite. Et ut quiſque ſive ſua, ſive aliena Vitia nunc pulchre eleganterque deſcripſit: ita porrò pro virili operam ſuam ſtudiumque intendat, ne ad anteactæ vitæ ſcopulos, ad quos toties in ſchola impegit, denuo in Academiæ illa Palæſtra turpiſſimè revertatur. *Nam initium ſalutis eſt, peccati notitia. Magna quoque pars peccatorum tollitur, ſi peccaturis teſtis adſiſtat.* Et ſi mea, Adoleſcentes, Oratio, crambe fortaſſe toties recocta, minus aculeorum in ſcrinio pectoris relinquat; agite & ad Sapientiſſimum SENECAM divina voce de pulpito dicentem attendite: Adoleſcens, *ſic vive cum hominibus, tanquam Deus videat,* a) *ſic loquere cum Deo, tanquam homines audiant. Exurge modo & te quoque dignum finge Deo. Sed nemo veſtrum invenitur, qui pecuniam ſuam dividere velit, vitam unuſquiſque. Adſtricti eſtis in patrimonio continuando, ſimul ad temporis jacturam ventum eſt, in eo profuſiſſimi: Neſcitis quædam tempora, quòd eripiantur nobis, quædam effluant? At turpiſſima eſt jactura, quæ per Negligentiam fit. Dimittite iſtas Voluptates turbidas, quæ animum effœminant; Projicite quæcunque cor laniant; irritamenta variorum quàm longiſſimè profugite. Ludos, ineptias, turbæ contagia, ebrietatem, quæ unius horæ hilarem inſaniam longi temporis tædio penſat, ad ſtygias uſque undas demergite. Nam Voluptas humilis & puſilla res eſt, communis cum brutis animan-*

a) *Seneca variis locis.*

animantibus; ad quam minima & contemptiſsima advolant. Ad virtutes diſcendas nunquam præoccupati ſitis, ut ad vitia dediſcenda. Nec tantùm corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligite. Quicquid facitis, citò à corpore ad animum redite, illum diebus ac noctibus exercete. Aliquod quidem intervallum animo eſt dandum, ita tamen, ut non reſolvatur, ſed ut remittatur. Perbibite Liberalia ſtudia, non illa, quibus perfundi ſatis eſt, ſed hæc quibus tingendus eſt animus. Sacer inter vos Spiritus ſedeat, malorum bonorumque veſtrorum obſervator & cuſtos. Nam bonus vir ſine Deo nemo eſt. In uno quoque Virorum bonorum habitat DEUS.

Hâc Oratione, Clariſſimi Adoleſcentes, diviniſſimus ad Vos loquitur Philoſopus.

Ego, de cœlo Optimum Maximum Deum ex animo precor; ut veſtris laboribus ac conatibus Sanctiſſimo SPIRITU benedicat; Eruditionis conſequendæ organa & inſtrumenta affatim ſuppeditet; Virtutis exercendæ copiam & facultatem largiter ſubminiſtret; à Vitiis & Voluptatibus vos benignè præſervet; in vera fide ac pietate perpetuò erudiat. Omni denique loco & tempore ad divinæ Majeſtatis ſuæ gloriam Vos ducat, doceat, cuſtodiat. VOBIS, *Nobb. Ampliſſ. Doctiſsimi Viri*, Faxit rerum humanarum Sator Statorque DEUS, publicè, privatim omnia Fauſta & Felicia contingant. Et inclyta ALCMARIA contra fortunæ tela, contra Hoſtium tyrannidem contra vulgi Imperium ac imperitiam diutiſſime ſarta tectaque ſubſiſtat. *Hoc voveo precorque Æterne & Miſericors* PATER, *propter* FILIUM *tuum D. Noſtrum* IESUM CHRISTUM: *Cui ſit laus, honor ac gloria in ſecula ſeculorum.*

DIXI.

Recitat Alcmariæ, CIↃ.IↃ CXLII. *Kal. Octob.*

ORATIO IX.

Triumphalis, in memoriam Liberatæ

ALCMARIÆ

CIↃ.IↃ.LXXIII. *Octobris.*

HOdiernus eſt Dies, *Nobiliſſimi. Ampliſſimi, Clariſſimi, Doctiſſimi DD. Auditores*, quo Illuſtris Civitas ALCMARIA ex crudeli Hiſpanorum carnificina, ac truculentis erepta manibus, Divino de Cœlis auxiliante Numine, ſe in auream Libertatis ſuæ ſedem & aſylum tam glorioſè quam fortiter vindicavit. *Hic eſt ille Dies*, quo à Veſtris cervicibus intolerabile ſervitutis jugum rejectis; quo corpora & animas veſtras de hoſtium manibus extorſiſtis; ab uxorum pudicitia adulterum tyrannum, ab ingenua filiarum verecundia impium ſtupratorem depuliſtis, à Liberorum veſtrorum incunabulis communem interitum, & ſtragem univerſæ civium ſalutis, cum bellicæ fortitudinis immortali fama, Herculeo conatu amoviſtis. *Hic eſt ille*, inquam, *dies*, qui majoribus veſtris, tota penè conclamata Republica, Libertatem cum ipſo ſpiritu, vitam cum omnibus fortunis in integrum reſtituit; qui Templa, qui religionem adverſus nefarios Idolorum cultus ſartam tectamque ſervavit: qui contra impias inimicorum molitiones, contra diabolicas tyrannorum verſutias, contra improbam libidinem ac Lupanaria, fas, fidem, caſtitatem, univerſam Reipub. incolumitatem integram ac indelibatam defendit. Quod hanc ipſam animam tranquillè lubenteſque trahitis, quod ſuum quiſque larem familiarem cum benigno gaudio poſſidetis, quod inter blanda conjugum oſcula, inter amœnos liberorum complexus jucundè hæreatis, huic Hodiernæ luci jure meritoque

toque acceptum referimus. Quod hoc ipſo momento divinæ orationis Suada in Deum ac fidem ſingulariè inflammati; quod ſalutaria de ſalute veſtra conſilia auribus animiſque imbibiſtis; quod fulminantes in hominum vitia facundiſſimas Theologorum linguas audiviſtis; quod fana & delubra, quod aræ & foci, omnia ſacro & ſolenni triumpho reſponderint, facit præſentis victoriæ magnitudo ac jucunditas. Tu mea dulcis ALCMARIA, ſi truci Hiſpanorum manu ac crudeli barbarie violata fuiſſes, ſi ſub jugum & carceres ignominioſè redacta, vah! quàm triſtem, quàm tetricam rerum ubique faciem vidiſſemus. Omnes profectò, omnes aut horribili mortis genere jam dudum de medio ſublati, aut deploranda ſervitute oppreſſi, in ſitu ac ſquallore eheu! in tenebris clauſtriſque vinculorum funeſtum & lamentabilem vitæ curſum tranſigerèmus. Nemo, qui Reip. clavum ſub Chriſtiani nominis authoritate moderaretur; nemo, qui leges propagandæ Libertatis, ſine capitis ſui diſcrimine, ſuſciperet; qui aut ſacra divini verbi myſteria ſine metu explicaret; nemo, qui in docendâ Juventute provinciam capeſſeret, qui tenellos illos animos aliquo ſacrarum artium liquore perfunderet. Omnia ſub profana Idololatria & flagitiis horrendum oppreſſa ac ſubmerſa jacerent. Iure igitur meritoque ſolennem inſtituis Triumphum, Tu mea dulcis ac inclyta ALCMARIA: quæ jam non amplius circum tua mœnia volitantem in armis Tyrannum extimeſcis; non truces ardenteſque Hiſpanorum oculos cum formidine intueris. Nunc laxata tyrannide civitate, ſolutis Gigantea obſidione mœnibus, læta ovanſque incedis; deterſoque ſudore ac pulvere, tandem in laudes & trophæa victrix & animoſa inſurgis. Age, nunc veterum Romanorum more ſolennem triumphi diem annua feſtivitate & gratulationibus Populo praſcribite. Cum

Cn. Antonio, Catilinæ victore; cum *L. Sylla*; cum *F. Camillo*; cum *V. Publicola* communem Reip. fortunam lætiſſimis animis ampleƈtimini. Sic olim de victis Hiſpanis, de ſubactis Gallis, de Alexandrinis, de Ponto & Africa *I. Cæſar*; de Cretenſibus *Metellus*; de Antiocho *Scipio Africanus*; de Liguribus *L. Æmylius*; de Sardis *L. Attilius Collatinus*; de fuſis Salentinis *Regulus*; de Sabinis *Menenius*; de Acrone *Romulus*, cum publica quadam ſolennitate, illuſtres apud omnem poſteritatem triumphos decrevêre. Si non Clariſ. Cives, cum *Nerone*, prodigioſo Hermaphroditarum invento ſuperbè victores inceditis; non cum *Alexandro Severo* in elephantis; cum *Heliogabalo* quaternis canibus, aut tygribus Capitolium conſcenditis: non cum *Seſoſtre* deductos quotannis per ſortem Reges ad currum agitis; aut cum *Auguſto* Cleopatræ imaginem; cum *Antonio* ſpecioſas mille virgines; cum *L. Lucello* penè totidem roſtratas naves triumphali acclamatione in ſcenam producitis: Agite, inquam, pro tantæ Liberationis ac beneficiorum magnitudine, flexis in vota genubus manibuſque, Deo illi ſummo æternoque gratias ſemper dignas perſolvite.

ALCMARIA æternum ſpoliis incedis opimis,
Et victrix tibi regna paras, fortemque Philippum
Nunc Batavis parêre facis. Sic latius urges
Imperium, comitante Deo, nomenque vetuſtis
Tranſcribis ſaclis, & partos Marte triumphos
Poſteritate leges. Tibi nunc ſacramus honores,
Annuaque Aonides celebrabunt feſta quotannis.
Non ſi Naſſovio *nova nunc Victoria plaudat,*
Nec Morinos viciſſe datum, nec Geldra ſubacta
Auriaco, ſpoliumque fiat Dunkerka Batavis;
Nec Tarteſſiaco nobis de littore Mavors
Ingentes iterum exuvias promittat Iberi:
Sat fuerit celebrare tuas ALCMARIA *Lauros:*
Quas olim Fortuna dedit Virtuſque tuorum.

Cum

Cum parva defenſa manu, tam fortibus auſis
Albanas *domuiſti acies, animoque potentem*
Toledum *Rheni faſces ſubmittere ripis*
Feciſti non fracta armis, non fracta periclis.
Vos acres prabete meis ſermonibus aures
Illuſtres Virtute Viri, qui Sceptra tenetis
Alcmariæ, *veneranda mea ſolatia Muſa.*
Et Vos, qui Themidos Myſtarum Oracula doctis
Panditis eloquiis, ſeu ſacri dogmata verbi
Fatidici Vates lancem libratis ad æquam.
Tu quoque cum ſacra Muſarum pube Magiſter,
Aonii mecum pars & Collega Laboris
Dicam acies pugnaſque truces: quas Marte ſecundo
Inſtituit Batavûm generoſus miles in armis
Mœnibus Alcmaria, & maculatos ſanguine rivos
Auſonio Vos nunc animos auramque benignam
Adſpirate mihi: Vatum qua ſola voluptas,
Principibus placuiſſe Viris, laudemque mereri.

a) Magna, *Audd.* magna ſanè ac periculoſa Civitatis noſtræ obſidio, infanda Civium calamitas & miſeria: quæ omnium domos menteſque tanquam fatali quadam peſte invaſerat. Truculentiſſimus Mortalium tyrannus Hiſpanus, quo non ab inferis Medea, non Thyeſtes aliquis aut Cerberus diritate ſua magis formidandus; hic, inquam, quovis portento prodigioque violentior. Vos Veſtraque omnia, totam cum ſuis fortunis atque incolis Alcmariam ſuos intra dentes ac venenati oris hiatum concluſerat. Nihil aliud ad Tartaream explendam ingluviem noctes dieſque allaborans, quàm coacta ad deditionem Civitate, Vos omnes in prædam ac rapinam converteret, ut Vxores Liberoſque veſtros partim inimico ferro de vita tolleret, partim fame ac inedia confectos turpiſſimè ad loca ſilentûm detruderet. Hoc Vos manebat, *boni Cives*; immane latrocinium; hoc loco Reip. ſtabat infelicitas. Cum in vicinas Hollandiæ civita-

a) *Pars I. de Obſidione.*

tes jugulando, diripiendo, occidendoque penè feſſus Dux Alba rabiem ſuam evomuerat, ipſam Nardenum in cinerem favillaſque redegerat, miſeram Zutphaniam tot Civium trucidatorum ſanguine funeſtaverat,& hinc ad tertium in proximo lapidem Harlemum inaudita crudelitate ac tyrannide devaſtaverat, prô dolor! prima in ſpolium & pabulum Hiſpanicæ rapinæ notabatur oculis hæc ipſa, quam nunc, laus *Deo*, ſoſpites incolimus, Illuſtris Alcmaria. Nos,inquam,noſtra omnia,ut ne rimula uſquam,aut tranſitus aliquò pateret,Hiſpanorum ille exercitus arctiſſima obſidione circumvenerat. Verè intra ſacrum & ſaxum hærebamus, *ſpemque metumque inter dubii*. Aut parvâ & imbelli manu per denſiſſimas hoſtium catervas viam nobis facturi; aut omnes *pulchram per vulnera mortem* adituri. Augebat timorum tyranni perfidies,quando inita cum oppidanis fœdera non ſanctè ſervaret, nulla commotus ratione aut oratione,hoc tanto minus à clade ac vaſtatione deſiſteret. Dicite, amabo, dicite, unde rebus in urbe afflictis aliquod præſidium? ubi conſilii uſquam copia & auxilium? Præſidiariorum exiguus numerus, conſternati civium animi, virium Virorumque defectus. Aberat longè à caſtris *Auriacus*, cui nec ſatis fiduciæ ad laxandam obſidione civitatem,nec ſatis roboris ac momenti ad frangendas minuendaſque Hiſpanorum ingentes copias. O triſtem atque miſeram ALCMARIÆ faciem! O infelicem Reip. conditionem! Quoquò verſum oculos intenderes,ſive huc in Septentrionem, illuc in Meridiem, alibi in Orientem, iſtic in occidentem, omnia paſſim circumvallaverat Miles barbarus. Volitabat circum mœnia armatus eques, ordinabat caſtra decempeda, aciem & legiones diſtribuebat Centurio,ſuam ſe quiſque in ſtationem ac cornua receperat. Hic è profundo vallum civitati & mœnibus obtendebatur; illic ducendis aggeribus, erigendiſque in altum

tum propugnaculis aſſiduè fervebat opus; iſtic longo ordine machinæ bellicæ & prodigioſæ magnitudinis tormenta in clivum diſponebantur; alios enſem & clypeum humeris aptabat; ille telum & miſſile ferrum manibus vibrabat; hic in arenam & aciem furibundus ardebat. Nemo, qui ſuis partibus deerat, qui aut irritando furori moram, aut differendo bello ſpatium interponebat. Hoc unum omnes urgebant Hiſpani, ſub ſceleſtos ſuos ungues raperent floridam Alcmariam, illam intra ſuos dentes fruſtulatim diſcerperent. Quæ tibi tunc mens; ô *Civis*, cum tam crudele monſtrum in tua viſcera ac interitum vigilare videres? Cum tota Civitas ad incendendum deſcripta? de Veſtra omnium nece & exitio cum ſe impiè jurejurando Hiſpanus obſtrinxiſſet. Quibus, eheu! tunc lacrymis, Vos ò funeſti incolæ, diffluxiſtis! Quæ ſuſpiria, quos ab imo pectore gemitus & ejulatus ad Deum ſuperoſque effudiſtis! ut tunc porrectas in cælum palmas cum priſca Eccleſia extuliſtis! Cum unica vice viginti maximis tormentis hoſtis intonuit, bis mille iſtorum ictibus mœnia tua percuſſit. Sed, noluit de Cœlo Deus, animum deſponderes fortiſſima *Alcmaria*. Qui te tam triſti poſitam malorum confinio contra improbam Antichriſti tyrannidem ſpe nova ac incredibili fortitudine confirmavit. Qui Divinæ fiduciæ ſpiritus quando ſemel animum tuum inſedit, mox omnium miſeriarum oblita, forti animo adverſus terribilem Hiſpanum inſurrexiſti. Toties furorem illius armata manu repuliſti, in propugnaculis ſuis occidiſti, propriis denique caſtris victum invitumque exuiſti. Nullus hoſtium globus tam validè munitus, nullæ copiæ tam fortes aut formidoloſæ, nulla tam varia ardenſque pugna, quin tu inſurgeres audentior, in ferrum & ignes, ut in ludum & jocos magnanima & glorioſa exires. Dabat animum divina providentia, quando ſecun-

ſecundis auguriis cuncta proſperè evenirent; cum ipſis in cœlis Cynthia, præter ſolitum naturæ curſum, tanto maturius ſuam tibi in tenebris lucem affunderet. Cum pauciſſimi tuorum militum in bello caderent, tam crebris tormentorum ictibus modo quinque aut ſex confectis, hoſtium verò copiæ magnam ubique ſtragem paterentur. Memoranda illa ad portam *Friſiorum* Septentrionalem pugna, toties à *Toletano* Duce reſtaurata, toties novo milite viribuſque redintegrata: in qua tu perpetuò belli fortuna ſuperior, omnem Hiſpanorum molem à mœnibus & civium cervicibus tam glorioſè quàm feliciter avertiſti. Non hic ſilentio præterire poſſum veſtram, *ô fortiſſimi Cives*, in vindicanda Reip. libertate inſignem magnanimitatem: quos non periculi magnitudo, non Italorum Maurorumque multitudo, non ipſe in mortem tetricus adſpectus à capitis funeſto diſcrimine propulſavit. Vnus idemque animus Civi, militi, in hoſte refellendo. Fuit penè ambitio Heroicis illis pectoribus primùm in hoſtem ire, primò pugnam capeſſere. Nihil probro injuriaque magis dignum, quàm de fuga cogitare, quàm de dedenda in hoſtem civitate vel tacitam ſuſpicionem moliri. Pedem nemo movit, niſi aut graviter vulneribus confoſſus, aut vitam ſimul cum ſanguine effunderet. Vos quoque, *Bellatrices Fœminæ, illuſtres* ALCMARIÆ *Amazones*, non tela aut lana veſtram civitatem & Spartam defendiſtis; ſed generoſis pectoribus virilem quoque animum induiſtis. Vt pulchrè Gradivi Martis opus procederet, & à Liberorum cervicibus parricidam Hiſpanum depelleretis, omnem profectò lapidem moviſtis. Quando ferire è longinquo hoſtem ægrè poſſetis, aut aptas jaculo manus præbere, tunc pugnantibus in vallo viris fortiter præliandi materiam ſubminiſtraſtis, aux ſaxis ligniſq; aſſiduè congerendis occupatæ, aut ſulphuratis ignium contexendis globis jugiter intentæ.

Digitized by Google

tentæ. Quicquid ad depellendum hoſtem aliquid noxæ ſive moræ adferre potuit, ſtrenuò effeciſtis; ſæpè totos ferventibus aquis lebetes in hoſtem effudiſtis, ingentes truncos & ſaxa de mœnibus devolviſtis, illitos pice ſevoque orbes conſeruiſtis. Vos cum Libertis veſtris, quando Viri in armis de vita periclitarentur, quando integros dies noctesque in continua ſtatione ab hoſtibus detinerentur, vallorum ruinam veſtro opere fideliter reſarciviſtis; Omne ad perniciem inſtrumentum veſtris aut manibus induſtriè effectum, aut fortuitò in uſum repertum in tutelam & præſidium attuliſtis. Nulla de vobis conticeſcet ætas, *Vos ô Batava Viragines:* ſine quarum adjutrice manu & ſuppetiis, nunquam ad illud excelſæ dignitatis faſtigium noſtra hæc civitas perveniſſet. Quis, *Cl. Audd.* tot numero pugnas, tot prælia, hic in noſtris commiſſa mœnibus, ullo unquam ſtylo aut eloquio adæquabit? Quoties, exaudito repentè Claſſico, bellum per intervalla atrociter recruduit! quoties in caſtris repetita per noctem ſigna! inſtauratæ acies, in mortem & vulnera crebrò evaginati enſes! Audiſſetis ſine intermiſſione perpetuas ſcloporum degrandinationes, aſſiduos tormentorum fragores, telorum ſtridores, tubarum clangores, circum galeam crepitantes ſagittas, equorum fremitus, ſtrepitus, crepitus vi & vulnere cadentium Hiſpanorum. Vidiſſetis veſtris oculis, ex pugnantium ſudore conflatas nebulas, ex morientium crebro anhelitu cælum ſolumque convolvi ac ſtupeſcere. O æterna belli laude dignam Alcmariam! nullâ unquam ſeculorum oblivione ex hominum animis exſtinguendam! Quæ adverſus capitalem inimicum Hiſpanum tam magnificè & animosè bellum expediviſti. Quæ tanto lubentius, pro avitâ Religione, pro lege, pro libertate mortem oppetere voluiſti, quantò tu avidius à perfidâ Iberorum tyrannide ad ſpolium & rapinam deſignata. Probo laudo-

laudoque veſtram, *fortiſſimi Cives*, perpetuò in armis conſtantiam; quod nullo infidæ pactionis objecto nomine infalſum fœdus & pacem iveritis. Sed maſcula animi Virtute innixi, contra truculentiſſimum utriuſque orbis tyrannum, haſtam nunquam de manibus depoſuiſtis. Qui cum fictâ ac perſonatâ fronte benignas de tradenda civitate leges offerrent, Vos animam pro Patria fortiter profundere maluiſtis, quàm inditam inſitamque Batavis à ſuis natalibus libertatem cum ignominioſæ ſervitutis titulo permutare. Scilicet in recente erat memoria, & poſitum adhuc ante oculos, quàm immani feritate, contra promiſſi ſanctionem, contra ſtabilitas fidei leges, contra humana & divina jura in Harlemum, & reliquas ſubactas tyrannide civitates, in jugulandis tollendiſque de medio innoxiis civibus, quàm, inquam, belluina & plus quàm barbara crudelitate eſſet uſus.

a) Tandem verò, Tu mea dulcis ALCMARIA, poſt tam periculoſam, in tot atratos funeſtoſque dies, obſidionem, tandem, inquam de fuſis fugatiſque cum indelebili turpitudinis memoria hoſtibus, feliciter victoriam reportaſti. Sic omnibus caſtrorum ſoluta impedimentis, abjectoque Hiſpanicæ ſervitutis jugo, aras & focos ab omni clade & labe tutos impollutoſque conſervaſti. Tantùm fama & Virtute apud omnem poſteritatem commendatior, quantò magis periculorum oppreſſa magnitudine, adverſus immaniſſimum latronem Hiſpanum, tanti belli molem animosè fortiterque ſuſcepiſti. Tua eſt, *illuſtris Alcmaria* Fortitudo, quæ Tartaream Albani ſicam à piorum civium corporibus repulit; quæ vaſtationem à ſacris delubris, violationem à foro & legibus, cum immortali gloria profligavit. Tua eſt Virtus, quæ panicum terrorem hoſtibus injecit, illos in fugam

a) *Pars II. de Liberatione.*

gam & formidinem convertit. Tua eſt in conſerendis præliis vigilantia, in nocturno diurnoque opere, non fractus nec defatigatus ſpiritus, qui nobis Hodierno hoc die ex ipſis Leonum faucibus vitam, Civitatem, Conjuges, Liberoſque noſtros, tanquam ex communi quodam incendio in antiquam Libertatem reſtituit. Nunc liberè per urbem & mœnia incedimus: quæ antea armatus miles tenebat; nunc pede libero per prata & pomœrium vagamur, ubi nuper tentorium figebat atrox Bellona. Patet jam porta; quoquò nunc aditus, abitus, ſine periculo. Non pugnandi horas præſcribit claſſicum, non circum aures ſtrepunt litui, non paſſim grando ac tela volitant, non perforat horribilis vallum baliſta; non ariete crebro quatiuntur portæ. Nullus circum mœnia armorum metus, nullus equitum peditumque in caſtris tumultus, non in pugnam diſponitur acies, non diſtribuuntur in cornua Legiones, non in cædem & ſanguinem vibratur haſta.

Improviſum aſpris veluti qui ſentibus anguem
Preſſit humi nitens, trepiduſq; repente refugit
HISPANUS. *Totis nunc alta ſilentia Campis,*
Nec ſtrepero Mars ore tonat. Sua gaudia quiſque
Poſſidet in tuto; nullum diſcordia civem
In pugnam vallumque vocat. Proſcribitur omnis
Hinc latè rabies, longè ceſſere Latrones
Barbarici, noſtriſque quies ſub mœnibus altis
Tuta frequenſque habitat. Miles, Dux, Fœmina, Cives
Hiſpanum domuêre ſimul, fregitque Philippum
Non armis aſſueta manus, bellique trophæa
Virgo tulit, quod ſera olim mirabitur ætas.
Libera ſic Maurûm jaculis ALCMARIA, *tandem*
Excuſſit cervice jugum; ſic Numine dextro
Vicimus ingentem felici Marte Tyrannum.

Siccine animo quis ferus aut ferreus, qui non tantæ Victoriæ magnitudinem aut tacita mentis cogi-

cogitatione complectitur, aut ſolennis triumphi memoriam in publico theatro cum tripudiis teſtatur? quanta eſt, *fortiſſimi Cives*, Victoria! quam veſtro nobis ſanguine peperiſtis. quanta in armis felicitas; quanta in animis voluptas, delectatio; in oculis gaudium & amœnitas! Quàm multi eheu! quondam in Belgio, nefariam Iberorum carnificinam in ſuis conſcientiis & corporibus miſerè experti! Alii bonis ſuis omnibus exuti, ad intolerabilem ſervitutem compulſi; plurimi ad deplorandas vitæ anguſtias, ad mortem denique atrociſſimam per nefas & flagitium adducti: Vos, ab Hiſpanorum truci lanienâ feliciter liberati, nullum intra viſcera veſtra mucronem, nullam in conſcientis vexationem aut torturam ſenſiſtis. Intueamini paullò ultra pomærium miſeram rurſus *Harlemum*, evolvite fide dignam Hiſtoriam & annales. Quàm illi intra mænia & muros diabolicam furoris ſui palæſtram aperuit trux Alba! Humani ſanguinis inundationem, ex cæſorum civium corporibus publicum penè mercatum inſtituit; ſacrilegiis, rapinis, omnia parricidiis, & plus quam Thyeſtæâ feritate contaminavit: Vos vita, religione, ſalute publica incolumi, in benignæ pacis gremio civitatem & imperium retinuiſtis. Fingite impudentes Epicurei, fortuito quodam caſu, ſine provido Dei conſilio tantarum rerum momenta evenire; ne credite, divinum oculum ſingula ſuis ſpatiis determinare, humana omnia certa ſuæ divinitatis regula moderari: Nos omnia omnium rerum Authori Deo accepta tribuimus. Ille unus Fatorum neceſſitatem, bellorum auſpicia & eventus, regnorum ortus & occaſus, ſecunda, adverſa uno Providentiæ ſuæ oculo dirigit ac gubernat. Pudeat Vos turpes Lupercorum & Libertinorum ſodales, vim & majeſtatem Deo detrahere, ancipitem Martis aleam non divinis arbitriis, ſed profani commentitiique Numinis idolo

Digitized by Google

idolo adſcribere. Eſt ille de Cœlo DEUS, qui hanc noſtram *Alcmariam* deſperatis Reip. rebus, in tutum & tranquillum deduxit. Deus fractos civium animos incredibili fortitudine munivit, ſpe & fiducia vacillantem in bello manum divino robore armavit. Deus contra communem libertatis hoſtem nos ſuæ bonitatis clypeo ſartos tectoſque conſervavit. Ille à teneris Imperii initiis humilem deſpectumque Belgarum populum ad ſummi honoris faſtigium promovit; ille in mediis Sacroſancti Euangelii tenebris lucidiſſimam orthodoxæ religionis facem oſtendit. Quis, amabo, proximis hinc retrò annis tot ſpoliis ac triumphis Provincias noſtras ornavit; quis potentiſſimi hoſtis munitiſſimas urbes noſtræ ditioni ſubjecit? nonne Deus? Quis ultra Braſiliani orbis remotum limitem, ultra Tagum & Gangem, ultra glacialem Oceanum & Garamantas, tam inſignibus victoriis nobilem *Batavorum* gentem cumulavit? nonne Deus? Quis fractis nuper luxatiſque in Belgio rebus opem tulit; cum ingentes barbarorum copiæ, tanquam turbulenti maris æſtus, potiorem *Velaviæ* partem inundarent; cum in Patriæ meditullio *Trajectum*, dominaque potentis Bataviæ *Amſtelodamum* evaginatos in ſuum jugulum gladios extimeſceret? nonne potens exercituum Deus? Peccamus, mei Belgæ, peccamus, ſi aut triumphali Principum dexteræ, aut humani ingenii conſiliis viribuſque tot tantaſque victorias adſcribimus: ſi in validis militum caſtris, in fortibus civitatum præſidiis, in firmis munimentis arcibuſque fiduciam collocamus. Soli, ſoli, inquam, Deo tam opulentas terra marique victorias debemus: qui fortem Belgarum populum ſuâ toties manu defendit, nos ab exitio & vaſtitate toties in gloriam atque pacem repoſuit. Hic tota ſquallente ærumnis Rep. inſperato nos gaudio profudit, profugium Hiſpanorum *Veſaliam*, non humanum facinus! ſub noſtram

ſtram poteſtatem redegit, latibulum Antichriſtianæ crudelitatis *Buſcoducum*, Batavis in manum dedit, ipſam nuper *Bredam*, adeò dilectam ab hoſtibus amaſiam, priſco ſuo nitori & imperio reſtituit. Vah! improbam Tarpejæ Meretricis ſuperſtitionem: quæ falſa fictaque Numinis imaginatione ſibi proſperos ſemper bellorum exitus polliceatur. Vnus eſt in cœlo Deus, qui belli paciſque arbiter, ſuis omnia conſiliis prudenter adminiſtrat. Si nunc, miſella Eccleſia, tot annorum exhauſta tyrannide, nuſquam tutam fidem, aut ullum requieſcendi locum invenias; ſi Chriſtianum nomen immanis Antichriſti crudelitas tam diriter perſequatur; tota Germania & uterque Palatinatus, antiqua Euangelii ſedes, omnes Europæ Provinciæ ſanguine & cædibus exhauſtæ ſi barbarâ feritate in cinerem redacta Bohemia, direpta prædonum manibus Sileſia, vaſtata incendiis Moravia, Rhenus & Odera adhuc inſepulta cæſorum cadavera eructent, facit hoc non juſtus in Sionem Antiochi aut Zennacheribi furor; ſed divina vindexque Dei manus: qui ad purgandas expiandaſque Eccleſiæ maculas ſic ſalutaribus caſtigationum utitur remediis. Aderit læta illa dies, *immaniſſime Cæſar*, quando miſerorum Martyrum profuſum innocuè ſanguinem centuplo cum fœnore ac funere rependes.

Cum Te inviſa dies, & ineluctabile fatum
In pœnas mortemque trahet: cum Numinis ira
Et Chriſto devota cohors cœlum omne ciebit
In bellum cladeſque tuas, Gens impia ſcorti
Romulei: quando Babylonem deſtruet ima
Radice, & ſeros acuet vindicta nepotes
In Maurûm librata neces, & nomina Magni
Cæſaris, Auſtriacique domos exoſa tyranni
Æquabit penitus terris, totamque ruinis
Everſam gentem tenebris damnabit opacis.
Applaudet tandem felix victoria pennis,

Et

Et Babylon ſua damna feret, Tarpejaque Roma
Corruet in caſum præceps. Cum Cæſare magno
Hiſpanus dabit ingentem pulchramque ruinam.
Tu, dilecta Deo, plauſus teſtata ſecundos,
Abſterget triſtes lacrymas, nec jam amplius ulli
Stillabunt oculis imbres. dabit Odera teſtem
Lætitiæ, Rhenuſque fluet plaudentibus undis,
Non caſus memor antiqui. Crudelia quondam
Quæ paſſi, nova nunc animis ſolatia turbant.

Aderit fatalis, inquam, hora, *truculentiſſime Hiſpane*, quando exercitam in Belgio crudelitatem, tot civium trucidatorum accumulatas neces, tot civitatum impias devaſtationes, tot agrorum direptiones pari ſupplicio & ſanguine perſolves. It cœlo clamor miſerè cadentium virorum, talionem expetunt ferro jugulati infantes, cæſi in utero pupilli, in maritorum complexu necatæ conjuges. Fana & delubra ſceleſtiſſimi furoris te arguunt; violatæ leges, contaminata Veritas, polluta Fides, *tuum* indies flagitium accuſant. Hæc urbis noſtræ mœnia, & majorum innocuus ſanguis in tui odium & vindictam jam dudum ſuas vires & iras effundunt. Nemo tam mente & memoria captus, qui non tacita cogitatione vim tibi intendat; nemo tam affectu præpoſtero, tum animo lenis placidusque, qui non omnem ingenii ſui aculeum in tuæ tyrannidis exitium cum ſingulari voluptate convertat. Itane injuriarum in Belgio quiſquam non memor, qui primi fundatoris Imperii ſanctiſſimos AURIACI manes non à tuis adhuc manibus repoſcat? Nulla, tyranne, tuum ſcelus obliterabit vetuſtas, nulla de tua turpitudine conticeſcet poſteritas; nulla ſic ingrata ætas, quæ illatam ſuis majoribus injuriam non bello armiſque fortiter ac gloriosè vindicabit. Utinam! nunc ad *Britannum littus* tua, *Hiſpane*, in noſtram ruinam armata Claſſis, immiſſis de cœlo ignibus, tota exureretur, omnia cædibus incendiiſque abſumerentur;

hoc tam grande Imperii tui molimen terra marique funditus exſtirparetur. Agite, illuſtres mei *Belgæ*, nullum ad pugnam tempus intermittite, omnem moram ſegnitiemque profligate, ut gloriosè tanti Martis horrendum opus incepiſtis, pari conſtantia & fortitudine perficite. Tu inclyte geſtarum rerum gloria *Archithalaſſe*, qui par priſcis *Camillis Marcelliſque*. tua Virtute, perge omnem animo metum excludere, ne concidat generoſæ mentis ſpiritus; velis remiſque ad internecionem impudentiſſimi tyranni vim tuam intende. Intereſt Reipublicæ, intereſt communis omnium ſalutis, tantæ molis opus quàm ſedulò ocyſſimeque expediatur. Potens de cœlo Deus, fortiſſime HARPERE tui Cuſtodiam ſuſcipiet: Tu virili animo hoſtem invade, Deus impiis Hiſpanorum conſiliis frænum injiciet; Tu cum *Davide*, cum *Abrahamo*, cum *Gedeone*, contra Arabum, Aſſyriorum, Amalechitarum ingentès copias, etſi parva manu, fortiter in aciem deſcende. Non in militum numero, non in claſſim utriuſque orbis magnitudine conſiſtit victoriæ eventus. Nonne ad Thermopylas Spartanorum *R. Leonidas* ſociis modo trecentis fortiſſimum Xerxes exercitum ſuſtinuit? Nonne *Cyrus*, cum adverſus Artaxerxem bellum gereret, quatuordecem Græcorum millibus centum Barbarorum millia ſuperavit? Nonne *Alexander Macedo*, millibus tantum quadraginta totum Orientem decrevit? Non dicam de *Milthiade*, qui decem Athenienſium millibus, Perſarum ducenta millia ſubegit. Non de *Epaminondâ*, qui Lacedæmonios; de *Marcello*, de *Fabio*, qui Gallos; de *Lucullo*, qui Mithridatem; de *Mario*. qui Cymbros; de *Syracuſiis*, qui novem triremibus, centum & viginti Carthaginenſium naves deleverunt. Nondum memoria & annalibus excidit, quàm parva militum manu Magnum Hiſpaniarum Indorumque Regem toties victores *Belgæ* ſuperavimus. Teſtis eſt *Flandria*,

Digitized by Google

dria, teſtis *Brabantia*, teſtis hæc noſtra *Belgica*, quæ ſub divino *Naſſoviorum* auſpicio, à parvis deſpectiſque imperii principiis, ad hoc immenſum fortitudinis potentiæque robur ſuccrevit. Sic tu, mea dulcis atque inclyta ALCMARIA, contra omnem humanæ mentis opinionem, contra tyrannorum graviſſimam obſidionem, præter ſpem & exſpectationem firma immotaque conſiſtis. Non eſt, *Sacroſancta Dei Eccleſia*, ut, in tantis fatorum procellis ac tempeſtatibus, bonæ ſpei fiduciam penitus abjicias. Indulgeat paulum nefariis cupiditatibus Antichriſtiana improbitas; perſequatur igne ferroque afflictam Sionem tyrannus; non à rapinis, à ſtupris, ab adulteriis manum mentemque abſtineat; ſacra, profana, omnia uno modo adminiſtret. Eſt, ſpero, in propinquis ille dies, quando divini furoris poculum plenis faucibus ingurgitabit; cum ſolenni tyrannorum ſupplicio, aut cum *Caligula* in ipſo feſtorum apparatu ſceleſtam animam eructabit; cum *Claudio* Imp. clandeſtina veneni potione de vita deturbabitur; aut cum Antonino *Caracalla* inopino pugionis ictu interficietur; cum *Domitiano* à propriis miniſtris multis vulneribus trucidabatur; cum Phoca, cum *Nerone*, cum Maximino dignam ſuis ſceleribus mercedem perſolvet, Age, dilecti *Dei Sponſa Eccleſia*, indue Veritatis Fideique ſeptemplicem clypeum; nunquam deſperes nimium ſiniſtris. Erat ſanctiſſimi *Aſa* admonitio: *Domine non eſt apud te diſtantia, utrum in paucis an in pluribus auxilieris.* Erat divina *Ioſaphati* vox: *Credite Domino Deo veſtro, & ſecuri eritis.* Sic olim *Nehemias: fidite Deo, qui pugnabit pro vobis.* Inter flammam & ignes *Daniel: Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis.*

Et nos, mei *Belgæ*, in mediis bellorum tumultibus, non libenter caput periclis objiciamus? Præſtat cum *Hieremia*, cum *Michea* in carcerem compingi;

pingi; cum *Daniele* leonibus objici; cum *Vria* interfici; cum *Iſaaco* in victimam offerri; quàm de orthodoxâ Religione, de avitâ Batavorum libertate vel unum latè unguem decedere. At vereor, in immenſum noſtra ſe efferat erga Deum ſecuritas;nos ne parum religiosè pro Veritatis Fideique cauſa, contra fidelium ſectorem Antichriſtum bella liteſque adminiſtremus. Pudet dicere, pudet, quàm multa per Belgium noſtrum graſſetur impietas, quàm varia de religione, de Deo in Eccleſia diſſenſio: qui errores, quæ ſchiſmata pro ſuo jure ac licentia per omnes penè civium domos latiſſimè, inſtar veneni, proſerpant. Sanè, majoribus noſtris, quam nepotibus, præſens hic dies tanto jucundior, quanto periculoſior. Non ita olim *Iudai*, qui cum carcere Babylonicæ ſervitutis liberati, ante omnia, ſuæ gratitudinis templum Deo dedicarunt. Non ſic *Darius*, aut *Cyrus*, qui in ſtruendis ſacris Deo delubris, inſignem ſuæ pietatis memoriam reliquerunt. Quâ divinâ præditus mente *Iuſtinianus* Imp. cum à Gothis Italiam, à Vandalis Africam vindicaſſet, nobiliſſimum Sophiæ templum exſtruxit. Quid dicam de *Romanis* qui, profligatis domitiſque externis hoſtibus, tot ſacrificiis & victimis Deos ſuos venerati. Pari religione Ægyptiorum rex *Seſoſtris*, qui, cum varias ſub imperium ſuum gentes redegiſſet, ſingulis Ægypti civitatibus ſacrum conſtituit. Eâdem pietate *Romulus*, qui, victo Acrone, Iovi Feretrio templum dicavit. Sic *Numa Pompilius* Deo Termino; *Servius Tullius* Deæ Fortunæ; *Caſar Auguſtus* Iovi Tonanti ſacram ædem devovit. Multo magis nos, *Audd.* nos, inquam, tota noſtra *Alcmaria* memorem ſuæ liberationis Triumphum inſtituit. *Hodiernus hic dies*, quod vitam, quod religionem, quod Conjuges, Liberos, Nepotes, Fortunas, Tecta, Lares, omnia feliciter fortiterque de Hiſpanorum manibus & tyrannide extorſimus,

Tibi

Tibi æternum Opt. Max. in cœlis Deus, pro tot tantiſque beneficiis, ampliſſima debetur gratia. Tibi uni, ſoli Patrono & Servatori, rem, vitam, ſalutem noſtram adſcribimus. Tibi Belgium univerſum, pro Reip. incolumitate; pro defenſa, contra Eccleſiæ hoſtem, Hiſpanum, Fide ac Religione meritò gratiam perſolvit. Tibi inclyta Alcmaria, Liberi noſtri ac conjuges, Fana & Delubra; Curia, Forum, Ara & Foci; Tibi, inquam, potentiſſime Deus, hæc mea pubes, hoc ſacrum pulpitum, hæc ſubſellia & parietes, manſura in omnem poſteritatem beneficiorum memoria, amore, fide, obſervantiâ, gratiſſimis ſeſe animis obſequiiſque ſempiternum devinciunt. Faxis Æterne, Clementiſſime Deus, tota Reſpublica & Belgii ſalus diu feliciterque tua ope & auxilio in tuto ſubſiſtat; noſtra Alcmaria Virtute, Pietate, Doctrinâ, opibus, potentiâ inſigniter ſemper floreat. Viri prudentes, quorum conſiliis & authoritate Imperium, Iuſtitia, Fas, Fides, Veritas, in Curia, in Templis, in Scholis, optimo jure gubernatur, diutiſſime cum famâ & gloriâ ſuperſint. Donec nos mortali corporis ſervitio exſoluti, cum CHRISTO incœlis Triumphemus.

DIXI.

Recitata Alcmariæ die Solenni cIↄ.Iↄc xxxix.

ORATIO X.

De Gratulatione

Perpetuæ Pacis cum Hiſpaniarum Rege.

ADRIANUS SCHAGEN, *Alc. Batt.*

MAgna & admiranda Belgarum eſt felicitas, *Nobiliſſ. Clariſſimi, Doctiſſimi DD. Audd.* magna in Chriſtianum orbem Opt. Max. in cœlis Dei clementia. a) Qui, poſt immaniſſimi

E belli

a) *Gratulatio de Pace.*

belli furorem, amœniſſimâ inpoſterum pace atque otio in hiſce terris, in hac civitate noſtrâ, in hoc ſanctiſſimo Muſarum Domicilio jucundè feliciterque perfruemur. Qui cum potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, quem nuper terrâ marique graviſſimum hoſtem meritò reformidavimus, jam pridem arctiſſimæ ſocietatis pulcherrimæque amicitiæ fœdera celebramus. Prô Deum atque hominum fidem! quæ non pignora ac monumenta ſanctiſſimæ Religionis omnium pectoribus altiſſimè inprimenda? Quantam nos, præſente hoc ſæculo, in omnem ætatem de poſteritate noſtrâ, gratiam meritò promeremur! qui fortiſſimis belli conatibus, qui noſtro periculo & ſanguine tam illi jucundam, tam deſideratam Pacis ſecuritatem præparamus. Vt, qui olim cunabula ſuæ libertatis, non niſi fuſo parentum cruore, commaculata viderint, iſti inpoſterum per aprica ac ſerena Bataviæ vitam ſuam molliſſimè transacturi. Hæc aurea de cœlo tempora, H H. A A. præſens hic annus liberaliſſimè nobis redonat. Bella horrida, inquam, bella longè à Batavis ad remotiſſimos jam dudum Barbarorum fines proſcribimus. Hæc tam immania in terris monſtra, benigniſſimæ Pacis exorto ſidere, in lætiorem nunc ſcenam macti reponimus Et illa, quæ nemo majorum vel tacitè per ſomnum cogitare auſus, illa, inquam, albis ſignanda lapillis tempora coram in Belgio nunc eluceſcunt. Iam dudum florentiſſimâ Republicâ priſci ſervitii titulis exoletis, egregiè in Libertatem vindicata. Adeo, ut nulli probroſum eſſe queat, quàm à parvis initiis Imperia noſtra primùm inceperint. Omni noſtrâ æſtimatione in maximarum rerum ſucceſſu, ac præſentium victoriarum incredibili magnitudine glorioſè repoſitâ.

Quàm penitus immenſæ felicitatis negotium noſtris in manibus nunc ſit, *Nobiliſſ. Ampliſſ. A A.* finitimarum gentium læviſſimi applauſus &

& acclamationes quotidie teſtantur. Non poſſumus igitur non, quin auguſto & plus quàm aureo mundi hoc ævo Muſis quoque teſtibus hoc loco, ſeriò nos exultemus; Patriæque in Belgio confœderatis civibus non de reportatis terrâ marique recentis victoriæ inſignibus modò gratulemur, ſed. de Pacis perpetuæ incolumitate; de fortunis poſterorum; de aris fociſque æternum reddita Libertate lætiſſimè triumphemus. Vos, *Nobiliſſ. Clariſſ. Doctiſſimi A A.* nobis de Reip. dicturis Halcyonis benigniſſimis animis auribuſque quæſo, benevole attendite.

Illuſtris Belgarum Populus, nunc Orbi terrarum in exemplum & formidinem qui innotuit, quàm ab humili radice in ſtupendam ſui magnitudinem ſe brevi erexerit, neminem certè noſtrûm ignorare decet. a) Satis Hiſtoriarum fide ac majorum teſtimoniis in hæc divinæ benignitatis arcana omnes edocti. Olim admodum pupilla & deſpecta finitimis omnibus nos Belgæ hujus orbis particula portioque fuimus. non ad tenuitatem modò humilis ignotique ſoli affixi; ſed ad omnem contumeliæ audaciam, ad inopiam, ad ærumnas, ad maximi Regis tyrannidem miſerrimè projecti. Quando nemo vicinorum principum nos in ſocios ſuos accipere, nemo ſuâ nos tutelâ dignari, nemo Belgarum ſe fœdere obſtringere tutò auſus. Qui penè fabula & ludibrium circumjacentibus ad Oceanum gentibus. Tantis undique impetiti malis & calamitatibus, ut nuſquam orthodoxæ Religioni, Fidei, Pietati aliquod aſylum & perfugium. Impacti in communem deſperationis parietem cunctis videbamur. Profiteri vel in tacitis pectoribus ipſum Authorem noſtræ ſalutis, planè nefas. Adacta erat ad vim majorem conſcientia. Et niſi vincula, niſi crudeles Barbarorum manûs majores noſtri in dies verebantur. Quo

a) *Belgæ deſpecti olim.*

uno quod pugnare unquam magis cum ipſa humanitate, cum officio ac neceſſitudine generis humani poteſt? Siquidem animorum arcani ſenſus nulli non proprii ſuique eſſe debeant. In quod non carnificinæ Regum Principumque quicquam juris debetur. Hac unâ libertate liberè ſecum cogitandi, ſuſpirandi Diis proximi. a) Quâ ſolâ de cauſa A.A. quæ non bellorum incendia, exilia, molitiones improbas in hoc Belgio noſtro, in hanc uſque ætatem cum capitis ac fortunarum periculo ſuſtinuimus! Quanquam tamen majores noſtri majore cum ſenſu ac dolore teſtari hæc ipſa potuerint in primis imperii anguſtiis. Quibus tam difficile ex hiſce fluctibus eluctari fuit, ut hæc divinis potius miraculis, quàm humanæ ſagacitati ac conſiliis jure adſcribi mereantur. Utrâque de illis paginâ in annalibus conſtat. Patriæ Patrum memoria, illa Principum AURIACI & NASSOVIORUM incredibilis fortitudo abundè hoc poſteris loquetur. Prætereo, A.A. tot ſcelerum inaudita, tot Barbaræ crudelitatis deteſtanda vocabula. Quæ omnia nunc tacitis ſilentiis tenebriſque involvere præſtat, quàm ex temporum illis voluminibus ſub aciem oculorum producere. b) Sub una divinæ pacis imagine nunc prorſus omnem veluti mali recordationem cogitationemque perpetua oblivione ſepelientes. Nullâ amplius diſſidiorum ſemente, nullo ſimultatum argumento, nullâ aut inimicitiæ aut diſcordiæ uſquam repullulantis vel minimum ſiniſtrâ ſuſpicione. Abſque fuco & figmento, *Potentiſſime Philippe*, Batavam tibi fidem manumque porrigimus. Qui nunquam degeneres, nunquam perfidi in illos futuri, cum quibus jura noſtra ac fœdera ſemel ſanctè conglutinamus. Multò majore nos zelo ac legibus innixi, quàm olim priſca illa Quiritium laudata integritas: Quorum

a) *Bella & exitia Belgii.*
b) *Amneſtia malorum præteritorum.*

Digitized by Google

rum in promiſſis probitas fideſque quanquam præclare ſemper apud poſteros audiat. Pacis cauſa, *Philippe Rex*, neceſſarium hactenus bellum tecum geſſimus. Pacis causâ in arenâ & armis fortiter maſculeque obduravimus. Nunc, ſolidâ perpetuaque Pace feliciter invicem confectâ, omnem bellandi apparatum, cuncta armorum vocabula, ſueta caſtrorum exercitia cupidi libenteſque ignoramus. Tu, inquam, Maxime Iberorum Ductor, Aſiæ & Africæ Imperator invicte, Age à Chriſtiana Conſtantia concordiaque, nunquam falsò recede. a) Adſueſce pio æternoque fœdere cum illuſtribus ac generoſis Bataviæ populis coaleſcere: Quibus nunquam temerè te fallendi animus fuit. Quos ſi fortaſſe paullò benignius, pro illo ævo ac tempore habuiſſes, nec ita rigida cenſura in Religionem & rem illorum privatam animadvertiſſes, quid amabo, candidos Belgarum animos à mutua fide ac ſocietate abſtraxiſſes? Cum perferre nemo bonus unquam poſſit, vim animorum Libertati, injuriam conſcientiis inferri. Ad hoc ipſum à natura rerum ſati natique, ut illa parte penitus intacti, ab omni ſervitio procul viveremus. Ita erit, Magne Philippe, ut nullo jurgiorum ſuſcitato fomite, ad vetera unquam odia & inimicitias recurramus.

O præclaram inpoſterum degendæ vitæ humanæ rationem! ô plus auro aurea Pacis tempora! b)

Poſtquam Diſcordia tetra

Belli ferratos poſtes portaſque refregit. c)

Quando nullus circum aures clamor virûm, nullus clangor tubarum, nulli fragores ſtrepituſque armorum exaudientur. quando nemo

Interque manus & brachia verſat

Terribilem criſtis galeam. d)

E 3 Nuſquam

a) *Cauſa belli Belgici.*

b) *Laus pacis.*

c) *Virg.* d) *Idem.*

Nuſquam *Tremant in vertice criſta*
Sanguinea.
Nemo *Clypeoque micantia fulgura mittit.*
Aut, *Loricam fundentem incendia geſtat.*

a) *Arma enim deponere unum afflictis remedium.* b) *Et melior tutiorque certa eſt pax, quam ſperata victoria: cum illa in tua ſit manu, hac in Deorum.* c) *Neque aliquo modo admittendum, cum victoriam jam prope in manibus habeas pacem abnuere.* d) *Quod tempus ſi pratermittas, quo dare magis, quàm accipere potes pacem, vereor, ne hac latitia nobis luxuriet ac vana evadat.* e) *Etenim in bonis tuis rebus; hoſtium dubiis, tibi ampla ac ſpecioſa danti pax eſt.* Sive cum Tullio ut loquar: *quavis tuta conditione pacem accipere malu, quam viribus cum valentiore decertare.* f) *Ad pacem ite Vos*, ait magnus Annalium ſcriptor, *tam quibus ſalus, quàm quibus gloria cariſſima eſt.* g) *Qua non modo ii, quibus natura ſenſum dedit. ſed etiam tecta atque agri latari videntur.* h) E contrario Bellum res adeo eſt immanis ut feras, non homines deceat. i) adeo inſana, ut Poëtæ *non niſi ab Infernalibus hoc Furiis immiſſum* fabulentur. Adeo peſtilens, ut univerſam morum luem ſimul invehat; *ut à peſſimis latronibus optime adminiſtretur.* k) Quare Princeps Oratorum: *Non adventus ſolùm belli, ſed & ipſo illius metus adfert calamitatem.* l) *Incipere bellum cuivis ignavo etiam licet, deponere cum victores volint.* m) *Utrinque ferrum, & corpora humana erunt, & nunquam minus quàm in bello eventus rependent.* n) *Simul & parta & ſperata decora unius hora Fortuna evertere poteſt.* Belli enim tempore

Non ullus aratro
Dignus honos. Squallent abductis viva colonis. o)
Scelera,

a) *Tac. 4. Annal.* b) *Livius.* c) *Idem.* d) *Idem.*
e) *Livius.* f) *Tacit.* g) *Cicero.*
h) *Belli deteſtatio.* i) *Eraſ.*
k) *Cicer.* l) *Salluſt.* m) *Livius.*
n) *Idem.* o) *Virg.*

Digitized by Google

Scelera, dempto fine, per cunctas domos
Iêre: nullum caruit exemplo nefas. a)
Stat cruor in templis, multaque rubentia cæde.
Lubrica ſaxa madent. nulli ſua profuit ætas. b)

Vah! impotentis animi nocentiſſimos affectus; qui ad tam crudelia, ad tam indigna mortalibus facinora flammam fomitemque ſuggeritis. Cum miteni humanitatem noſtram niſi mutua adverſum cuncta pericula & dolores auxilia imprimis deceant. Non hunc in finem ſati conditique à magno illo Prometheo, ut plus quam beſtiali feritate in alterna vulnera mortemque ſæviremus. Sed, placidos invicem convictus ac ſocietatem ineuntes, totique in cœleſtem illam formali imaginem; unius ſanctiſſimi Numinis venerationem animo atque corpore ſtudioſiſſimè intenderemus. Quamobrem, Ergo, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi DD. Audd.* in hâc Clariſſimorum Virorum coronâ de publicâ hilaritudine, deque ſtabilita cum Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege Pace Belgica, quantum ſumma voce & affectu valeo, Vobis Civibuſque veſtris, omnia proſpera, omnia felicia ex intimis animi viſceribus precor, gratulor. Victurus, ſpero, illum diem, quando ſub auguſtæ Pacis hoc tranquillo Florentiſſimum Pietatis Sapientiæque aſylum, illuſtres Belgarum Provinciæ, magis magiſque in triumphum & auſpicia ſanctiſſimi Imperii porrò adoleſcent ac corroborabuntur.

Sanguinei Martis ſatis eſt. Iam bella tyranni
Ad Vahalim intonuêre ſatis Rhenumque bicornem
Fulminibus Furiiſque ſuis. Sat caſſide crinem
Teximus, & pugnas agimus mucrone coruſco
Per campos, Bellona tuos. Dehinc otia Pacis
Dulcia ruricolas ſecuro in gramine paſcent.
Aureaque ingenuis naſcentur ſecula Belgis.

DIXI.

a) *Seneca in Hippolyto.* b) *Lucanus.*

ORATIO XI.

De Commendatione Belli.

GUALTERUS LANTSCHOT.
Lugd. Batt.

NOn ſatis Ego demirari poſſum, *mi Collega*, quid tanto nobis hiatu cum Hiſpaniarum Rege, juratiſſimo in Nepotes noſtros hoſte, certam tu pacem promittere auſis, a) Cui tam acre & avitum inBelgas ſuſceptum eſt odium, ut non omnibus Oceani lymphis iſta unquam flamma exſtingui poſſit. Quæ tantùm doloſis ſopita cineribus, non dubium,quin in majus aliquando incendium periculumque eruptura. *Odi Danaos, & dona ferentes Hiſpanos.* Aliis artibus, aliis inſidiis fabricisque hic Sinon nobis cognitus perſpectuſque. Qui ſi cum omnibus ſuis Flaminibus pacem alterâ promittat,credite, ſcorpium aliquem & Meduſam altera oſtentat. Quibus monſtris, datâ ad fallendum anſa, facilè credulos nos Belgas in naſſam ſuam impediet. Multò majore diſcrimine noſtris tunc malis implicitos, quàm ſi tela inter media Aram priſtinæ Palladis armata manu complecteremur. Ecquis unus ille omnium mortalium, tam cæcus ac inſipidus, qui ab hac perfidiæ radice firmam ſibi unquam pacem imaginari non dubitet? Ab ingenio, ab indole ſi deſcribere Gigantæam hanc proſapiam liceret: nihil prorſus ad noſtram humanitatem,candorem,fidem veriſimile hic habet. Opinione ſui ſemper turgidi ac inflati, immane quantum! corporis externa ſpecie fraudem internæ mentis propalam ſignificant. Eouſque ementitæ pacis commoda ſanctiſſimè tantum habituri, donec, nutante fortunæ noſtræ bractea, in ſcopulos & charybdes ignominioſè præcipites nos

a) *Odium Hiſpani in Belgas.*

Digitized by Google

nos agant. Nemo facile mihi perſuadebit, *Audd.* quando una vel rimula in noſtrûm perniciem venena ſua affundere poſſint, illos oleum operamque ſuam aliquo temporis intervallo remiſſuros.

Ante oculos Hiſpanis quotidie oberrant Batavorum prædatrices manus; noſtra fortitudine Indorum ſcrinia concuſſa; Calpe & Abyle, Herculis illæ columnæ, noſtris copiis claſſibuſque toties delaſſatæ. Oderunt *Auriaci* & *Naſſoviorum* arma per utrumque Gangem ſine ſpe, ſine metu circumferri, Modo victos *Moluccas*, modo ſubactos *Patagonas*, *Amixicoros, ſævoſque Piryvos* in Belgarum triumphis glorioſè oſtendit. Concoquere nunquam poſſunt injuriarum magnitudinem, qua aliquot retrò annis ab intrepida Batavorum gente affecti afflictique. Omne hoc, quodcunque nos domi foriſque ſplendidiſſimè divites facit, totum hoc ex regiis viſceribus atque ipſa quaſi Colchide huc in noſtrum orbem ac ſeptentrionem advexímus. Quæ bella potiſſimum Belgæ geſſimus, quas urbes obſidione invaſimus; quæ terra marique præclarè inſtituimus, auſim penè dicere, ipſis Hiſpanorum ſpoliis atque exuviis glorioſè hæc omnia conſtare. Ut caput rerum omittam, illos nos Batavi ſumus, qui olim regiæ majeſtati morem non gerentes, nos ipſos armata manu in Libera regna recepimus. Quæ cuncta ſi excidere immemori hoſtium pectore unquam poſſent, credo,

Cum canibus timidi venient ad pocula damæ
Iungentur jam gryphes equis. a)

Meo judicio, H.H.A.A. multò melius fuiſſet felicium armorum fiducia maſculè porrò inniti, quàm, poſitis de manu præſidiis, in fallacibus Iberorum animis ſecurè acquieſcere. In ſolo enim bello armiſque gloria Belgarum verſatur. Bello ſemper res maximas effecimus. Bello toties terra marique victores exſtitimus. Hoc quàm utile, quàm neceſ-

a) *Virgil.*

neceſſarium nobis fiat, pauciſſimis hoc loco argumentis oſtendere propoſui. Vos, *H H. Audd.* in partem noſtram æquiſſimos Judices velle deſcendere, etiam atque etiam oro rogoque. Tantò Inferior Ego in hoc conflictu Collegis meis futurus, quantò fortaſſe illi me rerum & rationum pondere ſuperiores.

a) Bellum, fateor, quod contra divini & humani juris æquitatem temerè ſuſcipitur, meritò à ſanis omnibus religiosè eſt ejurandum. Neque hic unquam proſperos Fatorum ſucceſſus habet, qui aut perfide violata pace, aut turpiter illa neglecta in quodvis improbum certamen pugnamque, ferarum ritu, crudeliter ſe proruit. Sed quale fortiſſimi nos Belgæ cum Hiſpaniarum Rege in tot annos bellum jam geſſimus, hoc ſingulari prudentia, conſilio, neceſſitate inſtitutum. Quod ſi labi de manibus noſtris, paulatimque langueſcere ſub ſpecioſo amicitiæ nomine patiamur, vereor, bona noſtra cauſa de felicitate ſua quàm plurimū remittat. Immortale enim eſt odium, quo cum Hiſpano hactenus confligimus: nos arma, quibus tuti contra injuriam ſubſtitimus, ignavi abjiciemus? Spatium ſuo furore, non terminum tyrannus intendit: nos virtutem bellicam, quæ tam ſalutaris nobis anchora, unquam inconſultò hebeſcere ſinemus? Perſonato nomine & fuco datam fidem involvit, Iovemque lapidem & Tarpejum ſuum adjurat: nos tam inclemente *craſſoque ſub aere nati*, ut aulæ illud lubricum non attentiore trutina ponderemus? Quod olim Tiberio uſitatum fuit, *amare ex omnibus ſuis virtutibus diſſimulationem*, idem de Hiſpanis formidare meritò debemus. Qui ſub pulcherrimo Pacis involucro maximam belli materiam moliuntur. Noſtram affinitatem tanti facturus hoſtis, quantum exinde utilitatis commodique ad ipſum redundabit. Hoc addo: *omnes boni principes quando*

a) *Commendatio juſti Belli Belgici.*

quando in uno annulo perſcribi poſſint; dicite, amabo, quid de maximo illo Regum nobis Batavis ſine metu polliceamur? Non omnes *Perſæ* aut *Arabes* exiſtimus, qui tanti fidem facere ſoliti, ut humanam ſocietatem ab hac ſola dependere ſapienter judicarint. Non *Hircani* aut *Medi* ſumus, quibus facilius fuit de vitæ ſtatione, quàm de fidei ſanctitate quicquam remittere. Quod nunc, certè ex animo optandum eſſet, a) *ut, ſi fides toto orbe exularet, tamen à Regibus conſtanter illa retinenda, qui ea ſola, & nullo metu, cogi adſtringique deberent.* Et ex Indorum Regis ſententia: *Sceptrum & vitam eripi poſſe, fidem non poſſe.* Utinam! mei Belgæ, firmo hoc tibicine æternum inniti poſſetis. nec ulla veſtræ Paci gaudiiſque rerum viciſſitudo interveniat; quæ vos arma viroſque poſtliminiò rurſum conſcribere cogat. Exauthorato veterano jam milite; per ſenium mortemque confectis Naſſoviis; copiis, claſſibus, inſtrumentis omnibus, ſive veteris diſciplinæ neglectu, ſive vetuſtate temporum conſumptis. b) *Virtus enim militaris cæteris omnibus longe antecellit, Ipſique Reges in tutela ac præſidio bellicæ virtutis latent.* c) *Libertatem patriam parenteſque armis tegimus.* d) *Sunt belli, ſicut pacis jura, juſteque ea non minus, quam fortiter gerere debemus.* e) *Qui enim non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi parentes aut patriam, aut ſocios deſerat.* Neq; ſtrenuum militem militiæq; cauſam ſine gravi unquam exemplo accuſare debemus. *Nec improbo ſemper ore reſpuendum eſt honeſtum juſtumque bellum: cum vi vis illata defenditur.* f) *Hoc & ratio doctis, & neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, ut omnem ſemper vim à corpore, à capite, à vita propulſemus.*

 a) *Frangit*

a) *Lipſius.*
b) *Cicero.* c) *Salluſt.*
d) *Livius.* e) *Cicero.*
f) *Idem.*

a) *Frangit & attollit vires in milite cauſa,*
Quæ niſi juſta ſubeſt, excutit arma pudor,

b *Et iniqua bellans bella, ſalvus haud redit.*

c) *Diſciplina, inquam caſtrorum principi populo ipſis ſuis parentibus & liberorum charitate antiquior.* d) *Ex cujus ſinu omnes quoque triumphi manârunt.* e) *Hac acriter retenta principatum terrarum Romano imperio peperit.* Quod ſanè nemini incredibile videri debet, quando probi militis officia coram examinamus. f) *Miles enim ingenuus non fortitudinem magis, quàm fidem colit.* g) Quod ipſum pulchro exemplo reliquit M. Scaurus: *pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die, abeunte exercitum, intactis fructibus reliEtam.* h) Sublatis de Martio foro ac pulvere juſtis armis, *nihil aliud exſpectandum, niſi immortalia tributa, ſævitiam præſidentium, & ut tot armatorum millia, veluti grex venalium, ſerviant.* i) *Igitur militiæ præfectus non omittit ſuos hortari, & quæ ſapientiâ prævisa aptaque imminenti pugnæ differre.* k) *Hortari, firmare animos, minuere metum, accendere ſpem, alios laude, alios pudore & probris ſtimulare, aliis prædam oſtendere.* l) *Capeſſere pugnam, conjugum, parentum, patriæ eſſe memores.* m) Ut nihil hoc loco nunc dicam de inteſtinis civium odiis, de occultis Reip. vulneribus: quæ, ſublato armorum exercitio, facilè in bellorum civilium flamma prorumpere ſolent. Multò majore tunc malo in Remp. concitato, quàm ſi nobis priſcos omnes, *Toledos, Albanos,* Ambroſios adverſum habeamus. Videte, mei Belgæ, ab hac parte immunes ſitis. nec prius reverti ad auxilia novarum Legionum feſtinetis, quàm communem Diſcordiæ tempeſtatem cautè prudenterque

a) *Propertius.* b) *Euripid.* c) *Alex. Sever.*
d) *Val. Max.* e) *Idem.* f) *Curtius.*
g) *Frontinus.* h) *Tac. 3. hiſt.*
i) *Annal.* k) *Tac. 3. Hiſt.* l) *Tac. 5. Hiſt.*
m) *Bellum Civile fugiendum.*

Digitized by Google

terque effugere poſſitis. Quod unum, credo, nuper nobis inſenſi Hiſpani, tandem ad quietem compoſito Belgio, certò futurum cum deſiderio exſpectant. Quippe verum eſt, internis animi morbis quamplurimos laborare; alios ſecundis rebus luxuriare; non paucos in avaritiam, in rapinas, in ſuperbiam inclinare. Quæ cuncta per libidinem corruptis mentibus ineſſe ſolent, & ad arma civilia quaſi frigidam ſuffundere. Tunc, eheu! quàm lugubri argumento illam fallacis Equi Trojani molem Pacemque intra noſtra mœnia invexiſſemus!

a) *Videre parentes*

Frontibus adverſis, fraternaque cominus arma.

b) *Caſtra ex una parte contraria, & parentum Liberorumque ſacramenta diverſa.* c) *Arma enim civilia neque parari poſſunt neque haberi per bonas artes.* d) *Tunc pecunia ferro validior, & peſſimo cuique plurima vis.* e) *Tunc nulla ſeveritas diſciplinæ, & plus militibus, quam ducibus licet.* f) *Tunc crudelis Vitellius, qui inter lacera caſorum civium corpora, truncos artus, putres virorum equorumque formas, infectam tabo humum peragrans, nec flectet oculos, nec tot millia ſepultorum civium exhorreſcet.* g) *Tunc Ottoni victori non erit authoritas ad prohibendum ſcelus. jubere tantum poterit. Ita ſimulatione iræ Marium Celſum vinciri juſſum, & majorem pœnam daturum affirmans, præſenti exitio ſubtrahit.* h) *Ubi, inquam, occidere palam, ignoſcere non niſi fallendo licet.*

i) Hæc tanta mala & monſtra *HH. Audd.* feliciter à Republicâ propulſemus. Libertatem, quam Majorum pretioſo ſanguine periculiſque acquiſivimus, perpetua cum gloria macti retineamus. k) *Quare moneamus militem, ſtragem cædemque continuare: parta victoria omnia ipſis ceſſura.* l) *Illum diem*

a) *Lucan.* b) *Seneca.* c) *Tac.* 1. *Annal.* d) 1. *Hiſt. Tac.* e) 2. *Hiſt. Tac.* f) *Tac.* 2. *Hiſt.* g) *Tac.* 1. *Hiſt.* h) *Idem.* i) *Ad Bellum adhortatio.* k) *Tac.* 3. *hiſt.* l) *Idem* 5. *Annal.*

diem aut glorioſiſſimum inter majores, aut ignominioſiſſimum apud poſteros fore. a) *Miles Principi in pace decus, in bello præſidium eſt.* b) *Sine quo multa quamvis egregia, tamen invalida.* c) *Cuncta namque Virtute militari expugnabilia.* d) *& Suſpecta Pace melius eſt Bellum.*

DIXI.

a) *Idem.* b) *Tac. 1. Hiſt.* c) *Idem 14. Annal.* d) *Idem.*

ORATIO XII.

ARBITRI

Pro

PACE BELGICA.

NOn putem Ego, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Prudentiſſimi DD. Auditores,* a) tam ſine pudore atque fronte quemquam mortalium hoc loco exiſtere, qui plus quam humana fide, prudentia, conſilio ſuſceptam de PACE cogitationem juſto encomio, digniſſimaque ſui æſtimatione dedignari auſit. Cum omnium Gentium vota, ſuffragia, applauſus, de ſucceſſu lætiſſimarum rerum. PACE PUBLICA, Belgarum Libertati nunquam ſatis pro merito gratulari poſſint. Siquidem in hoc uno optatiſſimum totius Belgii bonum ac fortunas reponi: ut aliquando prolati imperii finibus ac pomœrio, non de ancipiti dubioque amplius præliorum eventu, ſed de fida ſociorum Regum majeſtate glorioſè triumphare poſſemus. Hæc tam inclyta auſpicia.

GLORIA SIT DEO IN ALTISSIMIS! Jam pridem per omne Belgium, per totam Hiſpaniam, infinitis per Europam teſtibus ac gratulationibus, jucundiſſimè exorſi ſumus. Domi, foris, viva flamma facibuſque, ſicuti religioſa quadam victima, infandam veteris belli injuriam feliciter

a) *Gratulatio de Pace Publica, qua ſalus Belgii.*

Digitized by Google

citer tandem expiavimus. Pacem, perpetuam, inquam, pacem cum maximo terrarum Monarcha, Rege Hiſpaniarum Philippo, immane quantum! producta Libertate, aſſerta Religione, ſanctiſſimæ amicitiæ jurejurando ac fiducia cum gaudio celebramus Nulla inpoſterum, ut ſpero, renaſcitura ab improba radice bellorum nova materie. Nulla animorum diſſenſione; nullo unquam repullulantis mali vulnere ac fomite recrudeſcente. Hoſtem te Patriæ Salutis appello, quiſquis Pacem non bello anteponis. Cui barbaro in pectore plumbeas fovere iras perplacet, quàm veteris belli acerbitatem, malorumque irritamenta tandem cum ſolatio deponere. Satis cruento invicem Marte hactenus depugnavimus. Satis in rabiem ac furorem, ferarum ritu, tot in annos crudeliter decertavimus. Satis vicinarum gentium lacrymis Magnæ Matris ſanctiſſimum gremium, prô pudor! irrigavimus. Corroborata tandem Belgii Libertate; defensâ ac ſtabilita Religionis Orthodoxæ puritate, quid, amabo, noſtris votis ac ſuſpiriis denique reſtat? Excuſſimus inviſæ ſervitutis jugum. Re domi foriſque pulcherrimè geſta, latè per utrumque orbem noſtri imperii formidinem circumferimus. An plus ultra affectare quidquam juvat? An Tagi Pactolique ſcrutari medullas, ſemper in animo, ſemper in opere & ſpe noſtra erit? Nunquam, ſine modico contenti, in novum orbem, in aliena patrimonia ægrotis animis inhiamus? Semel intra aureæ mediocritatis terminos poſſe conſiſtere, virilis animi argumentum eſſe duco. Non ulla eſt ratio, aut vis major, quæ ulterius in Martia arena graſſari nos cogat. Libentiſſimè ad mutum parietem acinacem ſuſpendimus, ſaturumque ſanguine gladium in vaginam Batavi recondimus. Tibi Pax alma, Pax ſalutifera, Pax cœlo digna, flexis genubus ſupplicem dextram læti porrigimus, Tu ſanctiſſimis

mis Patrum ſuſpiriis; Tu miſerorum precibus ac gemitibus toties deſiderata; toties in opem; in auxilium advocata. Tu ô PAX aurea, PAX benigna poſt tot annorum volumina jam nunc jucundè de cœlo nos reſpicis. Tandem crudeli Antæo, Ætnæiſque Fratribus intra ſuos carceres, ad perennem Caucaſum revinctis, centum poſt terga Catonis. Item nunc, Vos priſca Cyclopum progenies, & ab imo Phlegethonte Infernales manipulos in campum educite.

In Batavis nunc Arma ſilent. Lituique tubaque,
Totque per Auriacos exercita prælia campos.
Omnia viloſcunt. Hic lenta Pacis in umbra
Degitur, & patulo Bellum proſcribimus orbe.

De hac Publicæ felicitatis pulcherrima panegyri, *Nobiliſsimi, Spectatiſsimi, Clariſsimi DD. Auditores,* paucillimis hoc loco ſum dicturus. Quid de Pace, de Bello ſtatuat omnis ævi prudentia ac antiquitas, quæſo, benignis animis auribuſque percipite.

a) Ardui longique ſubſelli res eſt, PACEMNE Bello, an BELLUM Paci jure præferamus. Quod unum negotium per tot jam annos Regum Principumque comitia, immane quantum! miſere conturbat. Multorum animis per incerta fluctuantium prorſus ambigua opinione diſtractis. Optimorum tamen ſententia in bellorum exitum ac finem proximè ſe inclinat. ad hoc ipſum Chriſtiana potiſſimum charitate exſtimulante. Sed, rebus omnibus ſic undique conturbatis ac implicitis, haud facilè viam reperturi, qua tandem ad beatæ pacis aſylum tutò ac ſecurè perveniatur. Nos ſoli Belgæ, cœlo magis dilecti, votorum noſtrorum apicem, PACEM, divinitus hoc anno conſequuti ſumus. Faxit, humanarum rerum ſoſpitator DEUS! ut, pari animorum nexu cæteri Reges Principeſque invicem devincti, in firma quoque fœdera & amicitiæ fidem placidè deſcendant.

a) *An Pax Bello præponenda.*

Digitized by Google

dant. PACE enim & Concordia nihil eſt melius, nihil ſanctius. Hac non modò Homines ipſi, gentiumque diverſiſſimarum ingenia ſe oblectant; at bruta quoque animantes, quæ ad terram ventriſque paſtum projectæ; ipſa hæc, inquam, tecta atque pulpita effuſiſſimo nunc gaudio exultant. a) Et, *ut circumſpiciamus omnia, quæ populo grata ſunt & jucunda, nihil tam populare, unquam reperiemus, quàm Pacem, quàm Concordiam, quàm otium.* Quare ſapientiſſimi *Romani ſacram Concordiæ Ædem in civitate ſua ſolenni ritu dedicarunt.* In qua, peractis ſacris, Principum virorum ſimultates deponebantur. Inter quos Nero & Livius Salinator Coss. qui contra Hannibalem bellum ſuſcepturi, primò privata invicem odia compoſuere: ne propter mutuas diſſenſiones quicquam detrimenti Reſp. caperet. b) Ubi verò, *Extremum malorum, Diſcordia, accedit, conclamatum eſt, &* in exequias prodire licet univerſæ non tantùm Europæ. c) Cujus vim & venena cum *Tiberius* non ignoraret, *ſemina diſcordiarum jaciebat, prabendo Armeniam, ſpecie largitionis, turbandis Barbarorum animis.* d) Ita Pompejus imagine Pacis, & Lepidus ſpecie amicitiæ decepti. e) Unde ipſe Druſus haud leve decus quæſivit, alliciens Romanos ad Diſcordiam. O Felici nobis ſidere exorta de cœlo auſpicia! ô nimium potentes, nimium

O Fortunati Belgæ, ſua ſi bona norint!

Qui in mediis præliorum flammis facibuſque non modò tuti atque illæſi adhuc ſumus; ſed, multarum nationum victores, Regumque ſocii ac affines appellamur. Tantò nunc fortiores ac ſecuri magis, ſub tranquillæ Pacis clypeo, quàm nuper ſub armata formidoloſæ Palladis Ægide.

a) *Licet*

a) *Cicero.* b) *Tac.*
c) 12. *Annal.*
d) 1. *Annal.*
e) 2. *Annal.*

a) *Licet*, enim, *omne tecum Græciæ robur trahas.*
Licet arma longè miles ac latè explices,
Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.

b) *Sic ſuſcipi omne bellum debet, ut nihil aliud, quàm Pax quæſita eſſe videatur.* c) *Nemoque libertatis jura unquam cara habere poteſt, quem Diſcordia, quem cædes civium, quem bella delectant.* Eumque ex hominum numero exterminandum puto. Nam ſæpè victores ipſi in lacrymas effuſi ſortem ſuam miſera lætitia deteſtantur. Ex omnium, inquam, animis merito profligandum eſt bellum. E contrario, Divinæ pacis illecebra in interiorem pectoris ſinum maturè recipienda.

De hoc tam inſigni collaudatæ PACIS argumento, *Tu in Toga Adoleſcens*, mox primo loco egregiè triumphaſti. Planè juxta me ſentis. Nunc porrò cum Collega, militari hoc pullo, qui niſi tubas, & tympana crepare videtur, acriter manum conſerturus. d) Quiſquis Tu ille es, qui inauſpicato nobis omine Martium furorem & pulverem commendes, publicæ Civium ſalutis perturbatorem Te jure pronuncio. Cui multò eſt gratior acceptiorq; barbaræ crudelitatis immaniſſima turpitudo, quàm alma illa de cœlo redux Concordia. Cui cum perpetua apud poſteritatem infamia,

e) *Bellorum exuviæ, truncis affixa tropæis*
Lorica, & fracta de caſſide buccula pendens
Humanis majora bonis creduntur.

f) Cum niſi purgamenta vos urbium, populatores terræ, quam à populationibus vindicare deberetis. g) *Aſſueti latrociniis, bellorum inſolentes.* h) *Quibus ob egeſtatem & flagitia maxima peccandi neceſſitudo eſt.* Quorum lingua vana, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces: quæ honeſtè nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima. i) *Verè hirundines ærarii.*

a) *Seneca.* b) *Cicero.* c) *Idem.*
d) *Deteſtatio militiæ.* e) *Iuvenal.* f) *Curtius.*
g) *Egeſippus.* h) *Tacit.* i) *Cicero.*

rii. a) *Eminus enim militem non legimus. pecuniola proponitur, tympanorum ſtrepitus. & ecce, coeunt ignoti inter ſe ignoranteſque.*

b) *Oſſa vides Regum vacuis exucta medullis?* Miles in cauſa eſt. Tot nationum ruinam, tot regnorum vaſtitatem, templorum incendia ubique cernis? Deteſtandæ militiæ hæc ſunt præmia. Bonas Artes, ſacras illas nobis ſorores, Muſarumq; hoſpitia non modò perGermaniam audis evileſcere? Sola infelicium bellorum immiſſa tempeſtas hanc ſtragem & calamitatem induxit. c) *Nihil enim tam capax malignitatis eſt, quàm non neceſſarium bellum.* Nihil, quod tam Reip. tranquillum ſtatum conturbat. d) *Tuiſque opibus quantumvis confidis, non tamen debes certa pro incertis mutare.* Bellum namque, teſte Thucydide, non eſt in armis maximè, ſed in expenſis & ſumptibus. Ideò præpoſterè rem agitis, Reges principeſque, qui niſi aureo ſemper hamo piſcamini, & civibus veſtris immodicis exactionibus, vectigalibus, Tributis ſuccum & ſanguinem interbibitis. e) *Tu, Æternum Numen, non Deus es diſſenſionis, ſed Pacis.* f) *O mucro Domini, quouſque non requieſces? Ingredere in vaginam tuam, refrigerare, & ſile.* g) *Cogita ſuper nos cogitationes Pacis & non afflictionis, ut des nobis fidem, patientiam & invocabimus te & vivemus.* h) PAX, Concordia victis utilia, victoribus tantùm pulchra. i) Quanquam non ignorem, arma contra improbos & injuriam ſuſcipienda. k) *Militemque Principi in Pace decus, in bello præſidium eſſe.* Neque omnem bellicæ virtutis apparatum facilè de medio eſſe tollendum. Hoc ſuaſerim: non legenda vernacula multitudo, laſciviæ ſueta, laborum intolerans.

a) *Livius.* b) *Iuvenal.*
c) *Quintil.* d) *Salluſt.*
e) *Paul. ad Corinth.* f) *Ieremias.*
g) *Ibidem.* h) *Tac. 3. Hiſt.* i) *Idem.*
k) *Miles bonus laudatur.*

rans. a) *Non quibus corpus ſolo viſu torvum, & ad brevem impetum validum, nulla vulnerum patientia, ſine pudore flagitii, ſine cura ducum.* b) *Quin revocato priſco more, exerceantur legiones, etiam ſine bello proinde ac ſi hoſtis ingruat.* Diſcat Princeps, militibus cupido pugnandi quod conveniat. *Duces providendo, conſultando, cunctatione ſæpius, quàm temeritate prodeſſe.* c) *Miles ſervare vigilias, principia legionum noſſe, labore firmari debet.* d) Aliàs, quemadmodum in caſtris Vitellii omnia indiſpoſita, temulenta, pervigiliis, Bacchanalibus, quàm Diſciplinis & caſtris propria. Igitur non minus de Ducum Principumque officio, Pacis quàm belli tempore cogitandum. e) f) *Plura enim in ſumma fortuna auſpiciis & conſiliis, quàm telis & manibus geruntur.* g) Neque ſecundis rebus aliquid in quemquam ſuperbè ac violenter conſulere debet. h) *Mars enim communis, & interimit quoque jam perimentem.* i) Nec præſenti fortunæ credendum, cum quid veſper ferat, incertum ſit. k) *Princeps tamen dubiis periculorum exemptus ſit. Summa rerum ac imperio ſe reſervet. interdum venturi ſpeciem ſimulat.* l) *Ardorem animi vultu, oculis præferat.* m) Et quanquam Virtuti confidat, tamen exhortationes preceſque admiſcebit. Semper hìc cura, conſilio, fortitudine eſt opus. non temeritate, non audacia bella conſtant. n) *Sua etiam ſæpè victoria obſtitit, dum omiſſis telis, præda manus impediuntur.* o) Quod in Antonii milite videmus, qui dum prædas Cremona trahunt, ubi adulta virgo, aut quis forma conſpicuus incidiſſet, vi manibuſque rapientium divulſus, ipſos poſtremò direptores in mutuam perniciem agebat.

a) *Ductor-*

a) *Tacitus* b) *Idem* 12. *Annal.* c) *Idem* 2. *Hiſt.*
d) *Idem* 2. *Annal.* e) *Boni Ducis Officium.*
f) *Tac.* 3. *Annal.* g) *Livius.* h) *Homerum.*
i) *Livius.* k) *Tac.* 2. *Hiſt.* l) *Vellejus.*
m) *Tac.* XIV. *Annal.* n) *Tac.* 5. *Hiſt.* o) *Tac.* 3. *Hiſt.*

Digitized by Google

a) *Ductorque placebit*
Qui non præcipiti rapiet ſimul omnia caſu.
Sed, qui maturo vel læta vel aſpera rerum
Conſilio momenta regens; nec triſtibus impar,
Nec pro ſucceſſu timidus. Spatiumque morandi
Vincendique modum, mutatis noſcet habenis.

b) Porro providendum eſt, ne militem, Principemque otium, Luxuria, occultæ ſeditionum cauſæ, unquam temerè invadant. c) *Laboratur enim diſcordia, cum aſſuetus expeditionibus miles otio laſcivit.* d) *Quantumque hebes ad ſuſtinendum laborem, tantò ad ſeditiones promptior.* e) *Subitque paulatim ipſius inertiæ dulcedo, & inviſa primùm deſidia poſtremò amatur.* Inerteſque pro ſtrenuis in manipulum redeunt, ac licentia corrupti ad turbas & diſcordias prolabuntur. Non ſecus res ſe habet, ſi præfecti, ſi Ducum ſuperbia, avaritia, æmulatio acceſſerint. Una certaque peſtis, qua Provinciæ, qua regna tota in exitium ſuum præcipitantur. f) *Hi privatim degeneres, in publicum exitioſi, nihil ſpei, niſi per diſcordias habent.* g) *Libertatem & ſpecioſa nomina jactant.* Ne igitur ſecunda fortuna ad ſuperbiam Princeps inclinet. h) *Nam rebus proſperis etiam egregii Duces inſoleſcunt.* i) *Neque ſucceſſu rerum elatus victoriam hoſtibus exprobret*; ne nova moliatur, niſi prioribus firmatis. *Sic olim Cecinna nimia fortunæ indulgentia in luxum atque otium ſolutus.* Sic Campaniæ fomenta, & indomitum illum nivibus atque Alpibus virum una hyberna ſolverunt. k) *Cum nulla capitalior ſit peſtis, quàm voluptas corporis hominibus data.* l) Non exquirendi quoque à Principe novi ſinus, novaque prædandi vocabula. m) *Parum enim proficitur armis, ſi injuria ſequan-*

a) *Claudianus.* b) *Duces, Milites ab otio ſibi caveant.* c) *Agr. Tac.* d) 3. *Hiſt.*
e) *Agr. Tac.* f) 11 *Annal.* g) 4. *Hiſt.* h) 2 *Hiſt.*
i) 12. *Annal.* k) *Cicero.* l) *Tac. Agr.*
m) *Idem.*

ſequantur. a) Igitur bene *Tiberius*, ne provinciæ oneribus turbarentur, *Vtque vetera ſine avaritia aut crudelitate magiſtratum tolerarent, providebat.* b) Et merita ſua laude condecorandus *Germanicus*, *qui debellatis intra Rhenum Albimque nationibus, aggerem exſtruxit, & in modum trophaeorum arma, ſuſcriptis victarum gentium nominibus, honori Tiberii impoſuit, de ſe nihil addens.* c) *Ita enim virtute, in obſequendo, verecundia in prædicando, extra invidiam nec extra gloriam fuit.* d) *Nam, certum eſt: qui in excelſo ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales novere. Ita maxima fortuna, minima licentia eſt.*

Sed abuti Ego patientia Veſtra videor, *Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Clariſſimi DD. Auditores*, qui ultra Theatri noſtri cothurnum progreſſi, non ſolùm de militiæ rudimentis, ſed & de Principum Virorum moribus atque ingeniis multa copioſè diſſeruimus. Vtiliſſimum argumentum, quod hoc tali tempore, dum Pacem nobis promittimus, intermitti non poteſt. Pergite, quæſo, acres nobis aures animoſque largiri, ut, ſumptis decretoriis nunc armis, lætiſſimæ Pacis auſpicia contra odium & calumniam pro virili defendam.

Nulla, Tu inquis, *in Sago Adoleſcens*, Principi Belgarum populo cum Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege pax fida firmaque rectè iniri, aut retineri poteſt. nunquam inter tam diſpares morum animorumque formas inviolatam amicitiam coaluiſſe. nimis inveteratam mali cauſam, qua cum adverſario hactenus conſligimus. Præ oculis eſſe florem & robur Belgarum. privatorum opes ultra veterum cenſum indies creſcere. Omni in loco, à tot annis, Batavorum inſolentiam, mollitiem, luxuriam ſuperbè dominari. Nihil in publicis, in privatis ſacris exiſtere, quod non ſolennibus Belgarum triumphis acquiſitum. quod non regiæ apud

a) 1 *Annal.* b) 2 *Annal.* c) *Tac. Agr.* d) *Salluſt.*

pud utroſque Indos Majeſtati noſtra fortitudine , tanquam ex viſceribus ipſius,ereptum. a) Noli tu ante tempus miſer eſſe. Coram omni Europæ populo , plus quam cæſa in fidem porca , fœdus perpetuæ Pacis ſancivimus. Fideliſſimo, inquam, jurejurando venerabile Fidei Numen , certiſſimum generis humani pignus, pro teſte habemus. *Callidi & Impoſtores , quantumvis ſubtilibus conſiliis raro , aut nunquam ad potentiam veniunt.* Nullum enim ſimulatum diuturnum. Candidis ingenuiſque pectoribus , quæ Deum reverentur , res omnes proſperè ſuccedunt. Ne recedamus à pio propoſito Chriſtiani Belgæ , pro ſalute noſtra , pro honore æterni Numinis bella hactenus fortiſſimè geſſimus. Nunc imperio , Libertate , opibus noſtris egregiè amplificatis,quid Harpyiarum more,ſemper in rapinam , in ſanguinem, in prædam diſtricti ſimus ? Meliorem Ego de Hiſpano Rege ſenſum habeo. Cujus fidem conſtantiamque temerè forcillare nunquam auſim. *A Solis Ægyptiis* qui ſatis edoctus, quanta olim pœna perjuri meritò afficerentur , ut , qui duplici ſcelere , & pietatem in Deum, fidem inter homines tollebant. Neque indignum fore , ut illis , qui perjurio convicti, more Indorum, pedum manuumque digiti decurtentur. aut oculorum acie deſtituti , infeſtiſſimis Sardiniæ fontibus immergantur. Sive juxta *Thyanam* vomicis puſtuliſque liventibus ad opprobrium uſque deformentur . Quidni religioſiſſimum jusjurandum à priſcis quoque Romanis Hiſpani didicerint? apud quos bene de Rep. meritorum ſtatuæ pedeſtres & equeſtres ita ad vivum effictæ, ut, Dextra porrecta , fidem in Remp. oſtenderent. Cur non à *Numa Pompilio* ſacrum Fidei inſtitutum pari cum zelo ſtudioque imitetur? In hoc ipſo Macedonas, Medos, Perſas, Hircanos adæquare cupiat ? Cui non ignotum , quàm omnis antiquitas, ut datam

a) *Regi Hiſpano habenda fides.*

tam fidem ne frangeret, etiam erga ipſos hoſtes fideliſſima ſemper exſtiterit. *Quâque olim Cn. Domitius, in M. Scaurum; L. Craſſus, in Cn. Carbonem; M. Pomponius, in Cn. Manlium data fidei integritate fuerit.* Etiamſi, inquam, fides nunquam in hominum animis mentibuſque extaret, certè, in Regum Principumque pectoribus altiſſimis defixa radicibus apparere deberet. Qui enim fallit ac decipit, eò facere videtur, quod viribus, quod potentiæ ſuæ parum confidat. Quæ tantum inermibus inertibuſque Regulis in conſueto eſſe ſoleat. Pulchrè igitur Q. Marius apud *Livium: Favere Pietati fideique Deos, per qua Populus Romanus ad tantum faſtigium pervenit.* Nullaque tam gravis excogitari coërcitio poteſt, qua in fœderum ruptores ſatis unquam ex merito animadvertamus. Quod in Metio Suffetio (nam Ducis perfidia præſentiſſimum exercitus eſt venenum) jure obſervatum fuit. a) *Religatus inter duos currus pernicibus equis medius diſtrahebatur. Primum ultimumque illud ſupplicium apud Romanos, parum memores legum humanarum. In aliis gloriari licet, nulli gentium mitiores placuiſſe pœnas.* Sic de Regum Principumque Fide ſententiam ſtatuere, omnis honeſta ratio jubet. b) Cæterum, ſi tacita mali ſuſpicione, ſi occultis inſidiis omnique fraude carendum eſſe judicemus, Agite, in propriis veſtris præſidiis certiorem fiduciæ anchoram reponite. Ad ſapientum Virorum monita & exempla, tanquam ad ſacram Innocentiæ Aram confugite. Omnia quæcunque inciderint, pro Patriæ Salute fortiter ſuſcipite. Dehinc intrepido ſimus animo, ſi ſemel in pium fœdus cum hoſte deſcendimus. Cum animi vitiis, cum ſuperbia, cum Avaritia, cum Luxuria bellum habeamus. Hæ veræ ſunt machinæ & venena, quibus ægrum Reip. corpus lethali peſte ac vulnere contaminatur. Minus ſemper periculorum ab externo hoſte

a) *Livius.* b) *Remedia adverſum nova bella.*

Digitized by Google

hoſte habituri, quàm à domeſticis illecebris, ab illa interna tot vitiorum turba. a) *Factiones olim fuère, eruntque pluribus populis magis exitio, quàm bella externa, quam fames, quàm morbi.* b) *Opes atque divitiæ afflixère ſaculi mores, merſamque vitiis ſuis, quaſi ſentina, Rempublicam peſſum dederunt.* c) *magnificus enim apparatus conviviorum, ſumptuoſa largitio nonne ab opulentia paritura mox egeſtatem?* d) *Prope everſus orbis, cum de Principatu inter Pompejum & Caſarem certaretur. Capta toties ſuis civibus urbs. Vaſtitas Italiæ, direptiones Provinciarum ſecutæ. propinqui, fratres, trucidati, ſpoliati.* Igitur, ut in tuta Pace, ſine malorum interventu tranquillè vivamus, ut nunquam, immaniſſima illa bellua. Bellum Civile ab Inferis revocetur, bene parendo Procerum imperio liberaliter ſerviamus. Hæc, quæ diuturni belli moles moleſtiarum invexit, meliorum temporum fiducia fortiter preferamus. Exhauſta penè ac detrita ſunt tot legionum & caſtrorum impenſis Æraria. multa nobis nomina undique conflavimus. e) Diſpungenda primùm eſt ratio, antequam à conſuetis oneribus, à Tributis, à vectigalibus immunes eſſe poſſimus. Nam magnarum rerum momenta conſilio & vi pecuniarum conficiuntur. *Et, quod medici negant, ſine nervis homines ambulare: ſic & Pacis & Belli negotia non ſine nummario illo, ut ſic dicam, remigio feliciter unquam procedunt.* f) *Illuſtre enim Reip. adminiſtrandæ munimentum eſt Tributorum exactio.* g) *Quemadmodum Hannibal, qui vetera vectigalia non abolendo, & nova addendo, ingentem pecuniæ vim Romanis conflavit.* h) *Neque enim quies gentium ſinè armis, nec arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine Tributis haberi poſſunt.* Hæc ornamenta pacis, hæc belli ſubſidia. Et quemadmodum cor-

a) *Livius.* b) *Idem.* c) *Florus.* d) *Tac. 2. Hiſt.*
e) *Vectigalia ſolvenda.* f) *l. 1. §. 2. ff. de quæſt.*
g) *Æmil. Prob.* h) *Tac. 4. Hiſt.*

pus ad extremam tabem venire neceſſe eſt, alimentis ventriculo denegatis: ita Tributis non exhibitis, extrema regimini pernicies. *Neque retineri imperium poteſt ſine vectigalibus. Pendimus enim tributa Pacis fruendæ gratia.* Æquo igitur animo cives parte aliqua ſuorum fructuum, pacem ſibi ſempiternam atque otium redimere debent. a) *Sed, nemo temerè aliqua injuriâ afficiendus: quin potius imperandi auſpicium à Clementia fieri debet*, ut rectè Auguſtum monuit Livia. *In quo prudenter quoque Germanicus, qui Cappadocia in formulam Provinciæ redacta, quædam ex regiis tributis diminuit. Quo*, ut ait Tacitus *mitius Romanum imperium ſperaretur.* Vbi enim non ferendis vectigalibus aliiſque penſionibus onerantur cives, ibi conjurationes in caput Principis iniri debent, nam plurimi pecuniis acerbè conquirendi plus invidiæ, quàm virium ſibi addiderunt. b) Quodſi benigniore adhuc cura exiſtere in ſuos Princeps velit, ac tot mordacium tributorum memoriam excutere c) *levet apertis horreis pretia frugum.* & in alias terras, paucorum lucro quod eſſe ſolet, deferri hæc prohibeat. *Faciant Auguſti exemplo*, d) *qui annona Populum pellexit.* e) *Imitentur Tiberium, qui, ſævitiam annonæ incuſante plebe, ſtatuit frumento pretium. binoſque nummos in ſingulos modios de ſuo addidit.* f) *nam gravitate annonæ ſæpe juxta ſeditionem eſt ventum.*

Sed, nimis Ego diu formandis Patriæ Principumque Virorum curis, *Viri Nobiliſſimi, Prudentiſſimi, Doctiſſimi*, Gymnaſi noſtri lacertos nervoſque intendo. magis, fortaſſe, ad togam noſtræ Minervæ ſilentiique natus. Læta piaque recordatio me habet iſtius modi Virorum, qui ſimul Pacis hunc pulverem auguſto mecum cothurno decurrerunt.

a) *Tac.* b) *Princeps populo annonam curet.*
c) *Tac. 2. Annal.* d) *Tac. Agr.*
e) *2. Annal.* f) *6. Annal.*

rerunt. Hujus inclytæ æternumque victuræ Civitatis merita, in quá Decennii mei natales jam nunc numero, & aurei hujus ſæculi initia ad publicæ Salutis gratulationem religiosè me impellunt. Poſtremò, de inita cum Hiſpanis Pace quid ſentiam; quàm hujus ſit infinita, quàm inſperata apud Belgas felicitas, ſub Veſtræ HH. Audd. benevolentiæ tutela paucis dicturus.

a) Omnia, quæ animis noſtris concipere. quæ, poſt reparatæ Salutis humanæ trophæa, ſperare unquam potuimus, in uno Feliciſſimæ PACIS nomine fortiſſimi nos Belgæ conſequuti ſumus. Aliæ Gentes cum aut bellis externis, aut civilibus acerbiſſimè invicem confligant: nos, odiis omnibus ac ſimultatibus à ſuâ radice nunc penitus evulſis, omnis inimicitiæ, crudelitatis, diſſidiorum jucundiſſimum finem habemus. Ceſſant cuncta malorum irritamenta, adverſarum partium ſtudia. Ceſſant molitiones nefariæ, proditiones occultæ, inhumanitas barbara. Tot, inquam, rogi, tot neces, tot civium vitæque diſcrimina tandem feliciter nunc ceſſant. Libera per orbem & Oceanum erit navigatio. Libera cum tot Regibus populiſque commercia, ſocietas, affinitas. Vnde in publicam, in privatam felicitatem omnium bonorum meſſis ac cumulus redundabit. Quod hinc, paucos ante dies, nonnulli quoque Veſtrûm, *Humaniſſimi Audd.* oculati teſtes, coram intuiti fuiſtis. Per Brabantiam, per Flandriam finitimaſque gentes omnium tunc animis in nova gaudia & gratulationes diffuſis. Ita fiet, ut nunquam vigiliæ noſtræ armorum ſonitu, Equorumque hinnitu perturbentur. Vt de Conjugum pudicitia; de Liberorum internecione; de Sacrorum pollutione; de anima, inquam, gulaque noſtra ſolliciti ſimus. PAX una, PAX aurea in omnium pectoribus altiſſimè reſidebit. PAX Alma Divini & Humani Iuris officia in Foro,

a) PACIS *Commoda.*

in Tribunalibus, in Templis, in Gymnaſiis, cum jucundo ſui ſemper incremento tutiſſimè exercebit. O Vos, præcelſa ac divina AURIACORUM, NASSOVIORUM Principum pectora? Qui tanto Majorum ſudore ac ſanguine perpetuam nobis Pacem confectis. ô Vos, æterna ſemper gloria ſupervicturos, Illuſtriſſimi BELGARUM PROCERES! Quorum prudentia, fide, conſilio tantæ molis opus, Belli Finem, conſequuti ſumus. ô beatas florenteſque Alcmariæ Muſas! Quæ majore ſui robore ac fiducia ad Poſterorum famam, Honoriſque Ædem glorioſè nunc gradum intendent.

Precatio, ex Pſal. 85.

Ecce ſalus, ecce incultas bona copia terras
Incolet, & læti renovatrix gloria ſæcli.
En Bonitas, en alma Fides ferat obvia greſſus.
Terra fidem, cœlo terras Aſtræa relicto
Sancta colat. Comes Aſtrææ bona copia cœlo
Depluat, & latos exornet frugibus agros.
Et quacunque feret Dominus veſtigia, greſſus
Ante ferant Ius Faſque ſuos. Lis Viſque Doluſque
Deſerat afflictas per tot jam ſæcula terras.

DIXI.

Tres antecedentes recitatæ Alcmariæ cIↄ. IↄCXLVIII. Examine autumnali.

ORATIO

ORATIO XIII.

Ad Ampliſſimum Senatum

HARLINGANUM.

In Obitum

WIBRANDI WALRICHEMI.

Collegæ.

NOn patitur difficilis Scholæ noſtræ Vulneratio, A.V. Humaniſſimi AA. non patitur, inquam, difficilis Scholæ noſtræ vulneratio, & præmaturus dilectiſſimi Collegæ ex hac mortali vitâ diſceſſus, ut ſolus Ego ſub domeſtico Muſarum umbraculo dolori meo nutrimentum quæram, Nimium, Eheu! grave atque aſperum illud vulnus, quod cum tanto docendæ juventutis incommodo conjunctum, quam ut intra privatos parietes, ſine effuſo in publicum gemitu, Coërceri debeat. Magna eſt enim Reip. clades, quando illuſtrium Scholarum fundamenta Fatorum acerbitate Convelluntur: Et ſubtractis bonarum artium magiſtris, illa in ſuum caſum & exitium inclinant. Nulla namque bonorum jactura tam acerba, nulla fortunarum direptio tam gravis atque injucunda, quàm liberalium ſtudiorum, quibus publica & privata tanquam nervis & vinculis cohærent, fatalis ruina. Quare nos H. A. quem inviſa nobis Nemeſis ſubtraxit, amantiſſimi Collegæ tumulum, non dicam eductis è pumice fletibus irrorare; ſed uberrimis è pectore lacrymarum fontibus inundare debemus. Fuit equidem, quem virum amiſimus, Cives, Scholæ veſtræ ornamentum, fuit decus, fuit gloria. Tam in docendo diligens, in virtutis functione ſedulus, in laborando aſſiduus, ut omnium ſibi meritò favorem & gratiam cum omni poſte-

ſitate devinxerit. Tanta viri virtus, tamque eximia in curando a) officio ſedulitas, in obeundo munere diligentia, in formanda juventute induſtria, non patiuntur, hercule, hodiernum me diem ſine doloris publicatione tacitum tranſigere. Vetus atque laudabilis eſt conſuetudo, ut bene merentium memoriam poſteritati commendemus, nec facile inerti otio aut à ſcribendi moleſtia deterriti, præluſtrem aliorum in virtute gloriam noſtra emori negligentia permittamus.

Nos itaque, ut aliquod nobis lucellum præſens hic dies communicet, & inter tot ſiniſtræ ſortis tonitrua, aliquid ex defuncti Collegæ manibus ad ſolatium noſtrum redundet, lubricitatem vitæ humanæ, parum altius & à ſecreto magis introſpiciemus. Quàm fluxa & caduca ſint omnia, quæ nata ſemel; quàm delirent in mundi theatro miſerrimi mortales; quàm diſtet æterna felicitas momentaneis fortunæ ludibriis; quàm mors vitâ ſit potior, religioſo nunc oculo videbimus. Vos, quæſo, *Benignisſimi Audd.* dum Collegæ amantiſſimi funus noſtris quaſi humeris Schola efferimus, & ultimum eheu! quondam Amico, ad tumulum uſque & cineres devoti, honorem perſolvimus pari me paſſu in lugubri hoc agmine præeuntem comitemini. Domum quando redieritis, utilem vos de rebus humanis intra pectus & animum cogitationem concepturos polliceor.

Nunc agite, & chari tumulum celebrate Magiſtri
Officiis & mente pia. Nunc diſcite fortem,
Quam didicit Collega ſuam. Qui Palladis arte
Inclytus, heu! poſito tantorum faſce laborum,
Et vita exemptus gelida requieſcit in urna,
Nos quoque Fatorum funeſta luce moratur
Dira lues. Eadem nobis calcanda ſupremo
Meta die. Cum terribiles trux Atropos iras
Concipit, & noſtra diſſolvens ſtamina vitæ,

Mor-

a) Laus boni Præceptoris.

Mortiferum Æthæo jaculatur virus Averno.
Alterius nos fata monent præſentibus uti,
Nec longas afferre moras in craſtina vitæ
Tempora. Non noſtrum eſt, quicquid vehet altera cœlo
Mane dies. Præſens tantùm, quam vivimus horam,
Arbitriis vocat hora meis. quid veſpera ſera
Adferet, haud numeris vatum comprendere fas eſt.
Ergo agite ingenio virtutumque indole freti,
Illuſtres pietate viri, quàm lubrica cunctas
Res hominum fortuna rotet, quàm vita repente
Occidat, ut primo vix natus floſculus ævo,
Diſcite tam viridi properata morte juventa.

Vos appello, tenelli puerorum greges, quos dum ſine cuſtode errantes video, liqueſcit intus animus, & quas foris educere lacrymas virilis vetat conſtantia, nunc in optimi Collegæ manes profundere juſta poſtulat doloris ratio. Dura equidem & infauſta eſt dies, quæ tam me eximio, tam induſtrio & erudito, in promovendis adoleſcentum laboribus, Collega ſpoliavit. Et tu, inquam, ſchola univerſa, ſtupendo fortunæ fulmine percuſſa: quæ moderatore tam provido, magiſtro tam ad uſum tuum idoneo impoſterum eheu! carebis. Iacet ſub alto nunc pulvere defoſſus Palæmon inſignis; Exſpiravit animam eheu! Collega meus; obmuteſcit lingua, obrigeſcit ſermo, ceſſat oratio viri tam præſtantis atque egregii. Vbi nunc te inveniam virtus præclara, animi indoles eximia? Sub gelido ſepulchro, & tenebroſis terrarum latebris perpetuo nunc obdormis. Tu nunc hominum exterminata commerciis cum mortuis ac inanibus larvarum umbris luctaberis. Quis bonis artibus juventutem inſtruet, quis morum ineptias corriget, animorum laſciviam, ita quàm tu, mi Collega, compeſcet? Quis ita juventutis regendæ gnarus, habendæ diſciplinæ ſciens, optimæque inſtitutio-

niſ intelligens? Omnia in te fuerunt, quæ aut voce præſcribere, aut votis ego ardentiſſimis expetere potuiſſem. Nihil ad formandam, cùm virtute, tum bonis artibus juventutem deerat. Nihil ad teneræ pubis commodum excogitari, ad ſingulorum demum ſtudia tam aptum, & decens reperiri poterat, quod non tuo animo natura inſeverat, cura & induſtria promoverat. Quare nihil ego magis de te & ſtudiis tuis ſemper conqueſtus fui, quàm ut in iſtis laborum minutiis ætatem & annos contereres; qui longè altioribus in Re literaria muneribus parem animi ſpiritum gerebas. Ita in te manifeſtis argumentis eluxit pietas; ita certis probata exemplis in officio diligentia, in labore perſpecta ſedulitas, ut admirationi ſingulis, æmulationi omnibus ſufficeres. Quid enim magis bonarum artium magiſtrum decet, quàm ſincera in omnibus negotiis probitas, in vita continentia, in moribus honeſtas, in functione aſſiduitas? In te hæc omnia, in te, inquam virtutis hæc imago tanquam in ſpeculo apparuit. Tu vera Deum pietate, obſequio, reverentia proſequebaris. Tu in proximum benevolus, propenſus, officioſus. In te non locum invidia, non ſedem ſuperbia, non pedem poſuerat audacia. Morum ſimplicitas, animi candor, fides integra, æquitas juncta cum amicitia totum herculè animum invaſerat. Quanta denique in omnibus vitæ inſtitutis fuit continentia, quanta ſobrietas, quanta modeſtia! Non revocare te à pietatis ſemita potuit ſodalium benignitas, non amicorum ſuavis objecta voluptas, non ad luſum jocoſque invitantium aſſiduitas. Tunc felicem te beatumque prædicabas, quando crebra hominum ſolutus interpellatione tuis tantùm meditationibus vacares. Quando te ſacris potiùs in ſeceſſu Muſis, quàm vanis civilium rerum nugis in foro commiſceres. Odium, iram in iſtos homines conceperas, qui aut nimia honorum ambitione

tione flagrarent; aut inſatiabili divitiarum cupidine inarderent. Iuratos Dei hoſtes, naturæ opprobria, portenta Reip. terræ onera, humani generis excrementa appellabas, qui nullam de ſalute curam, omnem de ſatiando ventris abdomine cogitationem ſuſciperent. quàm ſolebas, ô optime Collega, in deſides inerteſque ad frugem fungos exacerbari! nihil exiſtere in terra onerоſius poſſe exiſtimabas, quàm virum ſua negligentem, aliena omni cum induſtria curantem; domi talpam, foris ſupra milvinam aciem proſpicientem. Si verò miſerabilem ſcholæ noſtræ jacturam, & afflictæ juventutis damna magis magiſque perpendo, vah! quanto intus luctu diſtorqueor! a)Naſci equidem à Deo utilem ſcholaſticæ diſciplinæ præceptorem neceſſe eſt, ut bene aptéque ad Diſcipulorum ſe indolem componere, pro varietate ingenii ſingulos tractare, alios monitis humaniter ad ſtudia inflammare, alios laude benigniter ducere, aliquos verbis atque objurgationibus leniter, aliquos verberibus ad officium cogere ſeveriter, nonnullos ſuis relictos moribus ad vitæ melioris ſpeciem conformare poſſit. Hæc omnia ita mirificè, mi Collega, præſtitiſti, ut beatam felicemque æſtimaverim juventutem, quæ tuæ curæ fideique concredita, rectis præſertim moribus optimiſque literarum liquoribus imbueretur. Sæpè apud me ipſum magnopere mirabar, quàm diverſam mentis inducere faciem; quàm diſſimilem tui habitum, cùm pro ingeniorum doceres diſcrimine, ſuſcipere aſſueveras. Aliquis everſo in literas animo erat? Tu dulcibus verborum lenociniis diſcendi amorem injiciebas. Aliquis obtuſum ad labores ingenium adferebat? Tu optima docendi lege adhibita, ignorantiam cum ingenito torpore diſcutiebas. Aliquis ſpiritu elato, cervice aſpera, ſenſu diſtorto, immodicè ſe efferebat? Tu, converſo in aliam ſpeciem

a) *Præceptor naturæ dotes habere debet.*

animo, hominem quaſi novum aliunde fingebas. Modò blandus, facilis, benignus videbare. Modò durus, aſper, ſeverus, ut ingenii ſive rigor, ſive vigor exigebat, ita in omnem te varietatis ſpeciem, tanquam aliquis Proteus vertebas. Heu! qualem amiſimus virum H. A. quàm utilem regendæ juventutis doctorem perdidimus! Præſertim verò hâc tam luxurioſa vitiorum propagine, his corrupti ſeculi moribus; ubi rarum & difficile virum virtute eminentem, ingenio præſtantem reperire. quò magis ex animo dolendum exiſtimo acerbiſſimum prudentis magiſtri funus, qui culpare ſeculi mores, qui proſcindere vitiorum turmas non erubeſcebat, qui malè natos puerorum animos recta inſtitutione corrigebat, bonæ mentis ſemina producere cum publicæ rei ornamento vigilantiſſimè ſtudebat. Etenim nôſtis, boni cives, cui veſtrum hactenus formandum bonis artibus ſanguinem concrediſtis; quàm ſpectatæ virtutis viro charam in diſciplinam ſobolem tradidiſtis. Incerti eſtis, qualem vobis Reſp. liberorum cuſtodem reſtitutura. Si vulgi ſuffragia decreta tulerint, quid præter flebilem juventutis interitum reformidamus? Salus liberorum, utilitas Reip. decus Curiæ, ornamentum Patriæ à prima puerorum, ſi creditis, pendet inſtitutione.

Huc age, luctiſonas in triſtia carmina voces
Pande puer, triſteſque genas riget imber aquarum,
Et fletus gemituſque, & verba ſonantia queſtum
Ferales ſocient numeros. Sint gaudia longè
Funeribus, mœſtumque acuat ſub corde dolorem
Infelix properans caſum Libitina magiſtro.
Eheu! depoſuit miſerando funere vitam
Aoniæ Rector pubis: quem ſera vetuſtas
Famaque virtutum comes inclyta ſcribit Olympo.

Vix à lacrymis abſtinere poſſum, *Audd. Ornatiſſ.* quando orbitatem noſtræ ſcholæ intueor, & vos Adoleſcentes ſine duce ac doctore veluti relictos à fu-

à funere pupillos, in ſolitudine oberrare video. Noſter ille VIBRANDUS, meus Collega eheu! VIBRANDUS vitâ exceſſit; Flos virorum VIBRANDUS, vegetæ ornamentum ætatis, fundamentum Scholæ, corculum amicorum, feretro, prô dolor! elatum, terrâ ſepultum, tenebris ſubmerſum. O nimis improbam Parcam! ô crudelem atque nefariam, ter & amplius crudelem Libitinam! quæ tam ſplendida virtute virum Reip. ſubtraxit, tam inſigni induſtria Magiſtrum Diſcipulis ademit; tam ſingulari doctrina Collegam Scholæ ſuſtulit; tam ætate validum, robore fortem, ſanguine valentem amicum amicis eripuit. Quid nobis relinquis, Chare Collega, in tuæ fidelitatis memoriam, in mutuæ amicitiæ teſſeram, dum cœlum repetis, dum tuum in iſto Redemptorem reviſis? Hoccine, ut ſortis noſtræ memores, caducam hujus vitæ gloriam deteſtemur? ut tuo nunc tumulo admoniti, noſtri ſic melius recordaremur? ut in tuum cadaver oculis defixi, noſtris ne viribus nimium conſideremus, ut fallacibus ſpecioſæ carnis compedibus irretiremur? Felicem hunc diem, quo de fragilitate humana verba facio. Infeliciorem! quòd tui, prô dolor, manes, tuum cadaver, tui cineres hoc triſte mihi argumentum, mi Collega, ſuppeditant. Sed, a)

Longius aut propius; Mors ſua quemque manet,

Nihil enim ſub ſole certius, magiſque cum humanitate conjunctum, quàm ut caduci corporis liberati carcere; mortis aliquando fatali peſte abripiamur. Seriùs, ocyùs, vitæ noſtræ terminus appropinquarit, morti denique obtemperandum, nec quicquam in illa arena tergiverſandum, quando ſuis mors armata venenis, lethale nobis poculum propinat. Nulla mora eſt morti; irrevocabile, immutabile eſt fatum. Non juventa florida, non pubeſcentes genæ, non longo vernans, non ſangui-

 nis

a) *Moriendi neceſſitas.*

nis animique firmitas lethi falcem avertunt. Non ſenium triſte, non capitis canities, non ruga frontis, non *Catonis* ſupercilium, non *Maronis* ſuavitas, non *Demoſthenis* facundia, non *Ciceronis* lepos, non *Syllæ* felicitas, non *Cræſi* opulentia, non *Alexandri* fortitudo, non *Milonis* robur, non *Paridis* formoſitas, non omnis eruditionis Majeſtas improviſos Fatorum ictus declinat. Ad unum omnes, qui vitæ ſemel uſuram accepimus, ex hac etiam vita demigrabimus. Veniet illa dies, ut viribus fractis, membris languidis, calore ſanguinis exhauſto, gelidum ſtramini ſtipuliſque cadaver projiciamur. Adveniet hæc hora, ut facies nunc ita venuſtula pallorem maciemque contrahat, lacteus in vultu candor tetram nigredinem, niveus in cute ſplendor fœdam putredinem, calor in venis rigorem & frigus ſentiat. Quis ita opibus fidens, auro argentoque potens, omnium rerum divitiis affluens, qui non jucundum atque amabile in ſepulchris pabulum ipſis vermibus futurus? Aliquis noſtrûm ſic ſupra Fortunam elatus, quem non dira mors ſubiget, quem non urna capiet, non vermes arrodent? Ponite ſpem in bonis, fiduciam in ære, robur in corpore, ſolatium in mundo. Crede, miſelle mortalis, quoque te malæ mentis abduxerit inſania, Fati te ſemper neceſſitas antevertet. Non quia hora & punctum vitæ terminandæ dubium, incertum, ambiguum, ipſam quoque mortem minus certò exſpectandum arbitreris. Neſcis quo temporis momento, quibus de nocte excubiis mortis te anguſtiæ circumvenient? An te juventutis medio in vigore, an in effetæ ſenectutis extremo abripiet, ignoras? Nihilo tamen incertiorem venturam deſuper mortem putaveris. Non eſt dubium, quòd per ambigua horarum ſpatia ad certam aliquam metam contendit. Sicut in alto nubem video, indefinita diei hora pluviam daturam; ut portentoſum in cœlo ſidus non fallentem populo

ruinam

ruinam denunciat; ut incerto illaqueantur hamo piſces; aves laqueo irretiuntur: Sic in improviſum ſæpe diem ſua mors tela excutit, ſuumque in homines virus effundit. *Tunc unius horæ momento ſplendor in ludibrium convertitur*. Quamobrem multo admiror magis mortalium in hac vita pluſquam ſtolidam vivendi conſuetudinem, ubi tam prono, tam præcipiti omnes ad mortem gradu contendimus, cùm quotidie vitæ aliquid decedat, & nulla ſuſpenſa temporis particulâ noviſſimæ rerum lineæ appropinquamus: Ita prô dolor! multi vitæ terminos opinione ſua protendunt; ſic de alta ac diuturna ſenectute temeriter loquuntur, quàm ſi de cœlo reduces, ſuam illic in Deorum conſilio ſortem didiciſſent. *Ita arant, navigant, ædificant homines*, ut non ad hodiernam fati legem, ſed ad priſca ſe ævi ſecula victuros arbitrentur. Ita theſauris corradendis, opum & divitiarum montibus congerendis, operam ſtudioſe locant, velut ſi nunquam de morte quicquam inaudiviſſent. Hi ambitione faſtuque turgidi illicitos honores ac vanam nominis gloriam nocte diéque venantur. Illi ſuperbiæ tumeſcentes afflatu ſupra caducarum ſe rerum apicem penitus extollunt. Iſti, ſe ipſos ſortemque caducitatis ſuæ ignorantes, cætera omnia tanquam aliena deſpiciunt. Aliqui mundanarum rerum deliciis ita ad flagitium aſſuefacti, ita in libidinem proni, in voluptatem præcipites, ad ſcelera proclives, ad nequitiam affecti, ad odia accenſi, in audaciam ſoluti, ut nihil minus quàm poſſeſſionem ſempiternæ felicitatis, aut ſupplicium æternæ damnationis reformident. Multi ita exili & exigua cœleſtium rerum imbuti cognitione, tam malignæ ſuperſtitionis afflati aurâ, ut cum brutis pene animantibus parem in terris vitam producere videantur. Vtinam! non quàm plures exiſterent, qui ventri atque ſomno dediti, ſicuti peregrinantes vitam tranſcurrerent: quibus non contra naturam

corpus

corpus voluptati, anima oneri eſſet. Quid eſt miſerrimi mortales, vos, inquam, ex humo facti homines, quid eſt, quòd ita terreſtrium rerum vinculis impediti, ſuperna negligitis? Quid tanta cum cura, tanto cum fervore atque æſtu caducam mortalitatis ſortem amplectimini! neglectis animorum gaudiis, poſthabita ſalutis ratione, non æſtimata religione, contempta pietate, conculcata virtute quam animis ſolitudinem fovetis? An opum ſtudiis avarè incumbitis? an nummorum cupidine vehementer flagratis? an ebur atque aurum ſuperſtitioſè diligitis? Citò pereunt fortunæ iſta oblectamenta, ſtultæ humanitatis crepundia. a) In latis domi pomœriis, in amplis hortorum ſylvis, in altis magnificarum ædium columnis ſpem ponitis? ſubmergit hæc temporum vetuſtas, depopulatur hoſtium credulitas, abſumit Vulcani violentia, dignitatem, gloriam, exiſtimationem, populi ſuffragium, civium favorem, obſequia, officia, clientelam æſtimatis? nemo unquam ſapiens umbras iſtas fumoſque ambitionum magni fecit. Quod ſi tam virtutum, quàm vitiorum, vigerent ſtudia, longè melius mortalium ſe rerum facies haberet. In tantum prò dolor! hodierna hominum ſe effert inſania, tam latè pertinax graſſatur audacia, tam fervet libido, furit impietas, viget incredulitas, riget probitas, ut vix mortem quis timeat, nemo ultimum vitæ terminum ſibi certò præfigat. Calent quotidie compita funeribus, efferuntur mortui, aperiuntur tumuli, eruuntur ſepulchris oſſa, defodiuntur cadavera, ſparguntur cineres, olent hircum humana corpora. Luctus, gemitus, ſuſpiria horrendum ſonant. Hic Patrem, ille Matrem feſtina præreptam morte lacrymis effuſiſſimis proſequitur. Hic junctum ſanguine affinem acerbiſſimis ſepultum querelis contendit. Alius robore juvenili, viribus integris per mortem abri-

a) *Omnia intereunt.*

abripitur. Alius vix ad media pueritiæ provectus ſpatia miſerabilem vitæ exitium ſortitur. Pauci reperiuntur, qui aut alieno moniti exemplo animum à vitiis abducunt, aut ipſa rerum natura & neceſſitatis edocti lege ſuam ex aliorum fortuna ſortem metiuntur. O miſerrimi mortales, quid ita corporis excæcati amentia terræ ſordibus inhæreſcitis? quid illa graveolentis carnis maſſa, illud tabidæ putredinis ſterquilinium tanto vos vanitatis ſpectaculo delectat? Eruite, amabo, humatum ſepulchretis cadaver veniat ſub aſpectum aliqua avorum vetus imago, videatur intus urna, examinetur nunc candidæ frontis venuſtas, ſpectetur illa ſpecioſa humani corporis effigies. Ecquid ſuperbis terra & cinis, quando hanc tui oris ſpeciem contemplaris? Adſpice, ut frontem exaravit peſtilens ſub terræ latebris ſcorpio; ut ventrem perforavit tumeſcens veneno ſerpens; ut oris lineamenta ad faſtidium exeſa; ut fœda oculis emanat eluvies, oreſpurcities, toto corpore putris contagio. Liceat mihi dicere cum antiquo illo Patre: a) *O homo! quid vertex capitis, niſi teſta fictilis? quid oculi, niſi humor diffluens? quid nares, niſi meatus putredinis? quid cerebrum, niſi lutum coagulatum? quid venter niſi ſaccus ſtercorum? quid ergo ſuperbis terra & cinis? ſterquilinium ipſum quid ſuperbis?* Et quis adeo omnibus dementiæ exagitatus furiis, quem in ſui amplius amorem tam execrabilis horrendaque corporis attraxerit fœditas? non mirari ſatis unquam ſoleo vaniſſimam in homine ſtultitiam, qui perpetuo tanquam victurus, aut cum annoſo Neſtore, cum longævo Tithono tot hominum exacturus ſecula, ſine mortis vel tantillâ cogitatione brutarum adinſtar pecudum ætatem tranſigit. Gloriam in fortunæ arbitrio, dignitatem in favore populi, opes, divitias in terræ jugeribus; ſpem in voluptatibus, in edendo, ludendo, bibendo cum fœdiſſimo

a) *D. Bernhard.*

diſſimo hominum monſtro conſtituit. O miſeram in animis noſtris caliginem!

Non eſt, crede mihi, ſapientis dicere: vivam.
Sera nimis vita eſt craſtina, vive hodie.

Melius, pro dolor! ipſis Chriſtianis Ethnicorum illa ſapuit antiquitas: quæ cùm ſimilem ſe bullæ vitam agere; cum temporis tantum punctulo humana contineri, ac ſolſtitialis inſtar herbæ rerum omnium flacceſcere honorem videret, omnem in vita luxuriem, in animo ſuperbiam, in lingua dolum, in negotiis temeritatem, cautiſſimè ſubterfugit. Nihil penſi magis, quàm inſtabilem vitæ conditionem ac fortunæ viciſſitudinem exiſtimans. a) Ideo *Pythagoras vitam humanam ſimilem panegyri dicebat:* hoc eſt, ſolenni hominum conventui, ad quem alii certaturi, alii negotiaturi, nonnulli ſpectatores modò futuri conveniunt. Hinc *Anonymus* Philoſophus interrogatus, qualis eſſet hominum vita: *Quum parumper ſe oſtendiſſet, mox ſe abſcondit.* Quo quid aliter ſignificare ſapiens ille voluit, quàm quòd momentaneis caducarum rerum figuris intenti tanquam ſpectatores, mox alio commigraturi, in hac mundi ſcena ſederemus. Recte *Sophocles*, cum *ſimulacro atque umbris hominum ineptias* comparavit; *rem calamitoſam unumquemque noſtrum Herodotus* dixit; *miſerum mortalem* Homerus vocavit. Præclarum illud *Epicuri*, qui *contra cætera omnia vallum aliquod inveniri* dicebat. *At contra mortem nos omnes urbem habitare immunitam.* Quare optimo etiam jure *vallem lacrymarum, fortunæ luſum, inconſtantiæ imaginem, calamitatis trutinam* vitam hanc noſtram appellant. Apud *Ægyptios* conſuetudo iſta invaluit, ut quando cum amicis epulerentur; ligno repræſentatum cadaver, quàm artificioſè ſingulis, in mortis recordationem ad oculum oſtendere ſoliti. Nôſtis divinum illud *Regis Macedonum*, qui cùm manè ſurgeret,

a) *Veterum de morte cogitatio.*

geret, in mortalitatis ſibi memoriam per puerum exclamari voluit: *Philippe morieris.* Fleviſſe dicitur potentiſſimus ille *Xerxes*, cum exercitus ſui magnitudinem ex alto contemplatus. Hinc apud *Thraces* mortis quàm nativitatis hora; interitus quàm primæ generationis dies multò felicior jucundiorque æſtimabatur. Quid eſt, quòd tam duram atque aſperam de ſemet ipſis perhibere ſententiam mortales coëgit? nonne vitæ caducitas, miſeriæ magnitudo, ſcelerum turpitudo, audacia flagitiorum, ſuperbia, faſtuſque humanæ mentis intolerabilis? Quid uberrimas *Heraclito* lacrymas, perpetuos *Democrito* cachinnos, quam rerum mundanarum vanitas, & plus quàm ſtulta prætérlabentium dierum ludibria extorſit?

Nos etiam hodierno die, *Clariſſimi, Doctiſſimi Viri*, dum funebri oratione Collegæ noſtro parentamus, ſingularem, nunc de morte cogitationem ſuſcipiamus, animumque à caducis mundi rebus abſtrahamus, totam ingenii vim in induſtriâ fatorum meditatione exerceamus. Cogitemus *in conducto nos habitare, & domicilium corporis ad breve tantum tempus à natura conceſſum.* Quamcumque vitæ horam ſuſpectam habentes tanquam extremam reformidemus. a) *Non ex craſtino pendeamus, ſed hodiernis manum injiciamus. Quicquid ætatis retro eſt, mors tenet.* Quicquid annorum ſupereſt, non noſtri eſt arbitrii. In præſens ſapiendum, qui ſapere unquam cogitat: ait ille. Sæpius *de morte cogitandum, quàm ſpirandum; ſic diſce quaſi ſemper eſſes victurus: Sic vive, quaſi mox eſſes moriturus.* & alibi in ſacris *Gregorius: Perfecta* eſt *vita mortis meditatio*, quam *dum juſti ſollicite peragunt, culparum laqueos evadunt.* Et quid eſt, quod nos in mortalitatis hac ſcena detineat? Quod tantâ dulcedine animum alliciat; ita in ſui amorem nos pelliciat? *vanitas vanitatum, & omnia vanitas!* nihil tam

a) *Seneca variis locis.*

tam oculis amabile, tam à facie ſplendidum, ab elegantia politum, quod non ſera dies paulatim minuat, vetuſtus corrumpat, mors denique ſuis tenebris ſepeliat. Si à mundi exordio vitam duxiſſes, ſi ab Adami tempore orbem incoluiſſes, nunquid emigrandum? ſi omnia fortunæ bona ſolus poſſideres, nunquid vitæ tuæ terminos, vel latum, ut ſic dicam, unguem, ultra voluntatis divinæ decretum extenderes?

Ludibrium Parcis omnes
Mortique ſumus. Nihil ſtabile certumque
Horum, quæ mortalium appetit libido.
Ah! me miſellum! quid tot curis fatigor?
Cur tot Siſypheos exantlo labores,
Famaque aucupium, nominiſque laudem
Demens affecto? levis nos umbra ſumus
Minuſque nihilo. ſicut flos in agro
Repente meſſoris declinat ad ictum;
Ut fumus ſpargitur vacuas in auras,
Bullaque tranſit levis ſcenaque luſus:
Haud ſecus caduci & hoſpites terrarum,
Poſt breve nos tempus morimur vocati.
Gratare diem Magiſtro pubes ſupremum:
Qui tot compedibus curarum ſolutus,
Et carne liber cælo triumphat,
Nos inter mille vitam Martis furores,
Tot inter lethifera mortis timores,
Et peſtis famiſque pallida dolores
Funeſto ducimus capulo vicinam:
Inque diem morimur, & meta propinquat
Lucis extrema. Breve vivitur ævum,
Horis incertis. Forſan ſtamina rumpet
Improba Clotho & vita Lacheſis filum
Incidet, ante quàm Phœbi nocturnis
Soror luminibus obſcurarit axem,
Depone gravem, pubes, luctum, tenella:
Nec funeſta timeamus Aconita lethes.

In

In CHRISTO vivimus, & mors vita noſtra eſt.
Æternaque patens Ianua ſalutis.

DIXI.

Recitata Harlingæ CIↃ IↃ CXXXIII.

ORATIO XIV.

INAUGURALIS.

De rectè informanda Iuventute.

QUod Felix Fauſtumque ſit, *Ampliſſ. Spectatiſſime D. Prætor; Magnifici, Nobiliſſimi, Prudentiſſimi DD. Conſules; Conſultiſſimi, Doctiſſimi, DD. Scholarchæ, Reverendi, Clariſſimi DD. Paſtores*; Vos auditores ac *Mæcenates Humaniſſimi*. Tandem inquam. *Quod Felix Fauſtumque ſit*. Vivus valenſq; ad vos advenio; ut quam mihi ultro & honorifice in Illuſtri Veſtro *Gymnaſio* Provinciam decreviſtis, nunc Bono cum DEO aggrediar. Vale Patria FRISIORUM antiqua. Vale Tu quondam mea Leoverdia. *Tu dulce decus meum, Muſarum Domus optima*. Tu ſalve illuſtris ALCMARIA. Ad Vos, Viri Nobiles, Viri prudentes libens lubenſque me confero. In Veſtram Civitatem, quam præ cæteris ſolam atque unicam æſtimo, me & Muſas meas, feliciter quod vortat DEUS tranſporto. Equidem ex ipſo lætor animo, quod hiſce Vos oculis nunc coràm intuear, qui per omnem ætatem, meis ſemper ſenſibus, & interno illi Genio ſic perpetim oberraſtis. Meritò enim me oblectet, meliore Spartâ Muſas meas ornare; & illic locorum vitam ducere, ubi plus Deo Opt. Max. ac bonæ menti impoſterum litare queam. Quemadmodum præ cæteris Virtutibus Batavorum nomen illuſtri in fama verſatur, ac per omnem Europam, & utriuſque Solis limitem inclaruit: Sic potiſſimùm Ingeniorum illo ſplendore & Bonarum Artium nundi-

natione

natione ſibi admirabilem apud omnes Nationes reverentiam conciliavit. Hac de cauſa Veſtræ Reip. civis eſſe malui: quæ domi non minus contra Legum barbariem, literarum munita præſidiis; ac foris contra communem Libertatis hoſtem armorum viribus defenſa. Neque dubito, quin ſanctiore Domicilio hic Fidem & Muſas offendam: ubi & laudem ſine invidia, gratiam pro jure & merito invenire quis poſſit. Illa, prô dolor! dolenda Reſp. quæ adeò inteſtinis convulſa ſeditionibus, ſic animorum diſtracta diſſidiis. ut nihil ſanctum atque æquum pro virtute, omnia ad unius ſervilis lucri compendium ordinet ac diſponat. Sed, nolo noſtrum ſæculum, aut Patria mea hoc ore & loco nunc vapulet. Pars amoris eſt, illa ſilentiis caliginoſi temporis involvere, quæ apud tuos, ſi in lucem protrahantur, dedecori eſſe queant. De Muſarum & literarum jactura tantùm hîc queror. Quæ ſi apud Noſtrates magis in deſpectum & fabulam veniant, vereor, antiquæ noſtræ gloriæ, & Parentum illuſtris Famæ, non parvum, prô pudor! detrimentum. Quo magis, *Ampliſſimi, Spectatiſſimi Viri*, Veſtram ego Civitatem, ambabus quaſi ulnis, amplexus fui: ſicut tutiſſimum Studiorum meorum perfugium, & unicum Literatæ Sapientiæ Aſylum. Vbi ſub ipſa Heliconis umbra, velut alta in ſolitudine atque otio cum venerandis Muſarum Alumnis liceat conſeneſcere. Quo potiſſimum favore, IUDICES, nunc ære Veſtro exibo? Quid muneris rependam, pro tanta in me gratia ac honeſtamento? Inopinato me gaudio cumulaſtis, iſtis præſertim temporibus, quando magno Literarum Columini, PARENTI meo, ferale officium exſolverem, totus tunc lacrymis ac dolore coopertus. Vos, novum mihi de cœlo Sidus affulſiſtis, tanquam præſentaneo vulneri præſentem medicinam adhibituri, certè per viam fatalem, & quaſi vindicem acerbiſſimi doloris. Neſcio ſanè, quæ

quæ ſolis natalis me nauſea tunc primùm ceperit, quando meus Ille, heu! quondam PARENS, hujus vitæ ſtationem deſereret, memoriæ ſuæ virtutis parùm dignè in Liberorum promotione reſervata. Hoc magis me afficit, quod apud Vos, *Ampliſſimi*, *Spectatiſſimi Viri*, tantò dignius Literarum Studiis Hoſpitium invenero. Quò me non vilis ille ambitus, & ad oſculum dejecta ſuffragia; ſed ſolius Dei providentia deſtinavit. Quamvis in Patria mea ſatis amplâ gloriâ floruerim, & per integrum ſexennium moderandæ Iuventuti non ſine laude ac invidia præfuerim; Quæ mihi in Galliis etiam domo abſenti, ultrò tunc Provincia evenit: multò tamen amplius veſtro Honori ac munificentiæ attribuo: Qui me illuſtris *Gymnaſii Alcmarienſis* Rectorem & Reſtauratorem voluiſtis, vocaſtis. Quod in illum me locum quoque collocaſtis, ex quo magni Nominis olim viri abditam Eruditionis ſcientiam ſunt profeſſi. Inter quos, præ cæteris, primas facilè tenet Doctiſſimus Murmellius: Sub cujus Diſciplina tantus in Veſtram urbem confluxus, ut ex Annalium illa fide eruenti ſummam meritò admirationem relinquant. Atque eo magis, quod me ſic floridâ ætate, primâ vernantem lanugine, & nondum annoſo Prudentiæ collecto robore, in talium Virorum cætum ac coronam adoptaſtis. Quam vellem, pari nunc animo tanti Beneficii magnitudinem adæquare; aut aliquo Ingenii noſtri donario meam erga Vos gratitudinem publicè conteſtari poſſem! ut quæ tam liberaliter in me munera congeſſiſtis, non ignobili etiam loco collocata videretis. *Animi ingenui eſſe* judico, *cum multum debeas eidem plurimum velle debere.* a) Quarè, cum omnia mecum animo diligenter perpenderim, ac plenum conſilii ſenatum, ut ait Comicus, in cor advocaverim, nihil profectò veſtræ expectationi, tum meæ provinciæ utilius

a) *Seneca.*

utilius meliuſve invenire potui, quam ut de *Informanda Rectis Moribus juxta Bonas Artes Iuventute*, hoc tempore verba facerem. In quo uno Veſtræ civitatis ſalus, univerſæ Reip. felicitas, ut in ſuo cardine & fundamento, ſtabilitur. Quod dum facere inſtituo, & nunc Scholaſticæ Inſtitutionis longum iter ingredior. hoc Vos oro rogoque *Magnifici, Ampliſſimi* DOMINI, aures mihi veſtras benevolè præbeatis, ut Oratio mea benignæ attentionis afflata Zephyro portum facilius nanciſcatur.

*Bonum Factum! IUDICES; ac laudabile Majorum Inſtitutum quod in Illuſtri ALCMARIA Civitate, Publicam Bonarum Artium Virtutiſque Officinam erexerint. In quâ Sui & Poſterorum Liberi præclara Sudiorum laude inſtructi & inſtituti, ad Spem feliciter gubernandæ Reip. alerentur. Quo uno nihil ſanè ad ſuos Nepotes in omnem vitam pulchrius conferre potuerunt: ad Publicæ Salutis cuſtodiam nihil utilius; ad ſervandam Religionis puritatem nihil melius; ad magni Numinis amplificationem & gloriam nihil unquam laudabilius magiſque neceſſarium. *Neque enim aliud Schola ſunt, quàm officina Sapientia, Domicilia honeſtatis, Semiraria Reip. Διδασκαλεῖα λογικῶν, ϗ θεογνωσίας παιδευτήρια.* a) Quod inprimis in hoc laudabili Gymnaſio ſumma ſemper ope diligentiaque inde à longi temporis intervallo in hodiernum uſque obſervatum. Cui de Præſtantiſſimis proſpiciendo Magiſtris, nullis unquam ſumptibus, aut innerum moleſtiis Clariſſimi Magiſtratus deterriti fuerunt. In alias provincias, longè à patria diſceſſerunt, ut jacenti Scholæ ſupplementum ſciberent, & florem optimorum Virorum eligerent, quos ſuis Liberis ad virtutis & doctrinæ exemplum præficerent. Neque in illo zelus & ſedulitas celeberrimi Senatus deledit. Quod ad

* *Commendatio Alcm. Gymnaſii.* a) *D. Baſilius.*

ad Docentium authoritatem maximoperè faciebat, Diſcentium animis metum ac reverentiam incuteret, perpetuas ſuæ juventuti & Gymnaſio Leges condidére. In quibus ut civitatis univerſæ ſalus, teſte Ariſtotele, conſiſtit: ſic frænandæ formandæque Iuventutis ratio præcipuè ab illis dependet. Cum apud imbellem turbam & innoxios illos animos tacita legum reverentia plurimum poſſit. Aliæ plerunque Nationes cùm exigua Virtuti pabula ſubminiſtrent, bonis Artibus ſuum otium invideant, nihil poſterius ad animum & curas admittant, quàm de Re Literaria bene mereri, *Vos, Ampliſſimi Viri*, de Literis & Literatorum præmiis, etſi in mediis Bellorum incendiis, ſumma cum laude curam & cogitationem ſuſcipitis. Nunquam ad publicum ærarium ita avarè attenti aut in re nummaria ſic difficiles, quin parata Virtuti merces, & benemerentibus abunde ſua ſuppetant præmia, ſolatia. Tunc optimè locatum cenſetis operam, quando tenellis Puerorum animis religioſa adhibetur Educatio. Quod non immeritò dixerim de ſingulorum Civium in Literas amore, quo ſui Senatus ſententiam de juvandis Muſarum rebus unanimi conſenſu probant, amplectuntur. Qui nihil cum ſuâ ipſorum ſalute rectius convenire arbitrati, quàm ætatis illud lubricum, quàm Liberorum ſuorum vitam ab optimis Ingeniorum Magiſtris ad decentem Virtutis habitum componi. Scilicet, *πηγὴ ϗ ῥίζα τῆς καλοκαγαθίας ἐστὶ τὸ νομίμου παιδείας τυχεῖν. Quamobrem nihil mirum, præſtantiſſimi ingenii Viros hoc tam clemente ac benigno Literarum aëre oriundos: qui & anteacto & præſenti adhuc ſæculo æternam gloriæ ſuæ famam tranſcribunt. Ex hac illuſtri ALCMARIENSIUM Civitate, illa Illuſtris NANNIORUM, NIEUBURGIORUM, Nobiliſſima TEYLINGORUM; inclyta FO-

RESTO-

* *Plut. de Educat. Liberorum,*

RESTORUM, ac OUDESTEYNIORUM Familia. Hinc perpetui Mobilis atque Nominis inventor *Drebbelius*; Mechanicarum artium Clariſſimus Houtmannus; & ille, quem recente adhuc lugemus vulnere, Mathematum Coryphæus, *Adrianus Metius.* Quorum fama & eruditio cum ipſo ſolis curriculo determinatur. Longa foret tabula, plenaque invidiæ, ſi ſingulorum nomina & Imagines, quibus Civitas noſtra abundè ſcatet, in ſcenam proferrem. Quos inter, Clariſſimos tàmen CORENIOS; Diſertiſſimos SNELLIOS, BRUNONES præterire minimè poſſum, aut debeo, Viros multijuga Eruditione, ſingulari Virtute, ac omni laudum genere cumulatiſſimos. Et ſanè, nulla patria majorem ſibi laudem acquiſivit, quàm ſi illo Divinarum mentium Spiritu immortalem ſuo nomini gloriam reliquerit. Igitur *Alexander M.* cum Achillis tumulum intueretur, ter felicem exclamavit Adoleſcentem, quod ſuæ Virtutis præconem Homerum inveniſſet. Etiam profecto, *Veſtræ Civitati divinitus ac peculiare hoc datum videtur, ut cum ſola vinci regiis armis non potuerit, Clariſſima Ingenia ex illa libera & intacta ſervitio Civitate ederet, quæ terra, in qua aërem hauſerant, oblita, ex cœleſtium & Naturæ rerum indagatione, non ſine miraculo præſentis ævi inclareſcerent.* a) Et præter illa, Cœli Solique temperies, quæ Hominum animos vario ac difformi calore ſolet diſtinguere, ad recipiendas omnes Muſarum delicias, Veſtræ quoque Vrbis Pomœrium deſcripſit. Vt vix putem, Poëticum illum Parnaſſum, aut viridantem perpetuò Helicona, ſua dulcium aquarum ſcaturigine ac amœnitate plus unquam eruditas Dearum animas affeciſſe. Supra omnes Alcinoos, ſupra Adonidum hortos, ſupra Pompeianas ac Salluſtianas ambulationes, Flora ſe veſtra exerit.

a) Nec

a) P. *Vinſemius in Epiſt. Funeb. Metiana.*

a) *Nec Latium profert Bajas; aut Theſſala Tempe*
Græcia, nec campos Brixia terra tuos.

b) *Manè ſurrexiſti? ad Muſicam, & circumſonant te, & velut ſalutant Chori illi alitum, ſuaviter fritillantium, trutilantium, ad quod non æquiparent ſe tibia, cythara, aut ex arte ulli cantus. In hortum proſpexiſti? Oculorum aciem perſtringet tibi illâ ipſa nocte exortum agmen florum. In pratum? occurrent vere novo arbores odora quadram & cana nive perſperſa, Inſitiones mirabere & matrimonia. adulteria & ſuppoſitos fœtus, inſcia matre nec invita.* Quod de ſuo olim agro Themiſtocles per præconem proclamari juſſit, hoc meritò de veſtra Ego Civitate dixerim: γείτονα χρηστὸν ἔχει. Quid enim magis Muſarum habitacula commendet, quàm illa ſylvarum vicina amœnitas, tot circumjacentium agrorum fœcunda ubertas? ubi unquam fatigatum ſtudiis animum & intentas cerebri cogitationes, ſive negotiorum undis compreſſum ſpiritum reficies melius feliciuſve, quàm ſub illo frondeo ſimulacro, ſub opaca nitidiſſimarum arborum corona? Quàm præclare, Auditores, de Muſarum otio Veſtri Majores ſunt meriti! Qui ſub jucunda Cœli plaga, ſub tam benigna Naturæ zona Liberalium Ingeniorum meditationi hoc dignum & laudabile Virtutis Theatrum aperuerunt. Vtinam modò! poſterior ætas, & ab illo fonte deducta in hoc ſæculum progenies eâdem adhuc Virtutis flammâ incaleſcat; ne quid avi degenerantis macula, aut infelix temporum injuria priſco illi decoro detraxerit.

c) Sed longùm me nimis fortunata morantur nemora, ſedeſque beatæ. Revocat promiſſa materies, & poſt læta ſpectacula, tempus eſt in ſcholam reverti: ut, quod principiò pollicitus fui, animos & aures veſtras illi utili ac neceſſaria Formandæ

G Iuven-

a) *Caſp. Barlæus de Alcmaria.* b) *Lipſ.* 1. *Cento Epiſt.* 8, c) *De officio Præceptoris, Pars* 1.

Iuventutis Imagine demulceam atque oblectem. Si ulla Reſp. *Iudices*, ſarta tectaque ſubſiſtere debeat, principe loco curanda eſt Iuventutis recta Inſtitutio. Quæ ſi languida & parum bonæ fidei, vah! quàm turpe noſtris majoribus ludibrium debemus. Etenim à prima puerilis infantiæ nutritione, omniâ in humanam ſocietatem bona promanant. Nec citius in ruinam ipſa Imperiorum poteſtas adduci poteſt, quàm ſi liberaliter educandæ Iuventutis tollantur Gymnaſia. Dicite, amabo, quid à belluinâ feritate, à barbarorum ignominioſa cæcitate, ab exoticæ Gentis profanitate differemus, ſi divina Præceptorum ſileat Oratio? Quare primus ille Eloquentiæ Parens: a) *Nullum*, inquit, *majus meliuſve afferre Reip. munus poteris, quàm ſi doceas atque erudias Iuventutem. iis præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit.* Quamobrem non de nihilo operam meam collocare videbor, ſi parum Ego attentius Scholaſtici muneris provinciam, quæ præcipuè inter DOCENTEM & DISCENTEM verſatur, Vobis hoc loco demonſtravero. b) *Sebolarum Magiſtri animorum generatione Deum æmulantur, pubis formatione Naturam perficiunt, amoris ſtudio parentes æquant. Virtutis ſapientiæque præceptis Remp. conſervant. Quod ut præſtent, ô Herculea Virtutis animoſa pectora!* Illud cum obire Dionyſius non poſſet, Diogenes c) pro Cynica ſua mordacitate, tam illum malè *idoneum Puerorum Rectorem, quàm Populi Regem vocavit.* Profecto! divina eſt atque admiranda adminiſtrandæ Rei Scholaſticæ provincia; Καὶ πάντων χαλεπώτερόν ἐστιν ἄρχειν ψυχῶν. d) Quæ Functio non niſi magno Virorum delectu, niſi ipſo rerum experimento cuiquam concredi debet. Caput lubricæ ætatis & immorigeræ Iuventutis Præceptor eſt;

a) *Cicero.* b) *Parens meus p.m. in Theat. Ing. Hum.* c) *Laert.* d) *Nilus.*

Digitized by Google

eſt; à quo omnis Vitiorum labes, tanquam incorrupto ſui ſæculi exemplo, longiſſimùm abeſſe debet. a) Vt, qui aliis vitæ morumque normam præſcribit, à ſe ipſo optimè vivendi regulam deſumat. Cum molli ætate negotium habet: ubi præſertim opus egregio in Virtutem Manuductore: qui tenellis ingeniis ſtatim à lacte materno, quemcunque volet, certiſſimæ Virtutis habitum imprimat.

b) *Sincerum eſt niſi vas, quodcunque infundis, aceſcit.*

Abſit à Puerorum illo grege mali oris & moris Magiſter: qui ſua impuritate plus uno die contaminet, quàm integra ætate animum innocentem erudiat ac emendet. Fugite illum Protagoram, fugite; nec corrupta pravis artibus Juventute ſibi gloriam cum flagitio aucupetur. Sunt illa beneficæ Naturæ prodiga, ἀλλοτρίοις σιτούμενοι ἐοικότες: qui alieno malo tanquam ſuo ſanguine & ſucco victitant. Melior illa *Æſchinis* ſententia: Διδασκάλοις σωφρόσι καὶ φιλοπόνοις παρακαταθῶμεν τοὺς ἡμετέρους αὐτῶν παῖδας. In illorum, *inquit*, cuſtodiam Liberi noſtri committendi, quorum vita & Virtus aliis Cynoſura atque exemplum fiat. Non aliter *Theophylactus* ſtatuit: qui Præceptorem *illis Virtutibus* vult *præditum, quas ipſe poſtmodum à ſuis Diſcipulis ſit exacturus.* Quod ſi parum ſtudioſè ac diligenter in Reip. obſervetur, quàm vos, ô Cives, infeliciſſimam morum barbariem, cum priſcis mundi tenebris, propediem habituri. Nihil, credite, pernicioſius; nihil cum majore detrimento in hominum ſocietatem profluere, quàm ſi primæ Iuventutis ſeminaria ex male regentium contubernio, tanquam veneno aliquo inficiantur. Scivit hoc optimè peſſimus *Iulianus* c) qui ut facilius Chriſtiani nominis memoriam deleret; Preceptorum illis uſu atque exercitio in-

a) *Damnum mali Præceptoris.* b) *Horat. in Epiſt.*
c) *Marcell.* d) *Ælianus.*

terdixit. Fecerunt hoc *Mitylenenſes* a) qui, cum acerbiſſimis homines ſuppliciis damnarent, morum illis Diſciplinam ademerunt. Sic monſtra illa humani generis *Licinius* & *Caracalla* b) ita olim *Cretenſes*, c) qui cum peſſimè alicui vellent, malorum illi hominum ſocietatem imprecabantur. Quid ni Naturæ lex eſt: Quicunque in alium imperium voles, ac inprimis imperitæ multitudini præeſſe, aliis *tua Virtutis facem* præferas oportet. Cum nulla res ita pernicioſa Diſcipulo, ſicut vita Magiſtri contumelioſa. Præſertim, cum nemo noſtrûm ignoret, præclaræ inſtitutionis fundamentum in virtute conſiſtere. d) Et quemadmodum Præſtantiſſimi Pictores primùm in tabulis ponunt lineamenta, denique coloribus rem illuſtrant: ſic molles ac mobiles Puerorum animos primùm Virtutis colore formari, quàm Literarum pulchritudine ornari debere. *τότε ἀνύσει*, dixit Didymus, *Διδάσκαλος, καὶ πιστεύεται λέγων, ὅταν ἀφ' ὧν περὶ τῆς παιδείας*. Et quis alius illorum, quos exantlamus, Laborum finis, quàm ERUDITA PIETAS? ut non minus religioſâ Virtute, quàm bonarum Artium notitia excellamus. Quem ſi noſtris oculis ſcopum & terminum declinemus, fruſtra eſt, etſi unus omnium Muſarum ſupellectilem ingenio tuo complectaris.

Pietas ſac condiat Artes.

Et primùm ſit noſſe Deum tibi cura Iuventus.

Bonus verò Vir, inquit Seneca, *ſine Deo nemo eſt.* Comici Sententia: *Penes illum omnia adſunt bona, quem penes eſt virtus.* e) Ex ſacra pagina; *Pietas ad omnia utilis*; & Deo quodcunque opus nititur, æternum ac durabile: cætera omnia fluxa ac caduca ſunt, Vanitatum ipſa vanitas. f) *Quid in Homine ad rem pertinet, quanti fœnoret, à quàm multis ſalutetur*

a) *Ælianus*, b) *Dion Nic.* c) *Val. Maxim.*
d) *Inſtitutionis Fundamentum in Virtute.*
e) *Plautus.* f) *Seneca.*

Digitized by Google

tur, quàm pellucido poculo bibet, ſi non cæteris fortunæ blandimentis Pietatem; ſi non Doctrinarum illi majeſtati Virtutis quoque dignitatem ac gloriam conjungat? Præclara Virtutum facinora? ſicut anima, immortalia ſunt. *Hæc ſolida armatura*, ait Antiſthenes, *quæ detrahi non poteſt*, nec unquam ad virtutem ſibi deficit, nec ulla re opus habet, niſi robore Socratico, *Virtutem in Templo invenies, in Foro, in Curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, calloſas habentem manus.* a) Cujus etſi tenera ſint principia, à tempore duramentum & robur acquirit. Huic vera laus debetur, ſola beatum, honoratum, nobilem facit; una temporum injurias neſcit, fortunæ aſſultum ridet; in ſecundis, in adverſis non colorem, non animum mutat.

Etſi totus illabatur Orbis
Impavidam ferient ruinæ. b)

c) Hoc primum veræ laudis Theatrum: quod generoſæ Iuventutis Moderatorem ſine tædio, ſine faſtidio ingredi oportet. In quo Diſcipulorum chara ſibi Pectora, ad glorioſæ Virtutis palmam, quâ poſſit induſtria, ſtrenuò exerceat. Neque tamen ſola Virtus, etſi primarium facilè locum teneat, illud arduum Magiſtri munus perficit ac tuetur. Comitari illam velut Ducem debet multarum rerum Scientia; ſi ad famam boni nominis & uſum juventutis seriò quis attendat. Neque in alium transfundere quid poteſt, aut de ſuo quicquam ingenio ad Diſcipulorum aures referre, ſi non ipſe à varia Eruditione, quam aliis tradendam ſuſcepit, pulcherrimè fiat inſtructus. d) Quamvis non ita facilè in hanc partem providi Magiſtratus errorem committant: qui alienam eruditionem, aut ex ſcriptorum fama, aut conſultis ſuorum judiciis, antequam

a) *Idem.* b) *Horat.* c) *Requiritur in Præceptore Scientia & aptitudo Docendi.*

d) *Non temere vocandi præceptores ad munus Scholaſticum.*

periculoſæ vocationis diſcrimen adeant, examinare prius ac ponderare poſſunt. Illud tamen ſæpenumerò ignorare ſolemus, a) quorundam præclara Ingenia an ad promendam eruditionem, ad inſtruendum aliorum animos ſatis idonea ac aptè nata videantur. Illa ut in abditis naturæ receſſibus ſæpiſſimè latent: ſic niſi judicioſa contemplatione in medium protrahuntur. Multi divino valent ingenio, variamque intus eruditionem ſapiunt, cum tamen ad docendum planè inepti & natura inhabiles. Omnia ſuo ſupercilio videntur complecti, nihil in aliqua arte ignorare. Quos ubi in opere ad praxin inveneris, & ſua ingenia paullum excutere, vix ſui illos ſimiles invenies. Nihil in converſatione oſtendunt humanitatis, in correctione patientiæ, in diſciplina moderationis, judicii. Multa perperam, præpoſterè ſuis Tyronibus inculcant, ſine lege, ſine methodo quodcunque pertractant. O miſeram juventutem! quæ ab ejuſmodi Literarum Magiſtris vitæ modum capeſſit; quæ ad illorum nutum & arbitria omnem ætatis florem conteris ac conſumis. Hoc ſolidum Naturæ beneficium, ad cujuſcunque Ingenii mores aptè decenterque ſe componere; ſingulorum indolem non ex cœco mentis impetu, ſed ex æquo atque recto diſcernere ac dignoſcere. Quo uno in Scholaſtica functione nihil in homine præclarius, nihil adeò neceſſarium.

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut umbra.

Modò cum divino, ſubtili, aut mediocri ingenio converſaberis; nunc cum humili, tardo, tortuoſo; nunc cum obſtinato ac refractario; cum horrido & inculto. Ad omnem quaſi auram hic ſapere oportet, qui ſemel Literarium illud æquor eſt invectus. Non adeò in diverſos hominum morbos incidit Medicus; non Luna tam varios colores aſſumit; non Cœlum tam diſpares motus ac tempe-
ſtatem

a) *Parens p.m. in Th. Ing. Humani.*

ſtatem admittit: quàm illa Ingeniorum ratio multifariam in humano pectore ſe oſtendit. In quo negotio qui verſaris, cave in alteram partem ne quid nimis. ὁμοίως ἐστὶ κακὸν, καὶ ἄνεσις ἀσωφρόνιστος καὶ κατάγνωσις ἀσυγχώρητος. a) *Quæ in pravum induruerunt, facilius corrumpas quàm corrigas.* b) Dura & immitis ſeveritas animorum alacritatem frangit. *Enervis & delicata indulgentia, remiſſo cupiditatum fræno, ad peccandum licentiam permittit. Detur ætati parva innoxiè laſciviendi venia.*

Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium ſua ſponte rectè facere, quàm alieno metu. c)

——— Peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataque fortius urget
Imperioſa quies. d)

Ingenia melius recta ſe in laudes ferunt,
Si nobilem animum vegeta Libertas alit. e)

Quod egregiè noſtro ævo *Eraſmus: Haud ſcio,* inquit, *an quicquam diſcitur feliciùs, quàm quod ludendo diſcitur.*

f) Agite Vos, *Amantiſſimi Collegæ*, & ad rectè informandam Civium noſtrorum Iuventutem omnes Ingenii nervos, vires virtuteſque mecum conferte. De cujuſque indole & ingenio prudenter deſpicite; de latentibus naturæ notis fideliter providete: & ad animorum nativam vim, ad intus detruſos animi ſenſus Vos quàm maximè idoneos componite, conformate. Ineſchare enim diſcipulos qui neſcit, nunquam rem faciet. In imbelli ſumus militia, nunc cum mollibus, cum mobilibus; mox cum duris, refractariis puerorum ingeniis fortiter colluctandum. Nequid temerè aut inconſultò hîc fiat, mira prudentia, multa patientia eſt opus:

a) *Nazianz.* b) *Quintilianus.* c) *Terentius.* d) *Lucanus & alibi.* e) *Sen. Poët.* f) *Hortatio ad cognoſcendam indolem.*

Dum faciles animi Iuvenum, dum mobilis ætas. a)

Aliqui laudum duci ſtimulis malunt, quàm ſuppliciorum metu coërceri. Illos vix frænis & repagulis retinere queas. Hi ſponte, iſti alieno imperio & calcaribus aſellorum inſtar, urgeri volunt. *Præceptor bonam indolem erexit, modò laudibus fecit animum, modò admonitionibus diſcuſſit deſidiam, ingenium pigrum & latens, injecta, ut ſic dicam, manu extraxit.* b) Hæc ſi ſingula quis facere poſſit, divinum illum quis negeт? ille c)

Rara avis in terris, nigroque ſimillima Cycno.

Tum demum multò magis, cum liberali vultu atque animo tantæ difficultatis provinciam ſuſtinet, cum ſumma diligentia, abſque aliqua bile & falſugine, illum orbicularem Siſyphi lapidem perpetuò volvit, ac revolvit. Quando nulla in docendo moroſitas illum abripit, nulla difficultatis latebra impedit ac moratur.

Qui premere, & laxas norit dare cautus habenas. d)

Is etiam eſt Honos Homini pudico, meminiſſe officium ſuum. Et nimis homo nihili eſt, qui piger: nimiſque genus ego id odi male, e) ὁμῶς ἀΐδαο πύλῃσι.

f) Quam propè infinita. A V *D.* in Bonarum Artium Magiſtro Virtutum præcepta requiritis! Non minus, in quot animi vitia prona præcepſque Iuventus incurrit, tot quoque numero optimis illum remediis inſtructum eſſe vultis: quibus ægris & corruptis aliorum mentibus medicinam affundat. Ne, quod teneræ ætati contagium ſubitò adhæreſcit, in nervum & conſuetudinem obduret. Cæteroquin univerſæ vitæ pudendum foret, niſi Cenſoria Præceptorum admonitione corrigeretur. Nulla ætatis eſt rimula, aut fiſſura, quam non perſpicere morum ille Cenſor debet. Domi, foris de ſuo grege ſollicitus, dies noctéſque in perenni cura, nunquam animo ſecurus. Quàm tu præclarè,

mi

a) *Virgilius.* b) *Seneca.* c) *Perſius.* d) *Virgilius.*
e) *Plaut.* f) *Educatio.*

Digitized by Google

mi Magiſter, de commiſſa tibi pube palmam meruiſti! Qui in teneræ ætatis primâ Educatione feliciter ſequuturæ Virtutis fundamentum ponis. Illa, quaſi Parens nobis altera, quæ incompoſitos animorum motus in rectæ rationis viam deducit; quæ adgenita nequitiæ ſemina, antequam mature adoleverint, in prima ſua herba ſuffocat, exſtinguit. Qua ſola multarum rerum defectum & noſtræ Naturæ debilitatem, ad ſui generis perfectionem attollimus, promovemus. a) *Educatio rudibus Puerorum animis omnem facilè formam inducit; quam nulla poſteri temporis ætas obliteret, expungat. Semel impreſſam herbeſcenti Pueritiæ imaginem fruſtra tentes exſtinguere, primæ manus ductu ac lineamentis ſemper refulgentibus.* Eſt profectò, Κεφάλαιον ὀρθῆς παιδείας ὀρθὴ τροφή, b) tenera juventutis ſalus & fundamentum. Quod in ſe ipſo facilè agnovit *Themiſtocles*, qui mirantibus in melius mutatos mores, dicebat: c) *Neſcitis, aſperos & indomitos pullos in optimos equos evadere, ſi quis illis rectam adhibeat diſciplinam?* Faſſus hoc idem de ſe *Socrates*, d) quod ſolis Philoſophiæ præceptis nativas naturæ ſordes abſterſerit. Non ignoravit *Ariſtoteles*, qui Virtutis cuſtodiam in recta Educatione poſuit. Qua de cauſa in e) *Thuriorum* erat inſtituto, ut publica ſuis Liberis impenſa doctiſſimos Magiſtros præficerent. Sic *Indi* & *Brachmanes*, qui recenter in lucem editis infantibus vitæ Curatorem apponebant. f) Quam cum *Romani* in ſuis Liberis neceſſitatem animadverterent, nulli cæterorum inſolens verbum dicere, nec factum indecorum præſtare, impunè fuit. Hic meritò *Crates* aliquis exclamet: h) *Quorſum ruitis Cives, qui omne ſtudium in pecuniis collocatis, Liberorum veſtrorum curam negligitis?* Dic; qualis ille, quem olim

 claro

a) *Parens meus p. m. in Th. Ing. Hum. lib. 2. cap. 1.*
b) *Plato.* c) *Plut. in Themiſt.* d) *Cicero.*
e) *Diod. Sic.* f) *Strabo.* g) *Plutarchus.*

claro die cum lucerna in foro quærebat *Cynicus?* Hominem rectis inſtitutum & imbutum moribus. Atque ideo a) *Megarenſium ſe dici arietem, quam illorum Filium maluit:* quod Liberorum inſtitutionem negligerent. ὅλι χαλεπὸν συνήθειαν μακρὰν ἐκστῆναι: b) *Nulla enim res magis animos honeſtos & in pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum Converſatio. Paulatim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter adſpici, frequenter audiri;* c) Videmus Nautas & Agricolas ſolis perpetui radiis colorari, unguentarias tabernas odorem loci circumferre: Sic diuturna cum aliis Converſatio, naturæ quoque habitum immutat. Igitur eleganter Græcus ille:

Σοφοῖς ὁμιλῶν καὐτὸς ἐκβήσῃ σοφὸς
Κακοῖς ὁμιλῶν κἀυτὸς ἐκβήσῃ κακός. d)

e) *Adſpice quid faciant Commercia!* f) Adoleſcens. *Vnum exemplum libidinis aut luxuriæ multum mali facit. Convictus delicatus paulatim enervat ac emollit. Vicinus dives cupiditatem irritat. Malignus comes, quamvis candido & ſimplici rubiginem ſuam affricuit. Recede in te ipſum quantum potes, & cum his converſare, qui te meliorem facturi.* g) Quid mirum? *Platonem* ab Ægyptiis Sacerdotibus; *Pythagoram* à Iudæis ac Perſis, *Ariſtotelem* à Socrate; *Philippum Macedonem* ab Epaminonda & Pelopida plurimum ad Doctrinam profeciſſe. Imitare, Adoleſcens, imitare, & quantum vires tibi permittunt, perge callem illum rectum. Macte, gradum ne ponas ſine memoria Virtutis.

h) Sed, quem video, IVDICES in illa Præceptorum inſtitutione, in media quaſi via hic ſcopulum? Tuum malæ Magiſter, nomen hic vapulat: Qui in tanta Scriptorum varietate & vaſtitate, non tuum ſatis iter lubricæ ætatis ingeniis præmonſtras.

a) *Ælianus.* b) *Philo.* c) *Seneca.* d) *Menand.*
e) *Converſatio.* f) *Iuven.* g) *Seneca.*
h) *Vtilia docenda.*

Digitized by Google

ſtras. In illo præ cæteris cura judicioque eſt opus, ut cæcam Iuventutem, quantum fieri poſſit, ad ſolùm utilia & per omnem ætatem profutura tanquam manu veſtra ducatis: ne totiès per immenſum Literarum jactata pelagus, in Syrtes & Charybdes abripiatur. *Nam ubi ſemel ſe animus cupiditate devinxit mala, neceſſe eſt conſilia conſequi conſimilia.* a) Cum nihil magis vitio eſſe poſſit ſtudioſæ juventuti, quàm ſine ordine, ſine bono delectu in veterum Scriptorum monumentis verſari. Igitur ut ætatum certi ſunt gradus ac intervalla: Sic Authorum illa lectio, pro ſingulorum captu & judicio eſt attemperanda. *Certis ingeniis immorari & innutriri oportet, ſi velis aliquid trahere quod in animo feliciter ſedeat. Nuſquam eſt, qui ubique eſt. In peregrinatione vitam agentibus hoc evenit, ut multa hoſpitia habeant, nullas amicitias. Idem accidat neceſſe eſt iis, qui nullius ſe ingenio familiariter applicant; ſed omnia curſim & properantes tranſmittunt.* b) Florem elige principum Virorum, Adoleſcens, quos in ſuccum & ſanguinem convertas, quorum interno Doctrinæ colore ſic animum tuum imbuas, ut quod longo rerum uſu ac conſuetudine diceris, prorſus in naturam vertatur. Hic tibi eſt opus Ariadnes filo, quo tuus ille Theſeus Magiſter ex errorum Labyrintho te explicet, exſolvat. Per cujus veſtigia & primos ductus tu rectà Literarum illud portum ingrediare. c) Non hic Veſtram, *Ampliſſimi DOMINI*, præterire laudem & induſtriam poſſum: qui publico Gymnaſii veſtri decreto, tanquam digito præmonſtraſtis, qui potiſſimùm, ad rectè informandam Iuventutem, Authores optimè conducant. Qui ſingulis in ſuo Auditorio labor incumbat, quo ordine priſci Scriptores legendi ac ſeligendi. περιεργάζεσθαι, καὶ τὰ πολλὰ πράσσειν, οὐκ ἐν ἀσφαλεῖ εἶναι. Non dicam de Octava,

a) *Terentius.* b) *Seneca.* c) *Ordo Claſſium in Schol. Alcmariana.*

va, de Septima, Claſſe; quæ altioribus diſciplinis ſuum fundamentum ac rudimentum ſubminiſtrant, bona divinaque methodo inſtructis. Nihil de Sexta, de Quinta hic loquar: in quibus adhuc rudia ac tenuia Puerorum veſtigia per illos illuſtres Authorum campos, jam à teneris quaſi ſerpere & ſapere incipiunt. a) Ex Quarta nemo in Tertiam promovetur, niſi publici examinis rigorem ſumma cum laude ſuſtinuerit; niſi Salluſtianam, Terentianam dictionem probè perdidiceris; in Virgilianis, in Plautinis elegantiis aliquid dignum legerit, obſervaverit; aliquid Plutarchi, aut Iſocratis, ex Græcorum fontibus, delibaverit. Abſit, in Tertiam ad *Rectorem*, adſpirare quis audeat, niſi in utroque dicendi genere, in ligata ac ſoluta Oratione ſtylum mediocriter formaverit. Ubi illos per tot Claſſium ſeriem, difficiles laborum ſcopulos ſtudioſa Iuventus enavigavit, inde in apertum Eloquentiæ ad Literarum campum iter patet. Quicquid deſertiſſimorum Rhetorum, Logicorum arculæ & ingenia poſſint, huc pleno quaſi Circo, in medium, ſi potes, profer. Hic Poëta, hic Hiſtoricus, Latino-Græcus vocem pandit: ut eruditis tum Fabularum, tum Antiquitatum materiis noſtri ſæculi ſegnitiem ac ſocordiam, ad aliquam æmulationis laudem, provoces, prorites. Quibus ſanè ſtudiis ingenuo Homini nihil dulcius, nihil delectabilius eſſe poteſt. Καθάπερ ἐστὶ φυλακτικὸν σώματος ὑγίεια, οὕτω τῆς ψυχῆς φυλακτικὸν καθέστηκε παιδεία. b) Et quod olim de Amore Flaccus, Ego de Principe Eloquentiæ Facultatis ſtudio exclamem:

Quæ Saga, quis me ſolvere Theſſalus
Magus venenis, quis poterit Deus?
Vix illigatum me triformi
Pegaſus expediet Chimera. c)

a) Tan-

a) *Rectoris penſum in benè conſtituta Schola.*
b) *Ariſt.* c) *Horatius.*

a) Tandem ad Vos, Nobiliſſimi Adoleſcentes, Oratio mea proficiſcitur.

Nunc age claviculo rigidum ſuſpende Magiſtrum.

Vt quâ in tabula Divini Præceptoris perſonam hic delineavi: ſic veſtrum quoque munus & officium viva vobis imagine repræſentem. *Niſi me auſcultas.* Adoleſcens, *atque hoc, ut dico, facis, tute pone te latebis facile, ne inveniat te Honor: in occulto jacebis, cum te maxime clarum voles.* b) Antidoto eſt opus, quo contra Vitiorum contagia, contra tot ſæculi noſtri morbos animum obfirmes ac præſerves. c) Quocunque oculos ac aurem intendis, pura monſtra putamque peſtem incurres: unde exitialis ad te pernicies, ſi non egregia tuum pectus præmunias ſapientia. Ante omnia Virtuti te involve, uni firmiſſimo vitæ Humanæ præſidio: cujus ſeptemplice ſi clypeo probè armatus ac amictus fueris, non eſt, quod ullam Vitiorum tempeſtatem vereare.

Virtus eſt Vitium fugere; & Sapientia prima,
Stultitia caruiſſe d)

Hæc una cæteris Fortunæ ſpoliis potentior, externa omnia ridet ac deſpicit. Hæc rerum tuarum fulcrum & fundamentum fac ſiat, *quæ altiſſimis defixa radicib. nulla vi labefactari, nunquam loco dimoveri poteſt.* e) ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, dixit Ethnicus f): tu in illo ſolidam felicitatis tuæ anchoram pone: cui columnæ quodcunque ſtudiorum ſuperſtruxeris, nulli unquam temporum injuriæ ludibrium debebit. Cum illa rerum humanarum Regina Virtute, bonarum Artium coniungi debet Majeſtas: quæ tum demum perfecta omnibus gloriæ ſuæ lineamentis. g) Quâ ut optimè exornare te poſſis, & ad ſolidam Doctrinæ laudem graſſari, ex Oraculo, εἰ συγχρωτίζοιτο τοῖς νεκροῖς eſt opus.

a) *De Officio Diſcipulorum, Pars II.* b) *Plautus.*
c) *Virtuti ſtudendum.* d) *Horatius.* e) *Cicero.*
f) *Arat.* g) *Diligentia eſt opus & labor.*

pus. a) *Vigilando, agendo bene conſulendo, proſperè omnia cedunt.* b) Et cum *Laconibus* admota manu Fortuna imploranda eſt: Quæ, ſi induſtriam & laborem remiſeris, propitium à te vultum avertet. c) *Cape ſis Virtutem animo, & corde expelle deſidiam tuo.* d) *Neque ulla res tam facilis, quin difficilis fiat, quam invitus facias.* Nec quicquam eſt, tam aut factu difficile; aut explicatu dubium, aut cogitatu arduum, quod non ſtudii pertinacia & laboris aſſiduitate ſubigi & expugnari poſſit. e) *Montes excelſos vides? complanantur. Flumina profunda? exhauriuntur. Arbores altas? exſtirpantur. Sic Helleſpontum Zerxes contabulavit, & Athon montem, effoſſa tellure, pervium navibus fecit. Sic Alexander Magnus Tyron inſulam, injectu mari clauſtri continenti junxit. Sic Roma urbs, ſumpto à paſtorali casâ initio, in immenſum excrevit & orbis terrarum imperium nacta eſt. Tu verò de explicanda rerum verborumve obſcuritate, de percipienda tortuoſa præceptionis ſcientia, de evincenda ſtudiorum difficultate & moleſtia deſperares? Virtute ſuperanda omnis difficultas, labore evincenda moleſtia, ſtudio atque aſſiduitate operis ardua quæque ſubmittenda ſunt. Etſi unus dies,* Adoleſcens, *Hominum eruditorum plus patet, quam imperiti longiſſima ætas.* f) quid in alto vos otio ſtertitis? *ἡ παιδεία τοῖς μὲν νέοις σωφροσύνη, τοῖς δὲ πρεσβυτέροις παραμυθία, τοῖς δὲ πένησι πλοῦτος, τοῖς δὲ πλουσίοις κόσμος.* g) Vos, ut in poſſeſſionem tanti theſauri veniatis; nullo unquam labore animos veſtros frangeretis? Quod Doctrinæ pretium cum ignoraret *Demoſthenes*, h) raſo capite in ſubterraneas cavernas conceſſit, ut rectius Philoſophiæ vocaret i) *Democritus ille Abderites*, qui, ut melius animi oculis uteretur, objecto luminibus lebete, ſe ipſum excæcavit. Fame intermortuus fuiſſet

a) *Zeno.* b) *Salluſt.* c) *Plaut.* d) *Terentius.* e) *Parens meus p. m. Gymnaſio Eloquentiæ* f) *Sen.* g) *Plutarch,* h) *Cælius.* i) *Valerius.*

Digitized

fuiſſet *Carneades*, niſi uxor Meliſſa Viro profundum meditanti cibum in os ingeſſiſſet. Hauriendis de nocte aquis *Cleanthes* ſe exercuit, ut de die Philoſophorum inſtitutione frueretur a) *Antiſthenes* adeò Literarum voluptate exarſit, ut relictis, quos habebat domi, Diſcipulis, in Socratis ſe diſciplinam conferret. b) Non minore deprædicandus laude *Diogenes*, quem non aſpera objurgationum verba, quem non intentata fuſtium verbera ab Antiſthene removerunt. c) Non dicam hoc loco, Clariſſimos ab omni ævo Imperatores, *Scipionem*, *Pompejum*, *Cæſarem*, *Alexandrum*, qui in armis & literis unicum animi ſui ſolatium poſuerunt. Pudeat, Adoleſcens, niſi ſummo induſtriæ conatu Literarium illum pulverem ingrediare. τῷ γὰρ πονοῦντι ὁ θεὸς συλλαμβάνει· d) Age omnem torporem, laſſitudinem, ſocordiam à te abigas, ὅπου πλείων ὁ πόνος ἐκεῖ μείζων ἡ ἡδονή. *Et Homine imperito nunquam quicquam injuſtius*; e) nihil turpius, fœdius, infelicius, poſt conditam rerum naturam, Sol adſpexit. Quare *Socrates* hominem indoctum onus terræ graviſſimum & *aureum mancipium* nominavit. *Ariſtippus*, ſatius eſſe inquit, mendicum fieri, quàm indoctum. f) Pulcherrimum verò animal, quod terra parens in lucem ederet, *Homo eſt*, inquit ſapientiſſimus Socrates, *Doctrina excultus*. g) Hæc tam divina vox, Adoleſcens, animum tuum inflammet; hæc Virtutum ſtimulos, ad multa præclarè audendum, aculeos ſubminiſtret, ut *otium & deſidiam*, *vivi hominis ſepulturam*, magno ſemper animo deteſtere. h)

Ignaris improbis Viris verbera, compedes, molæ; magna Laſſitudo, Fames, friguſque durum: Hæc pretia ſunt Ignaviæ.

Hæc

a) Idem. b) Laert. c) Ælianus. d) Chryſoſt.
e) Terent. f) Eraſmus. g) Cavendum ab otio. h) Plautus.

Hac mihi adventu ſuo grandinem imbremque attulit:
Hac verecundiam & Virtutis modum
Deturbavit. Nunc ſimul Res, Fama, Virtus
Decuſque deſeruerunt. a)

b) Quod humani generis dedecus, Ignaviam, ut priſci Rerump. Gubernatores ab hominum conſortio averterent, illam Legibus ſuppliciiſque conſtrinxerunt. Inter quos primò mihi occurrunt *Ægyptii*, c) qui certam ſuis civibus artem indixerunt, ut in opere aliquo ſemper intenti, nunquam deſidia corrumperentur. Quibus aſperior Athenienſium *Draco*, qui ignavia convictos ultimo capitis ſupplicio affecit. d) Mitiore lege *Sardi*, qui unumquemq; ad vitæ victuſque reddendam rationem cogebant. e) *Romani* verò, ut ſuum Odium in Otium egregio facinore conteſtarentur, Vacunæ templum extra urbem trans Tyberim conſecrarunt, ut illam ingenii Virtutiſque peſtem ſuæ civitatis finibus exterminarent. f) Atque ut Peſtilentis Ignaviæ Otiique fugam Vobis indicimus: Sic etiam à turpi aliorum Vitiorum ergaſtulo, Vos ad puræ Virtutis templum vocamus, invitamus. g)

Per Pietatem! nolo ego cum improbis te Viris
Gnate mi, Neque in via, neque in foro ullum ſermonem exequi:
Novi ego ſæculum moribus quibus ſit. Malus Bonum, Malum
Eſſe vult, ut ſit ſui ſimilis: turbant, miſcent
Mores mali, rapax,
Avarus, invidus, Sacrum, Profanum, publicum, privatum habet.
Hiulca gens! Hæc ego doleo; hæc ſunt, quæ me excruciant.

Hæc

a) *Idem*, b) *Ignaviæ pœna.* c) *Herod. lib.* 2.
d) *Cal. lib.* 11. *c.* 3. e) *Ælian. lib.* 4. f) *Plin. lib.* 13. *c.* 12. g) *Et à reliquis Vitiis abſtinendum Iuventuti.*

Digitized by Google

Hac dies noctesque tibi canto, ut caveas. a)

Fruſtra, Adoleſcens, in omnes ſe formas vertit Præceptor, oleum & operam in te perdit, ſi non teipſum ad bonam mentem componis. *Tibi aras, tibi occas, tibi ſeris, tibi eidem metes, tibi denique iſte pariet lætitiam labos. Omnes Boni ſibi hæc expetunt, Rem, Fidem, Honorem, Gloriam & Gratiam. Hinc probis pretium eſt.* b) Oderis profanum vulgus, & illos procul à te arceas, quos prava Libido emollit, quos Voluptas frangit, gula irritat. Ad amicam Muſis Temperantiam, ad Verecundiam, Modeſtiam te accinge. Cum ſimplice Curiorum victu, cum ſobria Milonis menſa, cum Pythagoræ oleribus, cum Socratis tenui ſalino contentus vive.

Diſcite, quàm parvo liceat producere vitam,
Et quantum Natura petat. c)

Abſit, prava ventris libidine ac voracitate rem ſuam comedere, profundere; in luſtris ac popinis, alea, vino tempus ætatis conſumere. Caveas Intemperantiam, luxuriam, impuritatem. Vide, quantum illi à funere abſunt, qui ad faces & cereos vivunt; Qui in Dionyſiaco agone perpetuo ad palmam currunt. *Anima ſicca Sapientiſſima eſt.* d) Per libidinem corrupto nihil honeſtum ineſt. Cum Ariſtotele contemplare Voluptates non venientes, ſed abeuntes. *Simplici curâ conſtant neceſſaria; in delicias laboratur.* e) Et magna pars Libertatis, benè moratus venter. Apage hinc Calicum illos remiges, Bicongios, Tiberios, Biberios; qui non ut vivant nati, ſed ut bibant. *Cum his ambulare oportet, cum quibus conſpectus, non mutes colorem.* f) Id Vos operam date, Adoleſcentes, ut illum veſtræ ætatis florem ſoli Deo ac Sapientiæ ſtudio tribuatis, nihil fallacibus Voluptatum illecebris, aut turpi inde otio mancipetis. Ἐστὶν δίκης ὀφθαλμὸς, ὃς τὰ πάνθ' ὁρᾷ.

a) *Plaut.* b) *Idem.* c) *Lucan.* d) *Plato.*
e) *Seneca.* f) *Plut. in Laced.*

ὁρᾷ. Per ſignata Præceptorum veſtigia, per ſalubria parentum monita, per ſudores, labores, ad Honoris ædem conſtanti gradu contendite. a) πολυτελέςατον ἀνάλωμα χρόνος cogitate. *Male vivunt, qui ſemper vivere incipiunt, & dum vita differtur, tranſcurrit.* b) *Is mihi vivere demum, atque anima frui videtur, qui aliquo negotio intentus, præclari facinoris, aut artis bonæ famam quærit.* c)

d) Non ſanè parvi momenti res, egregiam Doctrina famam ſibi comparaſſe, & in tantum ſupra vulgus ſapere. χαλεπὰ τὰ καλά: quo non veternus aliquis & molle otium perducit, non ſomnolentia ac ſecuritas; ſed diurnis nocturniſque vigiliis concatenatus labor. Per obſtantes voluptatum catervas, per tot ſaxa & libidinum ſcopulos perrumpere oportet, ut in pulcherrimum Eruditionis Atrium intromittare. Vulcani fabrica eſt opus, in qua multo verbere crebriſque ictibus Minervæ cerebrum contundas, donec divinus inde fœtus, ſapientia proſiliat. Quam ut feliciter conſequaris, quid te impediat, quid retardet, quominus ad laudem & palmam connitare. Ad ſolidum laborem te confer, ad continuas lucubrationes, ut oculi ſpectando, lumbi ſedendo doleant. Non poſita eſt Eruditio in perpolito pavimento, in pariete, aut contignatione picturata, non in nitentibus umbilicis ac phaleris. Nec ſi Athenis Epicteti lampadem emeris, aut omnium Philoſophorum Bibliothecam tibi comparaveris, quicquam magis ad Doctrinam proficies. θεοί τ' ἀγαθὰ πόνοις πωλοῦσιν. Et cum *Heſiodo:* τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν ἀθάνατοι. Nunquam magno æſtimamus, quod vili conſtat. Illa juvant, quæ pluris emuntur; quæ ex altero orbe huc portes. Contemnimus, quæ ante pedes poſita. Illa bonarum Artium Eruditio, quæ Prudentiæ ſola mater, Civitatum

a) *Plutarch.* b) *Seneca.* c) *Salluſt.*
d) *Difficultas Literaria.*

tatum moderatrix, Legum magiſtra, Regnorum adminiſtra, Fons Veritatis, dic quæſo, quam laudem ac gloriam mereretur, ſi ad cujuſvis ſe pretium & vota proſtitueret? a) Siquis verò paullò penitius Literariam illam amœnitatem introſpiciat, ſi omnes Palladis delicias animo ſecum reputet, quid ni ſumma cum alacritate, cito properoque gradu ad bicipitem illum Parnaſſum contendat? Quò ſi læto limite perveneris, indè ex ſummo montis jugo, quaſi æternitatis aliquo ſudo ac ſidere afflatus, in ipſum profectò Felicitatis, Sapientiæque Meditullium deducêre.

Hic inter flumina nota,
Et fontes ſacros frigus captabis opacum. b)

Vbi cum Platone & Socrate de animarum immortalitate; cum Democrito, cum Pythagora de reconditis naturæ miraculis coram diſſeres ac colloquere. Vbi inter cœleſtes Poëtarum numeros, Pindarica tot Plectra, inter tot voces Cygnæas & divinos ſpiritus vitam ages. Si hæc tibi adlubeſcit Voluptas, Adoleſcens, age velis remiſque longum illud Athenas iter mecum ingredere. c) *Si intenderis animum, & perſtiteris in attentionis negotio, crede mihi, labor magna ex parte levabitur. Submittent ſe tibi ardua Parnaſſi juga, aperietur ſuâ ſponte Minervæ Templum. Muſæ ſuis ſedibus effuſæ, advenienti occurrent. Veritas & ſapientia ſuum complexa Alumnum, patefacto ſinu, reconditos Eruditionis Theſauros offerent.*

d) *Adjuti vicere Deo; Labor omnia vincit:*
Omnia cum Precibus fervida cura poteſt.

Nihil eſt, quod non expugnet pertinax Labor, & intenta ac diligens Cura. e)

ἥδε δέ μοι κατὰ θυμὸν ἀρίστη φαίνετο βουλή.

a) Hæc

a) Amœnitas Literaria. b) Virg. c) Parens p. m. in Gymnaſio Eloquentiæ.
d) Parens p. m. in Poëmatibus ſuis.
e) Seneca.

a) Hæc ſunt, *Ampliſſ. Magnifici, Reverendi DOMINI:* quæ hoc tempore, de *Scholaſtica Inſtitutione ac rectè Informanda Iuventute*, dicere conſtitui. Quantum potui, vivis lineamentis DOCENTEM & DISCENTEM Veſtris oculis propoſui, ut, Officium utriuſque quod ſiat, Vos etiam in Publico videretis. Quæ ſi à nobis unanimi labore, pari induſtria ac ſtudio exerceantur, quamvis magnam Schola Veſtra ex Temporum injuria nunc maculam contraxerit, hoc propediem futurum ſpero ac confido: Nos antiquum illi decus & gloriam reſtituturos. b) *Turpe eſt cedere oneri, & luctari cum officio, quod ſemel incepiſti: Non eſt vir fortis ac ſtrenuus, qui laborem fugit.* Vos inprimis, DOMINI, quando Veſtri GYMNASII bonam perpetuo curam & cuſtodiam geritis; ſi bonarum Artium ſtudia, illa, qua par eſt, obſervantia ac reverentia proſequamini, magnorum Regum atque Principum exemplo bene merentium Præceptorum induſtriam in digna ſemper laude ac deprædicatione habeatis. *Bonæ Artes honore nutriuntur, atque hoc ſpecimen eſt florentis Reipub. quando Diſciplinarum Profeſſoribus opulenta pendantur præmia.* c) & Poëta teſte: d)

Excitat auditor ſtudium, laudataque virtus
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Quam ſi Literariæ dignitatis tutelam ad paucos recidere patiamini, magnam Poſteritati injuriam, univerſæ Reip. ruinam, orbi terrarum meram noctem & tenebras offunditis. Hoc præſertim tempore, quo

——— Mali mores
Quaſi herba irrigua ſuccrêrunt uberrimè: nec quicquam nunc eſt, niſi
Mali Mores: quorum jam licet metere meſſem maximam. e)

Et VOS, *Prudentiſſimi* CIVES, quando Veſtros

a) *Peroratio.* b) *Seneca.* c) *Cicero.* d) *Ovid.* e) *Plaut.*

Digitized by Google

ſtros Liberos intra domeſticos parietes, quæ magna Parentum eſt Virtus, ad illuſtris gloriæ perſequendum curriculum dextrimè cohortemini. Illis Virtutem magnificis verbis imprimatis, Vitiorum illa contagia apud illos, niſi cum aliqua deteſtatione ac ſupercilio nominetis. *Serò didiſcit animus quod didicit diu.* a) Et à teneris aſſueſcere multum eſt. Mos *Laconum* erat cibi potioniſque menſuram Liberis præficere, illos ſobrio cum æqualibus convictu educare, ne qua rudem animum malignitas inficeret. b) Veſtrum eſt *Optimi* CIVES, maturè providere, ne quid lubrica illa ætas capiat detrimenti. *& deſinat remedio eſſe locus, ubi quæ fuerant vitia, mores ſunt*, c) Cavete Ingeniorum illi teneritudini nimium à teneris indulgeatis: qui unus eſt aditus & janua ad omne ſcelus; aut, immodico Liberorum affectu, illos intra proprios complexus & ulnas, Simiarum inſtar, juguletis. Sicuti otioſæ veſtes, cum rarò corpori induuntur, ferè à tineis corroduntur: Sic & Pueri, qui ſi indulgenter nimis habentur, fermè à morbis & internis animi vitiis corrumpuntur. *Plato* ludos & ferias probat, quæ non multum à ſeriis actionibus diſcordant. *Lacon* præceptor, effecturum ſe dicebat, *uti traditus ſibi in diſciplinam puer honeſtis delectetur, turpibus ingemiſcat.* d) Et præclarè Cicero: *Non minus*, inquit, *Otii quam negotii ratio exſtare debet.* Quo ſenſu olim *Anaxagoras*, qui hoc præ cæteris ſingulari cura præcepit, ut, quo die vita fungeretur, Pueri bonis artibus operam navantes à ſtudiis feriantur, ut continui laboris aſperitatem, dulci aliquo vacationis oblectamento diſpungerent. *Sed nimis nolo Deſidiæ eum locum dare:* e) ne, quod honeſtæ Ingeniorum remiſſioni, fractiſque nimio labore viribus, quadam liberalitate conceſſum, in degenerem licentiam vertatur.

a) *Seneca.* b) *Plutarchus.* c) *Seneca.* d) *Plut. de vita Mor.* e) *Plaut.*

Me quod attinet : Ζεὺς δ' ξυνίστωρ, οἵ δ' ἐν οὐρανῷ θεοί*: faciam,*

ὅσσον μὲν ἐγὼ δύναμαι χερσίν τε ποσίν τε καὶ σθένει.

Et cum *Euripide :* οὐ παύσομαι τὰς χάριτας ταῖς μούσαις συγκαταμιγνὺς ἡδίστην συζυγίαν, μὴ ζῴην μετ' ἀμουσίας.

Tu Ter maxime *de Cœlo* DEUS, *quam Spartam & provinciam Divina tua Providentia ſtudiis meis deſtinavit, faxis bona cum corporis valetudine, cum illæſa animi conſcientia. labore impigro, ſtudio indefeſſo Illam nunc feliciter ſuſcipiam, animosè ſuſtineam, tandemque Fato & penſo meo probè perfunctus, cum laudabili Virtutis trophæo, non inglorius deponam. Totum quoque* BELGIUM, *Bataviam hanc noſtram, & in illâ, quam incolimus illuſtrem* ALCMARIÆ *Civitatem, contra vim & Tyrannidem tot hoſtium,* Clementiſſime DEUS, *protege ac defende. Fas, Fidem, Religionem ab omni labe integram & incorruptam conſerva. Hujus* Ampliſſimi SENATUS *Vitam, Valetudinem, Fortunas, Dignitatem contra ſæculi noſtri venena & invidiam; contra Fatorum violentiam, contra temporum injurias provido ſemper oculo adſpice ac tuere; Sub quorum præſidio atque utinam! Veriverbium ſemper ſiat : Ab* ALCMARIA INCIPIT VICTORIA. *Fac ô Magne* DEUS, *Civium noſtrorum otia & quietem nulla animorum diſſenſio diſtrahat aut diſturbet. Domi, foris, cuncta bene, cuncta proſperè ſuccedant. Hoc etiam Dicatum ſemel Bonis Artibus & Virtuti* GYMNASIUM *perpetuo tuo favore ac gratia.* Benigniſſimè DEUS, *ſoſpita & fortuna, ut ex illo, tanquam ex uberrimo fonte, infiniti redundent adoleſcentes, qui eximiâ Virtute & eruditione inſtructi in commodum Reip. & Eccleſiæ uſum ac utilitatem luxurient, efflorescant.*

Quod velis faxiſque ſalutifer DEUS, *propter filium*

a) Homerus.

filium tuum unicum, DOMINUM *Noſtrum* IESUM CHRISTUM: *Cui ſit laus, Honor, Gloria & Gratia in ſæcula ſæculorum.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ. IↃCXXXVIII.

ORATIO XV.

De Gloria

Habita à

GUALTHERO LANSCHOT.
Nob. Batt.

OMnia, quæ clementiſſimus in cœlo Deus omnipotente ſuo Spiritu ex nihilo creavit, ac ſuſtentat, illa ſolis humanis uſibus, ſuæque pariter potentiæ atque gloriæ ſunt propoſita. Nihilque univerſum hoc theatrum ſub utroque ſidere ſuo aut coram aperit, aut tacito ſinu abſcondit, quod non immortalis dextræ providentiam ubique agnoſcat. Sol & Luna, clariſſima mundi lumina operi ſuo intenta, alternis vicibus lucem ſuam præbent. Terra mater fœtus ſuos liberali gremio producit, quæ omnia divinæ majeſtati meritò accepta referri debent, Uni ſuæ Prudentiæ, Bonitati hunc immenſum ac infinitum gloriæ ſuæ campum aperiens. In quo tam dulci ac amœno naturæ receſſu, nos ipſi homines, divinæ imaginis compendium, conſtituti ſumus. Quorum bono atque emolumento cætera omnia, quæ Sol ſupernè deſpicit, divinâ benignitate ſuam vitam vireſque accipiunt. Qui, ſi hunc orbem & auram nunquam intuiti fuiſſemus, fruſtra omnino fuiſſet, tam elegantem mundi fabricam, ſine ullo conſilio ſic perſpectam, ſed tamen inanem, ex incredibili illo nihilo creaviſſe. Sed, nulla tam puſilla uſquam ullo ſub ſidere res exiſtit, quæ non
ſui

ſui abunde uſum & ſcopum habeat. Soli, inquam, homini diffuſum hoc mundi hoſpitium, in divinam utilemque poſſeſſionem conceſſum.

——— Quem denique in unum
Deſcendit Deus atque habitat, ſeque ipſe requirit,

Ut ſic ſolum Dei illa magnalia perpetua cum laude atque gloria celebraret.

Proh Deum atque hominum fidem? quam nos parum memores tam divinæ bonitatis clementiæque exiſtimus! quam nos, qui divinæ illius fabricæ religioſiſſimum opus & imago ſumus, longiſſime ab illo, natalium noſtrorum ſcopo aberramus! Reliquis omnibus rebus tam profusè, tam largiter ad voluptates noſtras & commoda quotidie abutimur. Libenteſque ac ultrò tantis nos deliciis opibuſque totos immergimus; ut non pudeat penè rerum naturam accuſaſſe, quod non organa ſatis ingentia nobis conceſſerit, quibus in tam locupletem ac ſpecioſam tot rerum materiam abunde graſſari poſſimus: quaſi anguſtiorem gulam, manuſque impares habeamus, ad tam excellentis naturæ fæcunditatem ſatis profundo hiatu viribuſque conficiendam. Sed de noſtro in Deum omnipotentem cultu, de illuſtri vitæ ſcenâ, in quam creatoris divina manus nos adeo felices fortunatoſque collocavit, vix ullam aut curam, aut cogitationem apud animum noſtrum habemus. Omnia, in mortalium, ut diximus, obſequia & ſervitutem ſunt nata. Solus homo,

——— Quem erecto in ſidera vultu
Extulit omnipotens

Officii ſanioris oblitus, nataliumque ſuorum metam & ſcopum projectâ cum audacia faſtidit. Cui nihil prius, neque poſterius, quam cum inconſulto fortunæ ludibrio circumagi, & in corporum ſuorum illecebrâ inertem vitam traducere.

Homines, qui ſeſe præſtare ſtudent cæteris animalibus, ſumma ope niti decet, ut ad glorioſi nomi-

Digitized by Google

nominis honeſtam famam omne ſtudium & operam intendant, & quantâ fieri poteſt alacritate in hoc ſedulo incumbant, ne ab eâ induſtriæ felicitate quicquam remittant Hic unus unicuſque eſt ſcopus, quò ratio noſtra collimare debet. Quò omnis animi noſtra vis & robur nos ultro, nec invitos rapiet & impellet. *Nos. HH. Audd.* hoc loco vobis ad oculum oſtendere propoſuimus, quæ vera illa ſit gloria, ad quam nos omnes ſummâ cum vigilantiâ adniti ac inſudare oportebit. Vos, *Ampl. Spect. Clariſs. Viri*, ut facilius feliciuſque de tam operoſo arduoque argumento, pro virili, diſſerere poſſumus, quæſo animorum auriumque benignitate, noſtram in dicendo verecundiam humaniſſimè ſublevate. Et tu, ô maxime humanarum rerum ſator ſtatorque Deus, unice proſperitatis æternæ fons; nobis de glorioſo illo penſo atque officio dicturis, ſperatam de cœlis perorandi facilitatem vireſque ſubminiſtra.

Unicus noſtræ Creationis, Vitæque Terminus, una celſiſſimi Numinis eſt Gloria. Ad quam uſque in cœlum infinitis laudibus depredicandam, nos omnes nati ſatique ſumus. Quibus hac ſolâ de cauſâ, præ cæteris creaturis ac animantibus, illa rationis & orationis contigit divinitás. Quæ, ut reliqua cuncta, juris noſtri uſuſque faciamus, ita accuratâ animi perſpicuitate non vitæ noſtræ authorem Deum religioſâ quadam ſanctitate reveneremur? Quod ſi unquam temere aut cunctanter tacere deſiſtamus, eſt, certe, quod nos divinæ potentiæ, admirandum illud opus vel improbare, vel ſuperbe prorſus contemnere videamur. Cum pene ipſis brutis animantibus aliquid ineſſe conſtet, quod tacito quodam metu ſuam erga Deum reverentiam ac amorem teſtentur. Nos vero, qui homines ſumus, quibus divinior illa pars, regina Ratio acceſſit, ſegnes hic ſumus! nos hic ingenii mentiſque aciem hebeſcere patiamur? nos nihil

ad magni Numinis gloriam, laudeſque pro virili noſtrâ parte conemur? Quorſum hæc ingenui pectoris organa atque ornamenta ſe explicent? quid honeſti uſus virtus illa nobis ingenita præſtabit? in quem finem laborioſas nobis manus architectrix natura efformavit? ita in immenſum ſuo nos in diem apparatu, velut totis torrentibus, ſuperfundit? Credite, mortales, credite, non in alium finem hæc cuncta nobis in ſinum affluunt, quam ut inde aurea ſua meſſis ad Creatorem ſuum, Deum, reverteretur. Hoc manibus pedibuſque agendum eſt, ut pari animorum gratitudine, divinis illis operibus reſpondeamus.

Nulla, equidem, ad hanc virtutem exercendam via nobis eſt invia; nihil nos impedit, quo minus tantorum operum magnitudinem quotidie agnoſcamus. In promptu videmus inexhauſtos bonorum fontes, quibus Cæli benignus ille favor nos rigat. Circum oculos noſtros undique obludit amœniſſima rerum facies. In aures, in animum noſtrum incurrunt illa tot novæ veteriſque clementiæ miracula. Quemadmodum unda perpetuâ vice undam trudit, totieſque ſua cornua Phœbe altera mutat: ſic nunquam ſe ſiſtit illa jugis ac æterna beneficiorum cœleſtium ſcaturigo. Taceo, tot in dies tranquillæ mentis reditura gaudia: quæ benefactorum parit ſecuritas; tot domi, foriſque ex improviſo orta nobis commoda, quæ non induſtria, non labor tuus unquam ſperet aut exſpectet. Annon ego aſſurgere cum pari Marte in laudes potentiſſimi datoris debeam? quod divino ductu ad magna negotia me promoveam; quod animum ſapientiæ quadam flammâ incaleſcere ſentiam; magiſque ad incrementa ac alimenta virtutum rapi me videam? Eſt, ſane, ut inde aliqua ad excelſi Numinis Gloriam pars debitæ gratiæ accedat; ut vere quis dixerit è *mundo ſolem tolli, ſi homini divinum gloriæ ſtudium eripiatur;*

ſine

ſine qua meræ nobis tenebræ oborirentur, & plus quam Cimmeria animorum caligo. Quod cum prudenter animadverteret imperator Julianus, *turpe, ait, ſapienti cum animum habeat, laudes ex corpore quærere.* Certe hoc unum illud eſt, quod in hac vitâ eligendum Thales admonebat. Quod à teneris ſuis diſcipulis inculcari voluit excellentiſſimus Philoſophus Lycon. Utinam, utinam hoc ulli pio propoſito & Zelo Chriſtiano!

Quid verò de iſtoc homine bene unquam proſpereque judicare poſſum, quem prorſus nulla excellentis gloriæ ſtimulat cupiditas? qui, nec divinæ nec humanæ laudis cupiens, ſuâ ſemper inertiâ, ac veterno tanquam gravi & infelici pondere ſubſidit? meritò hic ex hominum ſocietate exterminandus. Siquidem vera gloria radices agit; ficta omnia tanquam floſculi celerrime decidunt. Et quemadmodum umbra te vel nolentem comitatur, ita gloria virtutem etiam fugientem ſequitur. Hæc enim vitæ humanæ eſt ſplendor, hæc mortis mors, hæc virtutis prœmium, certo ac conſtanti optimorum omnium judicio viris præſtantibus redditum. Et cum optimus quiſque ſit nobiliſſimus, optimi quoque mortalium altiſſima ſemper cupiunt: nullaque humilitas tanta uſquam reperiri poteſt, quæ non gloriæ aliqua dulcedine tangatur, ſapientibuſque ipſis gloriæ cupido niſi noviſſima ſemper exuatur. Quod ſapiens ille Romanus graphicè dixit: *multò rectius eſſe ingenii, quàm virium opibus gloriam quærere, & quoniam vita, qua fruimur, brevis & fragilis eſt, memoriam noſtri quam maxime longam efficere.* Gloriæ enim jactura generoſis animis omni incommodo & calamitate eſt gravior, *multoque magnificentius eſt, virtute acquirere parva regna, quàm ex regum regibus naſci.* Quod cum vetuſti ſeculi illuſtres viri non ignorarent, dies noctesque acriter in id incubuere, ut reliquis omnibus rebus pro vili contemptu-

que habitis, unicum in virtute ſua præſidium deponerent; unde certiſſimam illis naſcituram gloriæ materiam, nihil prorſus dubitabant. Ex illorum imprimis numero Alexander eſt, Macedo, qui cum legeret apud Homerum, Hectore adverſarium ſibi ſorte de novem ducibus poſcente, exercitum trepidum à jove petiiſſe, ut vel Ajacem vel Diomedem, vel Agamemnonem daret, *occiderem*, ajebat, *illum, qui me tertium nominaſſet.* Simile gloriæ ſtudium in Theſeo enituit, cui Herculis claritas ita cor inflammabat, ut vix alius, quam de ipſo, ſemper eſſet ſermo. Hoc ipſum Themiſtocli, Cæſari, Scipioni ad omnia præclara æternaque facem ſtimuloſque ſubdidit. *Ex omnibus namque premiis*, eloquentiæ illo patre aſſerente, *ampliſſimum eſt præmium gloria.* Hanc unam, quæ brevitatem vitæ poſteritatis memoria conſolaretur, quæ efficeret, ut abſentes adeſſemus, mortui viveremus. Hanc denique eſſe, cujus pedibus etiam homines in cœlum videantur aſcendere. Hæc mea & veſtra, Commilitones, eſt arena, in quâ ad honoris virtutiſque illam Ædem Herculis nos conatu contendere oportet. Ecce, in propinquo Sparta eſt propoſita, quæ albis nos Gloriæ quadrigis in auguſtiſſimum famæ Capitolium perpetuò felices florenteſque introducet.

DIXI.

ORATIO

ORATIO XVI.

De
GLORIA altera.

Habita ab

ADRIANO SCHAGEN,

Alcm. Bat.

NOn parvo, *Ampliſſimè Collega*, animum meum gaudio affeciſti, quod tuum de illuſtri gloriæ præſtantiâ teſtimonium perhibueris. Cujus decus tam ingens & excelſum eſt, ut meritò cunctos mortales in ſui admirationem cultumque rapiat. Quo uno virtutum aditu ad divinæ majeſtatis excellentiam proximè accedimus. Quæ tanti apud omne ævum æſtimata fuit, ut pauciſſimos adhuc invenerit, qui de illius pulchritudine ſatis eruditè verba fecerint. Et quâ ſolâ de medio ſublatâ, Cætera omnia tanquam fœdo ſuo ſitu æternum ſepelirentur. Hæc una Virtutum & periculorum ſperata eſt merces. Hæc ad honores ac laborum functiones nos ſponte ſuâ impellit. Hæc ſpe magnarum rerum nos alit fovetque. Quæ ſi operas noſtras ſemel deſtituat, actum eſt ilicet de noſtrâ & poſterorum ſuperſtite memoriâ ac recordatione. Brutorum prô pudor! exemplo nobis mortalibus vivendum foret, & Rationis illa divinitas nihil quicquam prodeſſet, ſi non aliqua Virtutum laurea in medio eſſet poſita, quam per ſuos ſudores quiſque noſtrûm ſtudioſè appeteret. At nunc cœlo poſteriſque teſtibus, contra barbarum ignorantiæ agmen, contra caſtra turpis deſidiæ, contra temporum injurias firma ſatis arma in manibus noſtris habemus.

Digitized by Google

Multum lætor, mi Collega, quod illuſtrem GLORIÆ dignitatem ab omni vi & contumeliâ ſartam tectamque habueris. Et veræ ſolidæque famæ æſtimator, Regum Principumque judicia ſuo rurſum nitori atque pretio reſtitueris. Gemant ſuſpirentque in ſuis ſordibus ignaræ & ignobiles iſtæ animæ, quæ ſolem illum lucemque glorioſæ poſteritatis ferre patique nequeunt. Modò nos ſancto illi aratro manus noſtras admoventes non ex vanâ illorum opinione vitam inſtituamus. Quibus ſi pulchrum & jucundum ſiat in ſuo ſe cœno turpiter volutare, nos, illi Minervæ alumni, meliore ſati luto in præclaras vitæ actiones ſuſcipiendas agendo, Vigilando maſculè feliciterque perduremus.

Eſt igitur, *Ornatiſſime Collega*, quod multum mihi gratuler de ſingulari tuo erga me amore atque ſtudio, quod & laboris mei partem reliqueris, & egregium de laudandâ Gloriæ dignitate ſpecilegium adhuc reliquum feceris. Ex animo lætus, quod illam in dicendo libertatem ſim nactus, qui meos quoque lacertos in hoc pulvere novus Atletha explicare nunc poſſim. De veſtrâ AA. Spectatiſſimi, Clariſſimi Viri, præſentiâ atque plauſu omnia mihi fauſta ac benevola polliceor. Pergite quæſo, Gloriæ me Vindicem veſtro favore ac tutelâ benigniter porrò comitari.

Non ſatis Ego demirari poſſum de vanis ac inanibus multorum mortalium negotiis: quibus omne eſt ſtudium à Virtutis recto tramite declinare, & operoſo ſemper labore cogitationes, curas in hoc intendere, ut vitæ ſuæ curriculum niſi ignobili rerum actione, flagitiis, ſceleribus turpiſſimè concludant. Hoc omnium optimum opinione ſuâ exiſtimantes, ſi aut pudendis voluptatum illecebris, ventriſque, immodico paſtu ac laſciviâ famoſi eſſe poſſint; aut per adulteria, per veneficia improbaſque artes nomen ſibi comparare.

Digitized by Google

parare. Sive, quod pleriſque mortalibus in promptu ac primo eſſe ſolet perpetuis vigiliis & lucubrationibus à caducis Fortunæ bonis ſolatia ſua petere, nihil inauſum relicturi, quando per fas & nefas alienas etiam opes & poſſeſſiones ſuis manibus complecti poſſint. Parum ſoliciti, quo jure, quâque injuriâ rerum dominia tituloſque ſibi vindicent. Satis incolumi tunc famâ, quando ad Equeſtrem cenſum ſe promoverint. Liberoſque ſuos quadam pompâ & purpurâ in Rep. cum liberrimâ quadam indignatione extulerint. Quod ubi proſperè ſatis aſſecuti eſſe videantur, plenis jam loculis, & veteris familiæ fuliginem contemptumque dudum exoſi, ad faſces & ſecûres, aliaque quæſitæ nobilitatis vocabula dies & noctes deproperant. Parentum ſuorum obſcuritatem ac pudendos natales plus nimio deſpicientes. Tum demum per largitiones ac corruptelas ad cretatam ambitionem patefacto ſibi aditu. Et, quod peſſimi tunc moris eſſe ſolet, in inferiorem ſuâ ſævire tyrannide, in majores turpi eſſe obſequio & adulatione, erga parem ſimultatum ac diſcordiæ materiam inſidioſè moliri. Miſelli mortales! quàm vos ipſi vobis ſomnia ac mera ludibria affingitis! Quàm toto vos cœlo terraque aberratis à ſanctiſſima Gloriæ poſſeſſione! Cujus imago tam pulchra & excellens, divino inſignita charactere, ut nequicquam cum hac veſtrâ turpitudine moribuſque commune habeat. Cujus facies tam ingenuo pudore tantaque verecundiâ, ut ferre patique nihil iſtorum poſſit, quæ ſæpe apud improbos ac malè feriatos Epicureos pro ſummis præſtantiſſimiſque rebus haberi ſolent. Quorum ſi vitam & inertiam tacitè nobiſcum excutiamus, videre licet, quàm inde multa malorum monſtra quotidie promanent. Hæc vera atque ipſi Æternitati conſentanea eſt GLORIA, non ſeſe in poteſtatem dare illis bracteatæ felicitatis alternis vicibus,

bus, ſortemque ſuam æſtimare ad trutinam inconſtantis iſtius deæ. Alio hæc tibicine ſuffulta eſt. In Modeſtiâ, in continentiâ, in Prudentiâ ſe totam reponit. Rerum illam levitatem atque inania alto quodam ſupercilio deſpicit ac contemnit. Voluptatum illis flabris non commovetur, nec cum corporis saginâ ac ſervitio quicquam participat. Cane pejus & angue odit fugitque profanum vulgus, quod ſalutando plebem ac conviviis gratiam ſibi quærit. Avaritiæ aliment divitias & opes, quas unius horæ procella, incendium, exilia poſſunt eripere, juxta res nihili pendet. Cum hæc temporum tantùm ſpolia, & ludicra rerum humanarum. Quibus ſi primas vulgi opinio conceſſerit, à prudentibus tamen facilè faſtidiri hæc poſſunt. Quemadmodum verè generoſa atque magna eſt in frivolis illis futilibuſque ſpernendis, ita germanum ſe hoſtem quoque profitetur contra fœdiſſimam vitiorum Ambitionem & Superbiam. Nullius prorſus faciens ab obliquo venientium rerum ſplendidos apparatus. Quos ſæpe aut triſte mendicabulum conciliat; aut pertinax Largitio pecuniæque expugnant. Inanem illum tituli fulgorem, qui favore apud viliſſimum quemque venalis, inter peſſima meritò recenſet, Cum nihil ſit deteſtabilius, nihil cum majore ac perfidiâ conjunctum, quàm, quæ aliena aut majorum ſunt, ſuis rationibus & ſacris tanquam propria adſcribere. Quæ noſtrâ nos Virtute atque factis acquiſimus, & per aſpera multa & adverſa conſequuti ſumus, hæc jure noſtra ſunt. A Majoribus relictæ hæreditates ſæpe ad indignos transferuntur: nec inde ad obſcurum turpemque poſſeſſorem niſi alieni ſudores ac fructus perveniunt. Illa verò optima eſt virtus, quæ cum factorum nobilitate conjungitur, quæ niſi ſuam in exemplis gloriam teſtatur. De alieno gloriari poſſe, ſtultorum ac amentium puerilis jactantia eſt. Pulchrè de hoc argumento diſſerente Poëta:

Quis

Quis enim generoſum dixerit hunc, qui
Indignus genere, & præclaro nomine tantum
Inſignis? Et
Tota licet veteres exornent undique Ceræ
Atria: Nobilitas ſola eſt atque unica Virtus.
Malo pater tibi ſit Therſites; dummodo tu ſis
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſſas,
Quàm te Therſitæ ſimilem producat Achilles, &c. *Sat.* VIII. *Iuvena.*

O pluſquam divinos excelſæ illuſtriſque gloriæ titulos! qui in rude ineptumque vulgus non cadunt. Qui ſolis ſapientibus ſunt debiti, & nuſquam gratis aut precario in foro veneunt. Ad quas imagines ac trophæa magno ſudore magniſque itineribus eſt opus. *Nunquam enim excelſi ingenii virum humilia delectant.* Nullaque in laude is habendus, qui *Manlium illum Capitolinum* imitatur: qui famam malebat magnam, quàm bonam. Neque ille generoſi eſſe Spiritus mihi videtur, qui Dianæ aut Veneris pulvinari ſceleratam facem injecit. Longè alios in hoc pulvere reperio: *quibus tamen ſpreta in tempore gloria ſemper cumulatior evenit.* Ampliſſima enim gloria objecta ſemper periculis, ſuæque felicitatis perpetuum comitem invidiam habet. Quod tamen & honeſti animi ingeniique mortales nunquam à propoſito gloriæ curſu eò fortius feliciuſque contra obnitendum, ut illa prærupta atque excelſa, multum ſupergreſſi, ipſam æternitatis arcem macto animo invadamus. Nec tamen cum *Phaëtonte* paternos currus affectemus, quæ vota mundum incenderunt. Nec ambos illos *Gracchos* imitemur, qui ſi civilem dignitatis concupiſſent modum, quicquid per ſeditionem adipiſci conabantur, quietis Reſpublica obtuliſſet. Aut ad *Iugurthæ* exemplum ſapiamus: quem Scipio monebat, ultrò gloriam & regnum obventura, ſi permaneret in Virtute. Si properantius urgeret, præcipitem ruiturum. Inhibendæ

ſunt rapidæ cupiditatum rotæ, nec quicquam attinet cœlum conſcendere, & *imponere Pelion Oſſa*. Melius regiam vocem animo noſtro imprimere: *Gloria in integro eſt, addita modeſtia famâ, quæ neque ſummis mortalium ſpernenda eſt, & à Diis immortalibus æſtimatur*. Ita enim habendus eſt generoſus gloriæ Spiritus, ut Spatia ei ampla nimis non dentur, ſed ut in præcipiti curriculo rectæ ſemper rationis fræno contineatur.

Nihil hoc loco HH. AA. ob dejectam vulgi humilitatem, aut calumniantium invidiam curare, ſimus ſoliciti. Qui, ut ſolent, auguſtiſſimum Gloriæ noſtræ diadema cum ſuis illis ſordibus pari lance atque trutinâ confundunt, tantique nominis majeſtatem cum peſſimo vitiorum, contemptiſſimâ ambitione, improbiſſimè confundunt, Siccine nos vera rerum vocabula amiſimus? Et crudelem dominationem inviti nunc patimur. Ambitio potentiæ cauſâ ſumma honorum faſtigia occupat, amatque; mercede magis delinquere, quam gratis recta facere. Ambitio Remp. pro aurea meſſe habet, quemadmodum ſuum olim tribunal *Stratocles* & *Damoclidas*. Et *Caracallæ* Imperatori Iulia, id Ambitio ipſa ſibi dictat: ſi libet, licet quæ ſuâ ſemper mendicitate ad tyrannidem conſurgit, quanquam nec ad regna aut Principatus pertingat. Longè aliis in imperio conſiliis artibuſque Gloria utitur. Hac, ſive in Togâ, ſive Sago multò prudentius feliciuſque munus ſuum exequitur. In hoc ſtrenuâ fortitudine manuque laborat; in illâ generoſa ſuâ mente animoque præſidet. Cujus quamdiu conſilia valuere, tam diu proſperum imperium omnia regna, nationes & civitates habuerunt. Igitur non ſine juſtiſſimâ ratione *Fulvius Nobilior* novem Muſarum ſimulachra ex Ambracienſi oppido translata Herculi conſecravit, Æde communi dicatâ. *Muſarum ſiquidem quies ab Hercule defendi debet, Herculis virtus*

Muſa-

Muſarum voce cantari. Et cum veterum Imperatorum felices curſus & victorias nemo improbus vel ſiſtere vel negare auſit, quis tamen minorem Neſtori, quàm Achilli, Soloni quàm Themiſtocli, Lycurgo quàm Pauſaniæ, Ciceroni quàm Pompejo gloriæ venerationem attribuet? Utroque felicis Fati augurio, Conſo & Marte ſuas laudes ac gratulationem Gloria demeretur. Nec nobis, Adoleſcentes, ad illuſtrem hanc divam, per legitimos virtutum tramites, via intercluditur. Hanc ante nos quondam orbitam priſci illi ſapientes, Cato, Socrates, Themiſtocles, aliique plurimi æternâ cum laude ingreſſi fuerunt. Nos quoque Poſteritatis negotium ne ſegniter, aut oſcitanter agamus, ſuo quodam jure à nobis Patria, Parentes, Amici, Publica & privata ſingulari cum deſiderio ſperant, exſpectant.

Ego, volente Opt. Max. DEO, quantum aſſequi per induſtriam meam poſſum, divinæ hac Gloriæ Monita tanquam trabali clavo pectori meo imprimam. Ita domi foriſque ad antiquos mores & virtutem me componam; ut, laboris mei Curriculo feliciter confecto, in utilem ac non inglorium Patriæ civem aliquando evadam. *Tu interea, Benigniſſime ac Clementiſſime in cælis Pater, quando nunc ex illuſtri hoc Minervio in ingentem illum Oceanum,* ACADEMIAM, *me confero, ſpem & propoſita mea tuo Sanctiſſimo* SPIRITU *propera ac propitia. Tu porrò Remp. Eccleſiam, Hanc illuſtrem, quam incolimus, Civitatem ac Minervium diu feliciterque ſartum tectumque conſerva. Quod velis faxiſque, ô Æterne, Miſericors* DEUS *propter filium tuum Dominum Noſtrum* IESUM CHRISTUM: *Cui ſit laus, honor, gloria, & gratia in ſæcula ſæculorum.*

DIXI.

Antecedentes duæ Orationes Recitatæ Alcmariæ CIↃ. IↃCXILXIII. Examine vernali.

ORATIO XVII.

De

VETERUM Virtutibus.

Habita à

PETRO IOHANNIS, SCHAGEN.

Alcm. Bat.

ADmiranda HH. AA. priſtina mortalium Integritas, Fides, Conſtantia. Singularis illorum in omnibus factis & negotiis Prudentia, Æquitas, Sanctitas. Quando omnes & laudis & gloriæ titulis eminentes, non niſi virtute ipſâ incredibilem ſui commendationem poſteris reliquerunt. Cum *animi imperio corporis ſervitio utentes, magis ingenii quàm virum opibus gloriam quærerent*. Hoc uno ſatis felices ac fortunati, ſi memoriam ſui præſtantiſſimis operibus quàm maximè longam efficerent. Solâ apud ipſos virtute clarâ æternaque, in qua ſui Generis ſplendorem collocantes, famam ſui nominis indelibatam ad poſteros tranſmittere ſtudebant. Publice benefacere, Civium ſaluti omnibus nervis intenti illoſque optimos rati theſauros, quando ſociis ſuis illuſtri exemplo prælucerent, & contra vitiorum turbam aciem hoſtilem opponerent. Divinâ Iuſtitiæ ſanctitate ad Tribunalium cuſtodiam perpetuas excubias agente. Et, ne quid detrimenti aut foro, aut ſanctiſſimo hominum conſortio accideret, privatas amicitias ac neceſſitudines cum fide colebant. Hanc optimam certiſſimamque vivendi rationem exiſtimantes, quando abſque dolo & fallaciis ætatem agerent; quando mutuis officiis invicem conjuncti, non niſi domeſticâ probitate,

mo-

morumque integritate ſibi unumquemque demererent. Quibus non conſilium fuit, more noſtri ſæculi, *ſocordiâ atque deſidiâ bonum otium conterere*; Rempublicam quæſtui habere; immanem avaritiam, libidinem, ſordes, tanquam liberioris vitæ ſpolia, in publicis oculis oſtentare. *Magiſque in decoris armis & militaribus equis, quam in ſcortis & conviviis libidinem habere. Talibus viris non labos inſolitus, non locus ullus aſper aut arduus erat, non armatus hoſtis formidoloſus. Virtus omnia domuerat, & maximum gloriæ certamen inter ipſos erat. Denique laudis avidi, pecuniæ liberales, gloriam ingentem, divitias honeſtas volebant.* Solis cum hoſtibus jurgia, diſcordias, ſimultates exercebant. Sua ab aliis benefacta laudari, quàm ipſi aliorum narrare, malebant. Beneficiis magis, quam metu imperium agitabant. Sciebant pecuniæ avaritiam neminem ex ſapientibus decere. Quippe ea *venenis malis imbuta corpus animumque virilem effœminat; ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neque copiâ neque inopiâ minuitur.* Quodque omnium jure eſt maximum, in Deos ſuos, ſupra quàm credibile eſt, proni & propenſi. Nullum, ſcilicet, in humanis rebus negotium eſſe proſperum & propitium, ſi non cœleſtem ad hoc operam & auxilium implorarent. In bello & in pace cuncta Deorum auſpiciis permittebant; cuncta ad illorum intuitus atque oculos dirigebant. O verè aurea Saturni tunc ſæcula!

—— Quæ vindice nullo
Sponte ſuâ ſine lege fidem rectumque colebant.
Cum frigida parvas
Præberet ſpelunca domos, ignemque laremque
Et pecus & dominum communi clauderet umbrâ.
Sylveſtrem montana torum cum ſterneret uxor
Frondibus. —— Cum nondum Græcis jurare paratâ

Per

Per caput alterius; Cum furem nemo timeret
Caulibus, aut pomis, & aperto viveret horto.

Quâ ſæculi felicitate HH. AA. quid prius, quid poſterius exiſtere unquam poteſt? Quam ſi nobis nunc ab Inferis revocare liceret, & noſtris temporibus poſtliminiò repræſentare: O quàm beati, quàm fortunati eſſemus! unâ, ſcilicet, notitiâ divinâ cæteris illis ornamentis ſuperadditâ. Quæ recta de Deo Cognitio & Cultus ille legitimus ſi adfuiſſent, quid ni ſæculi iſtius mortales ſummæ ſibi Virtutis & Pietatis titulum demeruiſſent? Sed, aliter Optimo Maximo in cœlis Deo eſt viſum, Qui nos tantum Chriſtianos in auguſta hæc tempora reſervavit. quibus inſtauratæ Salutis myſteria ſolum ſancta & propria eſſe voluit. De quo omnipotentis Dei beneficio cum Collega meus abundè ſit dicturus, nihil de illâ laude ipſi dicturo delibabo.

Ego abundè operæ prætium feciſſe mihi videbor, quando de Ethnicorum Probitate & juſtiſſimis illius ævi moribus ac temporibus pauca hoc loco in Scenam produxero. Etiam atque etiam peto, HH. AA. ut meam in dicendo tenuitatem, & hanc, pro ingenii noſtri modulo, ſupellectilem æqui bonique conſulatis.

Quanta olim Ethnicorum Probitas & ſanctitas, præ noſtrâ, pro pudor! hac in ſacris caligine, extiterit, nemo unquam Orator ad vivum ſatis ſuis coloribus depinget. Nedum Ego Homuncio ad incredibilem priſcæ Virtutis majeſtatem, quicquam dignè hoc loco dicturus. Quæ tantæ fuit dignitatis, tantæque præſtantiæ, ut unumquemque noſtrum ad hujus excellentem magnitudinem & imaginem meritò trepidare atque obſtupeſcere oporteat. Ubi ſi facula illa orthodoxæ Religionis pro parte vel minima ſe inſeruiſſet, ô quam ſanctum, quàm divinum priſcæ iſtius Innocentiæ archetypum haberemus! Omnia apud ſuperſtitioſam hanc

Digitized by Google

gentem ſuis ſacrificiis, auguriis, victimis, ſacellis & oraculis perſtrepebant. Nemo ſine Deo, ſine templo, ſine Laribus ſuis & Penatibus agebat. Unuſquiſque cœco abreptus impetu, ad ſui Numinis pulvinaria ſe dimittebat, in vota & preces publice privatimque omnium animi incaleſcebant. Non in aliquo apud ipſos pretio aut numero habendus, qui Relligionem & ſacra polluiſſet; qui Templis, ariſque non legitimum honorem detuliſſet. Pro vitæ teſſerâ illud Sacrum: ἀπὸ διὸς ἄρχεσθαι, in ore habebant. Vt ſe ipſos non ignorarent, De cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν, ajebant. Contra inertiam aurea illa verba, Πόλλα διδασκόμενος Γεράσκω, uſurpabant. Ἀθάνατον ἡ ἀλήθεια, καὶ ἀΐδιον, Epictetus dicebat. Ἐστὶ μέγας ἐν οὐρανῷ Ζεὺς ὃς ἐφορᾷ πάντα καὶ κρατύνει, Sophocles. Eſſe Deos perſpicuum Ciceroni fuit. *In divinis rebus multùm eſſe caliginis* Cato cenſuit. *Vnum eſſe regnatorem omnium Deum*, Tacitus. *Tunc autem maximè colendos eſſe Deos cum homini res ſunt ſecundæ*, Xenophon. *Deus ipſum æquale, Deus ipſum pulchrum*, Plato. *De Deo diſputare eſſe periculoſum: Cum ſit mens quædam ſoluta & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens & movens*. Cicero; Mitto ſapientiæ antiquæ Patrem Senecam, *qui nihil Deo clauſum aſſeruit; qui nullum virum bonum eſſe ſine Deo dixit*. Mitto ipſum Ariſtotelem, *qui nunquam nos verecundiores eſſe vult, quam cum de Diis agitur*. Quis neget HH. AA. plenam probitatis, plenam virtutum omnium cæcam illam & ignorantem antiquitatem fuiſſe? Adeo ut noſtris hominibus, eheu! (ſolo meliore Deo eruditos excipio) magno pudori eſſe poſſit, quod nihil penè ad antiquum illud ſapere, & probum eſſe, exemplo profiteantur. Cum nihil magis, quam de diis, de ſacrorum officiis, de cultu Religionis atque Numinum apud priſcos frequentaretur. Unde illorum tot Dii ſelecti, Dii maximi, Dii medio-

medioxumi; Tanta deorum dearumque, ad infinitum numerum & nomina, progenies. Quibus aſſiduis invocationibus & ſupplicationibus vacabant; Quorum aris & focis tantâ cum animi modeſtiâ inſerviebant. Ideo apud Romanos bellum geſturi, primo diem ſanis officiis & devoti animi meditationibus conſecrabant, ne quid temere ſine Deorum auſpiciis aggrederentur. Quorum primus Rex Romulus Jovi Statori ſacram ædem dedicavit, Numa Pampilius, divinos cum Deâ Egeria congreſſus & colloquia habuit; Scipio Africanus noctu Capitolium aſcendit, ut Deorum ſibi auxilia imploraret. Omnes ſacro ſuo ritu præferebant, manibus vittas, ac verba precantium; Genua Deorum incerabant. *Veneretur*, inquit Tacitus, *Princeps unum illud ſummum & æternum, neque mutabile, neque interiturum Numen.* Et alibi: *Ne ritus ſacrorum inter ambigua culti unquam per proſpera obliterentur. Quod ſi læta in præſens ſunt omnia, grates Deo Princeps agat, ſupra ſe Deum cogitet, cujus benignitati referenda gratia.* Non ea mihi linguæ Suada, ut tam luculentæ materiæ deſcribendæ parem orationem adferre poſſum. Qui ſi unius victoris Populi virtutes celebrare mihi proponam, non totâ Iliadæ defungi officio valeam, Probitati, de quâ diximus, proxime Juſtitia militat: Cui Græci & Romani, quantum ſuis legibus & obſequiis authoritatis dederint, docent Principum & Imperatorum divina Oracula. Nam *civitatis anima, bonæ leges ſunt*, teſte Demoſthene. *Civemque non minus pro legibus, quam pro mœnibus pugnare*, voluit Antiſthenes. Et *Imperatoria Majeſtas non ſolùm armis decorata, ſed etiam legibus armata eſſe debet. Ut utrumque tempus, & Bellorum & pacis rectè gubernari poſſit.* A Religione ac legum ſanctitate in *Clementiam*, in *Liberalitatem*, in *Temperantiam*, propinquo tranſitur gradu. Quæ omnia ſi in temporis hujus anguſtias addu-

adducere cogitarem, non immeritò ego mihi acrem conſorem, à fronte, à tergo, metuerem. Satis humanitate & benevolentiâ veſtra uſus, quod hactenus benigna cum attentione, pro virili me dicentem, audiveritis. Quare & nihil de *fortitudine*, de pudicitia de *Modeſtiâ* iſtius ævi & ætatis nunc dicam. Tacitiſque ſilentiis involvam fortiſſimos Scipiones, Catones, Marios, Mercellos. Quos

Magnum aliquid dubiâ pro libertate decebat.
Quod miraretur cum Coclite Mucius, & qua
Imperii fines Tibernium virgo natavit.
Et illum, —— *Quem Roma Parentem*
Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit
—— *Qui modo Romæ*
Municipales eques, galeatum ponit ubique
Præſidium attonitis, & in omni gente laborat.

Quam priſtinæ Virtutis auream felicitatem ſi quis recta apud animum ſuum via perpendat: Cur non & vivere, & mori *Moribus* illis *Antiquis* amet ac deſideret? Nunc enim *malarum rerum induſtria animos invaſit; & hoc quidem peſſimum eſt, quod authoritatem habemus ſenum, vitia puerorum. Multique per latrocinia potius, quam bonis artibus ad imperia & honores nituntur. Quando omnia virtutis præmia ambitio poſſidet*; Quando audacia facinorum malorum, fortitudo vocatur; *Quando præoccupati ſumus ad virtutem contendere, intra vitia deſtricti, Et illa excuſare malumus quam excutere.*

Hoc fonte derivata clades
In Patriam populoſque fluxit.

DIXI.

ORATIO

ORATIO XVIII.

De
VETERUM Vitiis.

Habita à

LAURENTIO CNOLL,

Alcm. Batt.

FAteor, mi Collega, quod priſco ſæculo præclara Virtutum exempla extiterint; quod illuſtres apud Romanos Græcoſque viri fuerint, qui in honeſtatis ſtudia magno animi conatu incubuerunt. Sed, tunc prorſus ſine Deo, vaſtiſſimis in tenebris, altaque noctis immerſi caligine, Pietatis modo ſpeciem habuerunt. Pro ſolida virtute, virtutis umbram affectabant; pro vero Religionis Zelo fœdam Idololatriam; pro ipſiſſima felicitate, fluxa animi opinione, & meris ſuperſtitionibus innitebantur. Si illæ quondam gentes veræ virtutis ſemitam calcaſſent; ſi propria pietatis flamma incaluiſſent, ô quàm ſanctè, quàm religiosè, quàm ſine omni ruga ac macula penè vitam inſtituiſſent! Sed, eheu! multò major apud ipſos vitiorum, quàm virtutum meſſis inventa fuit. Nam pro pudore; pro abſtinentia; pro virtute; audacia, largitio, avaritia vigebant. Et intra tanta vitia imbecilla ætas, ambitione corrupta, tenebatur. Quanquam tamen nihil de illorum præclaris vitæ exemplis decerpere velim: Quæ, certe, ſupra noſtri ævi conſuetudinem, quandoque clariſſimè eluxerunt. Non poſſum mi Collega, inter tot voluptatum nimis feria atque exercitia, aliquam animorum tranquillitatem invenire. Divino enim Numinis illo Sole ſublato, quid

quid præter ſpiſſas tenebras & errorum materiam invenias? quamobrem ſæculi iſtius miſerias & calamitatem uberibus meritò lachrymis deplorem.

Quod dum facere hoc loco inſtituo, HH. AA. veterumque illam inſaniam in lucem protrahere, Vos, quæſo, in hac arena mihi dicturo, aurium veſtrarum benevolentiam benigniter præbere!

Nemo, meo quidem Judicio, vetus illud ſæculum tanta laude & preconiis Jure efferre poteſt. Quando nulla veræ pietatis veſtigia apparebant; nullaque Chriſtianæ virtutis exempla uſquam inveniebantur. Quando pro veri Numinis notitiâ, in muta ſaxa, in inutiles truncos, in ceſpititias ſuas aras miſelli incumbebant, nullo motu cœleſtis Spiritus afflati. Quando Romanus ille Pompilius cum fictitia ſua Egeria noctu ſacros congreſſus mentiebatur; aut alii iſti ſacerdotes Palladio ſuo, Ancilibuſque inanibus innixi, ridiculum Religionis prætextum præferebant. Cum humanis tantum traditionibus; cum diabolicis incantationibus detenti, non niſi lymphati per urbem diſcurrerent. Aliquo ſibi Cybeles, aut Dodonæ ſimulacro propoſito, in quo ſuas nugas & frivola exercerent. Aut divi Hammonis oraculo, Apolliniſque invento tripode, unde, neſcio, quid improbæ vanitatis & ſanctimoniæ ſibi imaginarentur. Nihil ſapientiores ſuis illis Fatidicis, & Aruſpicum diſciplina, quàm olim ſuperſtitioſa Ægyptus. Quibus

Effigies ſacri nitet aurea Cercopitheci.
Quaque pavet demens ſaturam ſerpentibus Ibin.

Quibus

Porrū & cape nefas violare, ac frangere morſum,
O ſanctas gentes quibus hac naſcuntur in hortis
Numina!

In hoc ridiculo Deorum cultu atque officina. quid, quæſo, veræ Pietatis, virtutumque ſanctita-

ctitatis uſquam appareat? Adeo animis mentibuſque excæcati, ut, ſi grillus obſtreperet, ſi cornix crocitaret, ſi frictus ocelli angulus pruriret, continuo ad divinationis officinam hæc traherent. Inde codices ſuos evolvebant, ad Sybillinos libros & oracula confugiebant; diis hominibuſque fucum faciebant. O cæcas & inanes hominum mentes! qui, vivo veroque Deo neglecto, in portenta & prodigia plus quàm Diabolica impingebant.

Cum illa ſacrarum rerum ignorantia, quanta animi rabies, morumque inclementia ſe invexit! adeò ut nullum carnificinæ genus, nullum torturæ modum prætermiſerint; omnibus ſuppliciis miſeros homines affecerint, vexârint. Undique illorum crudelitate ruente in ruinam & exitium miſerorum mortalium. Hic nudo aliquis ſpectandus per compita rapiebatur; illic, diſcerpto membratim corpore, protracta nece, uſque ad horrorem viſentium excarnificabatur. Alibi moleſta quis tunica punitus

—— Tadâ lucebat in illa,
Quæ ſtantes ardent, & fixo gutture fument.

O plus quàm belluinam animorum rabiem! O crudelitatem execrabilem! quibus nihil jucundius, nihil gratius erat, quàm cædes, quàm cadavera, quàm vaſtationes & ruinæ populorum. Qui nullum Sirenæ cantum cum catenarum ſtridore, & acerbo plagarum ſtrepitu comparabant. Non petauriſta, aut ſuum ambulus recto fune deſcendens, tantam animo voluptatem adferebat, quàm fuſus in theatro ſanguis, quàm ſparſa per vias mortuorum oſſa albentia.

—— Cum pectora, Brachia, vultum
Crediderint genus eſſe cibi. —— Quibus
Immortale odium & nunquam ſanabile vulnus
Ardet adhuc.

Quàm illi miſeri mortales in vitam hanc infeſtis

ſtis latrociniis ſævierunt : tam illi ſe ſtupris, adulteriis & libidinibus polluerunt, per omnem obſcœnæ Veneris ſpurcitiem corpora ſua verſantes. Non honeſtas, non pudicitia, non famæ macula, non conſcientiæ vis, non Numinis metus illos à tam indomita cupidine avocabat. Adeò illicito hoc affectu flagrantes, ut ſub Iſidis ſacris; ſub ipſis Bonæ Deæ pulvinaribus libidines & illecebras ſuas peragerent.

——— Quis enim non vicus abundat
Triſtibus obſcœnis?
Vbi plena omnia gyſo
Chryſippi invenias.
Quoties aliquid de moribus audent,
Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.
Quique
Promittunt atrocem animum, ſed pudice lævi,
Cæduntur tumidæ, medico ridente, maniſcæ.
Cecropiam & ſoliti Baptæ laſſare Cotytto.
——— O Pater urbis
Vnde nefas tantum Latiis Paſtoribus? unde
Hæc tetigit, Gradive, tuos undeque nepotes.

Ab hac illicitæ Veneris turpiſſima prurigine, ad ventris gulæque peſtem abominandam me confero. Quæ tam dictu ipſo nefanda atque execrabilis fuit, ut nullam aut veniam à ſuis tenebris, aut excuſationem à ſæculi ignorantia demereatur. Quorum omnis vivendi cauſa in ſolo palato conſiſtebat. Quando plus Pallante & Licinis poſſidentes, intimæ plebi turbæque togatæ ſuam ſportulam avari præripiebant. Quando tota ſua patrimonia unâ cœnâ devorabant. nec loculis comitantibus iretur ad caſum tabulæ, ſed totâ luderetur arcâ, ipſo pro pudor! armigero ad hæc prœlia diſpenſatore.

Cum jam de *Convivâ Corybanta videres.*
Alter ——— mox pocula torqueret
Saucius, & rubra detergens vulnera mappâ.

Ipſe

Ipſe Capillato diffuſum Conſule potat,
Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam,
Cardiaco nunquam Cyathum miſſurus amico.

Et jam Provincia focos inſtruebat; Mullus ſex millibus emebatur; mare ipſorum deficiebat in juſto alimento aſſiduis retibus. Tunc

——— Potuit fortaſſe minoris
Piſcator, quam piſcis emi

Cum tot ſeſtertia

Purpureus magni ructaret ſcurra Palatis.

Qui noverat

Luxuriam imperii veterem, noctesque Neronis
Iam medias, aliamque famem.

Sed, pudet me inter haſce popinas & comeſſationes diutius commorari. Quæ, vereor, ſacrum hunc Phœbi locum ſuis illis ſordibus jure contaminare poſſent. Quamobrem magis miror, mi Collega, quod immaniſſimi iſtius ſæculi improbitatem tanto orationis hiatu uſque in cœlum extuleris? cum præter monſtra ingeniorum, præter portenta naturæ, nihil illic dignum invenias. Meris enim mendaciis, adulationibus, impoſturis, Principum aures & aulæ perſtrepebant, interque flagitia impuriſſimæ vitæ & convictus, nihil niſi Tyrannorum crudeliſſima edicta, Sullanæque proſcriptiones audiebantur. Quando

—— Nec civis erat, qui libera poſſet
Verba animi proferre
Nec clade & peſte ſub illâ
Sævitiam damnare & honeſtum adferre liceret
Conſilium.
Cum quo de pluviis aut æſtibus, aut umbroſo
Vere locuturi fatum pendebat amici.

Quis verò immanem iſtius gentis Avaritiam vel ipſo Tago aut Pactolo, fluminibus, unquam explere potuiſſet? quæ in eo operoſè deſudabat, ut ultra Narciſſum & Cræſum opibus divitiiſque ſuis graſſarentur. Quæ in Saturni templo, in Martis foro,

foro, & ad Vigilem Caſtora nummos collocabat: Pelion quaſi Oſſæ impoſitura. Quæ nullam mortem aut periculum reformidabat; nullum mare exhorreſcebat, nullam ignominiam præ inſatiabili pecuniæ aviditate ſubterfugiebat; ſi modò tenſo cum folle ac vetere ærugine, domum reverteretur. Atque ita majorem ſuæ avaritiæ, quam vitæ & exiſtimationis rationem habebat. Apud quos homines tam ſancta divitiarum majeſtas fuit, ut illi in publico templa & aras exſtruxerint; ut honorem & reverentiam pene divinam exhibuerunt.

——— Ergò paratur
Altera villa tibi, cum rus non ſufficit unum
Majorque videtur,
Et melior vicina ſeges.
Veniet claſsis quocunque vocarit
Spes lucri
Hoc diſcunt omnes ante Alpha & Beta puellæ.
Vnde habeas quærit nemo, ſed oportet habere.

O improbam dominandi & diteſcendi iſtorum temporum cupiditatem! quibus genus humanum in omnes calamitates & miſerias ita prolapſum fuit, ut nulla virtutis ſemita, nullumque veræ pietatis veſtigium in aliquo orbis angulo apparuerit. Scilicet,

Nona ætas agitur, pejoraque ſæcula ferri
Temporibus: Non invenit ipſa
Nomen, & à nullo poſuit natura metallo

Igitur non immerito HH. AA. ſæculi iſtius improbitatem totus abominor ac deteſtor. Pietatem verò divinæ Majeſtatis æmulam, de qua Collega meus nunc dicet, illum, inquam, cœleſtis doctrinæ pulcherrimum fontem, cunctis mortalium divitiis atque opibus, immane quantum! antepono.

DIXI.

ORATIO

ORATIO XIX.

ARBITRI.

Habita à

IOHANNE KNYFF.

Alcm. Batt.

MErito mihi gratulor, *Chariſsimi Commilitones*, quod tam egregiè veteris ævi commemoratione me exhilaraſtis, & ſuam quiſque perſonam, pro argumenti majeſtate, fortiter ſuſcepiſtis. Non enim nego, magnam majoribus noſtris laudem atque gloriam de virtutibus ſuis deberi. Cum, aut Patriam defendendo, præclara morte occubuerint; aut privatos ſuos lares protegendo, hoſtem à cervicibus fortuniſque ſuis pulcherrimè averterint. Quales olim illuſtres illæ *Deciorum* animæ, forteſque *Camilli* fuerint. Quales *Phileni* fratres; qualis ille Thebanorum *Meneceus*, &, apud Romanos, divina indole præditus Quintus *Curtius*: qui multò minorem ſui corporis, ſui curam & cuſtodiam habuerunt, quàm ſalutis publicæ. Pro quâ fideliter aſſervandâ proprium ſuum ſanguinem ultrò etiam obtulerunt. Neque poſſum non debita laude condecorare, fortiſſimos *Catones*, *Marios*, *Marcellos*, *Fabios*. *Cicerones*. Quorum præclara atque excelſa virtus in eo potiſſimum eluxit, ut Rempublicam contra injurias hoſtium ſartam tectamque conſervarent; ut vitæ ſuæ tranquillitatem omnibus præſidiis vigiliiſque communirent. Ita, meo judicio, æternam fortitudinis ſuæ memoriam promeruit *Epaminondas*, *Pericles*, *Phocion*; Amicitiæ laudem *Lælius* & *Scipio*; Modeſtiæ commendationem *Ageſilaus*, *Carolus*, *Maximilianus*. Temperantiæ admirationem *Curius Dentatus*, *Secrates*, *Diogenes*. Talis in jure & juſtitia adminiſtranda

Digitized by Google

Alexander Macedo, *Ariſtides*, *Architas*, & *Iuſtinianus* Imperator fuerunt. Talis in Beneficiis erogandis, *Mæcenas* & *Auguſtus*; in Pudicitiâ conſervanda *Sophronia*, *Lucretia*, *Penelope*; In Sapientiæ virtutumque ſtudiis promovendis *Periander*, *Solon*, *Iulius Cæſar*. Quorum ego virtutes in animo & oculis libens perferre patique poſſum. Quæ vigebunt memoria ſæculorum omnium, quas poſteritas alet, quas ipſa æternitas ſemper intuebitur.

Sed, ad veræ Salutis poſſeſſionem, & Chriſtiani nominis perfectam felicitatem, lõnge aliis Virtutibus eſt opus. Quò non per veterum veſtigia, & ſpeciem illam umbramque virtutum pervenitur, ſed ſola ſolidaque Pietate, qua in unum & verum illum ac Omnipotentem Deum, ſpem noſtram repoſitam habemus.

Ego itaque, quæ vera ſit animi virtus; quæ libero homine digna in hiſce terris felicitas, hoc loco paucis oſtendam. Quæ non eſt alia, quàm illa germana & Chriſtiana, in Deo colendo & cognoſcendo, ſanctiſſima Pietas. Vos HH. AA. de divino hoc argumento mihi diſſerenti, veſtram benevolentiam, aureſque attentas præbete.

Pietas una ſacra illa eſt anchora & amuſſis, qua cum Deo Opt. Max. æternum conjuncti ſumus, ſive adverſa, ſive proſpera rebus humanis contingant. *Pietas* à cœleſti oriunda Spiritus imagine, animos noſtros in ſpem æternæ ſalutis erigit, attollit; *Pietas* hujus & alterius vitæ habens certiſſimam promiſſionem, nos, à futilibus caducarum rerum meditationibus obductos, uſque in tranquillæ beatitudinis ſtationem manuducit ac comitatur: Tunc ex verò hæc humana ſuo pede atque modulò trutinantes. Quod parum illi exactè faciunt, qui in ſuo ſe cœno & ſordibus quotidie volutant. Unde profectum eſt, quod ſtulta antiquitas, tanta ignorantiæ caligine obſeſſa, nihil ad

illum ſe ſolem ac divinitatem erexerit. Sed, brutorum in ſpeciem, ſe ſuo ventre, & aëre ſibi circumfuſo, in hac vitâ oblectarit. Meræ ſunt nubes & nebulæ, quibus veterum ſuperſtitio, ignara prorſus rerum divinarum, altiſſimè immerſa fuit. Nobis Chriſtianis ſolùm gratiæ hoc illuſtri ſidere allucente, quo ex errorum Labyrintho, nos in rectam ſalutis ſemitam recepimus. Dixit olim Thales, *homines exiſtimare debere, Deos omnia cernere, Deorum omnia eſſe plena; Deum principio & fine carere.* Et ſapiens ille Romanus *omnia proſpera evenire Deos colentibus, optimumque eſſe animum pulcherrimum Dei cultum.* At illi Philoſophi, neſcio, quo genio in ſacram hanc opinionem adducti. Nos autem ipſo Ductore & Doctore Chriſto, in certiſſimam Juſtificantis Fidei cognitionem eruditi ſumus. Qui ſine ulla nube & hallucinatione clariſſimum hunc Juſtitiæ ſolem intuemur.

Præit nobis in divinæ Providentiæ hoc ordine & opere Divus *Auguſtinus*, qui illud *Pietatis exordium* eſſe dixit, *de Deo optime exiſtimare*. Cum illo, ſancto ore, locutus *Lactantius*: *Quod ideo humanis rebus omnia mala ingraveſcerent, quia Deus hujus mundi effector & Gubernator pro derelicto haberetur.* In quem finem atque terminum millenis nos teſtibus ſacra pagina edocuit. Quæ divini favoris aurâ genioque nos demulcens, tam ſuavem, tam manifeſtam noſtris animis de Deo cognitionem impreſſit, Ut non tantum in ſolem & ſidera oculis defixi, unde potentem cœli terræque Creatorem diſcamus: Quæ priſcæ quoque antiquitati nobiſcum promiſcua fuerunt. Alia nobis in utroque Codice divinitùs oracula proponuntur. Aliæ in piorum animis Myſteriorum ſcintillulæ elucent. Unde ſanctiſſimum illud Numen noſtri quoque juris atque intellectus facimus. Valeat ergò imprudens Ethnicorum Schola, cum futilibus fictitiiſque

que ſuis Numinibus: à quibus in adverſis rebus ſua ſibi ſomnia & ſolatia fingunt. Jactitent illi ergò immenſa mole & numero ſuos *Apollines*, *Mercurios*, *Averruncos*; ſuos *Statores*, *Summanos*, *Fidios*, *Saturnos*, reliquaſque Deorum ſuorum inanes imagines atque titulos. Nos, Nos, inquam, beata, hac Euangelii Luce circumfuſi, tandem in Auguſtæ ſalutis Sacrarium recepti ſumus: In quo uno ſoloque ſummum bonum, divitiaſque collocatas habemus.

Quare omni ope & ſtudio anniti nos decet, Cariſſimi Commilitones, ut vitæ ſanctimoniam vivis quotidie exemplis ac teſtibus comprobemus. Ne quid, Barbaræ gentis conſuetudine, ad noſtri ignominiam & dedecus cum temeritate committamus. Cum in omni vitæ genere nihil ſit præſtantius utiliuſque, quàm in ſanctiſſimos in corruptoſque animi mores incumbere; quam ſui exiſtimationem vera virtute & induſtria apud unumquemque profiteri. Ex quo ſolo Pietatis fonte cœleſtia & ſempiterna prœmia in animarum ſalutem redundant, quæ cum nullis Regum opibus atque regnis ſua dignitate pretioque comparari poſſunt. Quod divinæ Pietatis ſtudium cum univerſo hominum generi ſit maximè neceſſarium, tùm imprimis noſtræ huic ætati atque pulveri Olympico Muſarum: in quo ad bonarum artium ſcientiam Eccleſiæ & Reipub. ſalutem ſanctiſſimis exemplis informamur. Nam prorſus exiguum atque ridiculum eſt, literarum famâ apud finitimos excellere, quando non immortali, præ cæteris, ornamento, Pietate, amorem nobis apud probatiſſimum quemque demereamur. Igitur, advocata in laborem noſtrum ſanctiſſima hac ductrice & comite, Pietate, eruditionis hanc Palæſtram macti porrò ingrediamur. Semperque in oculis noſtris, ac in animo inhæreat, quanta jucunditate, quantiſque prœmiis generoſum ſui

I 2 alum-

alumnum afficiat vera Pietas. Quiſquis enim hoc divinæ fortitudinis clypeo maſcule ſe defendit ac tuetur, ille contra Fatorum injurias, contra Diaboli aſſultus & inſidias firmiſſimo tibicine ſubſiſtet. Ut, verè, cum Philoſopho exclamare liceat: ô virum! ô virum *Sapientem*! ô virum *Bonum*! qui, profectò, nemo eſt alius, quam ille, qui divinæ Pietatis eminentia quam plurimum ante alios excellit.

Hanc almæ Pietatis facem, Tu, omni tempore mihi colende *Clariſſime Domine Rector*; Tu venerande, præſtantiſſime *D. Prorector*; Vos denique, *Præceptores amantiſſimi*, hactenus nobis in illuſtri hoc Minervio, cum propenſa animi induſtria, prætuliſtis. Pro quo beneficio æterno, æternum, æternas Vobis gratias jure debemus. *Faxit Omnipotens in Cœlo Deus, ut prævio nobis Auguſto hoc Pietatis ſidere, propoſitum ſtudiorum curriculum bonis avibus auſpiciiſque ſuſcipiamus, decurramus conficiamus. Et illuſtris hac, quam incolumus.* ALCMARIA; *& in illâ, Vos Nobiliſſ. Ampliſſ. Clariſſ. Reverendi Viri diu felices, diu ſoſpites, & ſuperſtites vivatis, valeatis, floreatis.*

DIXI.

ORATIO

ORATIO XX.

De
Republica malâ.

Habita à

JACOBO HARTMANS.

Hag. Batav.

PEriculoſiſſima HH. A. A. temporum noſtrorum eſt conditio, quam nec lacrymis ego ſatis deplorare, nec verbis copioſiſſimis, pro malorum magnitudine, effari poſſum. Omnia enim minitari nobis ruinam atque calamitatem videntur: nuſquam apparente rerum noſtrarum tuto nobis perfugio. Domi proſerpente in immenſum civium diſcordiâ; foris bellorum flammâ uſque in cœlum ſcintillas ſuas ejaculante. Quod, eheu! infeſta ac inimica nobis Britannia uſque ad formidinem, & terrorem, domeſtico exemplo nos docet. Cujus mali quam infelix peſtis ac moles quotidie nos obruat, aures animique noſtri cum ſtupore teſtantur. Ipſo, proh dolor! claſſium noſtrarum *Ductore*, *Invictiſſimo Archithalaſſo*, MARTINO TROMPIO manibus noſtris auxiliiſque immaturâ nimis morte præreptо. Accedit fatali iſti periodo infinita aliarum rerum materies, quæ juſtum dolorem piorum pectoribus merito incutiat. Vbique graſſante in immenſum vitiorum luxuria, quam depaſcere, non niſi cœli vindicta, ac indignatio divina poteſt. Fide, Pietate, Relligione, jam pœne adductis in ſuum carcerem ac tenebras. Sacrâ Juſtitiâ parum ex æquo pœnas ac præmia diſtribuente. Virtute, veritate, moribus antiquis, prorſus de foro ac tribunalibus ſuis dejectis.

Hæc in Rep. noſtrâ, cum ubique mala ac mon-

ſtra ac prodigia occurrant, non alienum noſtris Camænis eſt viſum, publica de illis lamenta inſtituere. Adverſus mala ingruentia quærere remedium; bonorum verò animos ad fidem & conſtantiam adhortari.

Ego *Audd. HH.* veſtrâ bonâ cum veniâ, de malâ Republica pauca ſum dicturus. Collega meus, pro ſingulari ſuo ingenio, ac prudentiâ, Rempublicam, qualem hanc eſſe deceat, ad vivum oculis veſtris repreſentabit. Non dubium, quin argumenti dignitas H H. AA. animos aureſque veſtras, ad benevolam attentionem permovebit.

Nemo veſtrum eſt omnium, Iudices, quin de præſente rerum ſtatu triſtiſſimam animo opinionem conceperit. Qui non ingentem ſuis oculis procellam, ac tempeſtatem terrâ marique proſpiciat. Qui non ſibi, non fortunis ſuis, non conjugibus, atque liberis triſtiſſima quæque denunciet. Ita in omnem Europæ partem diſperſis diſcordiæ irarumque ſeminibus, ut communem calamitatem, miſeriaſque omnes cuncti exſpectemus. Quippe, publico incremento felix hodie eſt improbitas, omniumque ſtudia in deterius ita gliſcunt; ut totis provinciis, florentiſſimiſque civitatibus ſua inſtet ruina & interitus. Sublatâ enim in Deum Pietate, boniſque moribus ex hominum animis tanquam peregrinantibus, quid, quæſo, publicæ felicitatis vel uſquam exiſtere poteſt? In dies, inquam, ſumente vires ac robur ſuum improbitate. Iuſtitiâ, & legibus parum auctoritatis in foro habentibus. Virtutum præmiis, optimo cuique præreptis. Summum verò flagitium atque facinus nefarium quovis pœne impune exercente. Hiſce temporum noſtrorum curis ac calamitatibus, Quirites, quis ſpondere ſibi poſſet felices rerum ſuarum ſucceſſus? nam omnium eſt primum in Republicâ fundamentum, ut à Religione & cultu Divino auſpicia ſumamus. Quâ Pietate ſemel neglectâ, oportet con-

conſilia ſequi conſimilia. Vnde facilis eſt deſcenſus ad omne vitium ac improbitatem: modô infinitâ malorum meſſe ab inferis in lucem proditurâ.

Contemptâ neglectâque ſacrorum curâ, mox proxima quæque vitia Remp. invadunt. Nam metu Religionis ſemel ex hominum animis exſtirpato, in infinitum ſcelus, atque injuriam feneſtra mortalibus aperitur. In ſuperbiam, in avaritiam, in invidiam peſſimus quiſque præceps tunc agitur. Non obſtante virtutis aliquo monitu, quo quis ſibi temperet à turpitudine ac vitæ dedecore. In proximum quemque lucri cupiditate tranſiliente. Opes alienas inhiant. Alios præ ſeſe deſpiciunt. Rempublicam venalem habent. Fas nefas promiſcuè exercent. In lites & tumultus ultrò inclinant. In diſcordiam inimicitiaſque, tanquam in ſalutem ſuarum rerum magnis animis, induſtriâque incumbunt. Honores non ex merito, ſed ex appetitu ſuo metiuntur. Rerum turpiſſimarum ambitionem cum ipſo capitis periculo amplectuntur. O miſeram illam Remp. in quâ Cælſegi iſti & Catilinæ locum tenent! ubi

Exul ab octavâ Marius bibit. ubi, tu,
Victrix provincia ploras. In quâ
Carus erit verri, qui verrem tempore quo vult
Accuſare poteſt. a)

Tunc demum certiſſimum nobis imminet exitium, quando talibus conſiliis res noſtræ adminiſtrantur. Quando non aliud ruinæ noſtræ ſpacium & præſagium eſſe poteſt infelicius, quam ſi Æolios iſtos fratres ad clavum & gubernacula admoveas, qui ſeditionum ſuarum procellis publicum noſtrum navigium in charibdes ac ſyrtes facile illidunt. A quorum manibus non abſunt largitiones, ac corruptelæ. In quorum faucibus famelica reſidet avaritia. Hoc inprimis ferri tempore, quando jam

a) *Iuvenal.*

Sacras nummorum ereximus aras. a)

& tu, ô funeſta pecunia, templis pœne habitas. Equidem certiora ad ſui interitum veſtigia Reſp. nunquam habuit. Tunc enim

Omne in præcipiti vitium ſtetit.

Tunc legum & juſtitiæ neglectus. Tunc foro & tribunalibus nulla reverentia, nulla auctoritas. Quam nolim ergo Audd. H. communi noſtrûm ſaluti hæc adverſa atque infelicia nobis & poſteris hariolari!

Multa tamen, tanquam ex tripode loqui hîc poſſem, jamque afflatus propiore Apolline, patriæ noſtræ lethale vulnus, & in propinquo calamitates ſuas prædicere. Quæ mala nobis & poſteritati noſtræ impendere neceſsè eſt, quando in peſſimas illas artes, pravoſque animorum affectus in dies pergimus. Ad illam ruinam velis remiſque properare, magnum quoque indicium eſt, quod neglectis bonarum artium exercitiis, in otium & ignaviam ſimus propenſi. Nullâ prorſus habitâ ratione Divinæ ſapientiæ, quâ animos noſtros contra temporum injurias obfirmemus. Quod abundè docet in tenerâ ætate juventutis noſtræ educatio ac mollities. quando

Ludit & hæres
Bullatus, parvoque eadem movet arma fritillo.
Et eodem jure natantes
Mergere ſi cedulas didicit nebulone parente. b)

Quæ vitæ juvenilis indulgentia tam impunè à parentibus habetur, ut nihil reliquum eſſe videatur, quod cum priſtinâ majorum diſciplinâ conveniat. Vnde neceſſe eſt, ad ipſam barbariem atque inſcitiam paulatim nos deſciſcere. Qui, mehercule, primus ad interitum eſt gradus. Nam ſublatis de medio doctrinarum adminiculis, omnia domi foriſque in pejus abeunt. Pro ſapientibus in curia Catonibus, Lycurgis, Solonibus, inſulſi Dominabuntur.

a) *Iuvenal.* b) *Perſ.*

buntur Licinii & Caracallæ. Illiterata ac plebeja erunt capita, à quibus leges & jura in ſubditis dabuntur. Publicæ Academiæ & Gymnaſia, nihil antiquæ gloriæ & majeſtatis retinebunt. Quæ certiſſima, inquam, ſunt inditia brevi in caſum ſuum vergentis Reipublicæ. Atque, utinam! non hæc mala in dies magis magiſque proſerpant, noſtriſque calamitatibus, quibus nunc pœne obruimur, illa magno argumento fuerint. Quæ quamdiu vitia in ſinu noſtro fovemus, nihil unquam honeſti, nihil præclari ab aliquo eſt exſpectandum. Illæ olim beatæ & florentes reſpublicæ fuerunt, quando in Deum Pietas; in ſapientiam induſtria & labor vigebat. A quibus tunc procul exulabat, rerump. everſor, Ambitus, & illi repetundarum ac reſiduorum rei. Quas Harpyas ſi ad imperia provinciarum peſſimo omine admittas, neceſſe eſt negotia publica ad deteriorem partem labantur. Nullo ſuperſtite amplius ſpiritu, quo animam recipere poſſit civitatum ac populorum felicitas. Olim de aureo Saturni ſæculo fabulata fuit antiquitas, quando adhuc multa veteris prudentiæ veſtigia exſtiterunt, nondumque ad Superos Aſtræa receſſerat. Idem de nobis Batavis & majoribus noſtris quondam virtutis fuit præconium. Quando cives cum civibus de honoribus ac honeſto decertabant. Quando nemo tam improbus inveniretur, qui remp. non ante privatas fortunas habebat. Quando fides, pietas, inter præcipuos theſauros annumerabatur. Sapientiæ poſſeſſio pro divitiis erat. Concordia, Charitas, Temperantia, liberalitas omnium tunc animos, velut Deorum aliquod templum occupaverat. Hæc ſi in noſtram aliquando ætatem, H.H. A.Aud. Divino quodam felicitatis torrente recurrerent, ô quam beatam, quam fortunatam in Belgio noſtro remp. haberemus! Quàm de noſtris illis vitiis ac erroribus, quibus oppreſſi nunc penitus ſumus, tanquam edo-

Digitized by Google

mitis profligatiſque triumphum agerimus! Quod & in noſtrâ induſtriâ, & in tuâ omnipotente manu eſt poſitum, ô *Æterne & Clementiſſime in cælis DEUS*. Qui, ut hæc aliquando tempora & halcyonia circa noſtrum forum & Eccleſiam feliciſſimè renaſcantur, nobis poſteriſque in ſalutem, & divini tui nominis gloriam ſempiternam benigniſſimè, ſpero, es facturus.

DIXI.

ORATIO XXI.

De Republicâ BONA.

Habita à

ROCHO KIEN. *Hag-Bat. Nobili.*

DEſcripſiſti, mi Collega, temporum noſtrorum calamitatem, & Rempublicam, proh pudor! malam. Quo argumento meum animum graviter, certè vulneraſti. Sperem ego, non de noſtrâ patriâ hæc te fataliter hariolari. Quæ poſt læta fortunæ incrementa, ſi tam ſubito in caſum ſuum vergeret; eſſet, quod meritò de infeliciſſima poſterorum conditione conqueri poſſemus. Quod nos, qui tam excelſo gradu paulo antè ſtetimus, tam repente in profundiſſimum miſeriarum gurgitem prolaberemur. Deſinite, quæſo, deſinite, tam triſte Saturni ſidus oculis noſtris objicere, animoſque miſerorum civium, tanquam objecto Meduſæ capite, crudeliter perterrefacere. Nondum mea hic fert animi ſententia, ut penitus conclamatum ſit de Rep. quæ ita facile reſtitui priſtino ſplendori poteſt: quando manibus pedibuſque obnixè officium noſtrum quiſque facimus. Infelices improboſque errores noſtros exuendo: Virtutem ipſam, ſalutare rebus afflictis remedium, fideliter, fortiterque exercendo.

Ego

Ego igitur, quæ optima ſit Reipublicæ facies, qualiſque vita noſtra in publico theatro eſſe debeat, pro mea ingenii tenuitate, breviſſimâ oratione complectar. Vos H H. Audd. aures animoſque veſtros mihi quoque dicturo, benignè, quæſo, accommodate.

Relligio & Pietas firma Reipublicæ ſunt vincula. Quibus tanquam ſacrâ rupe, cum noſtra, tum poſterorum omnium ſalus tutiſſimè ſemper innititur. Quibus pro nihilo contemptuque habitis, mox omnis ævi ac memoriæ ſanctitatem corruere neceſſe eſt. a) *Cultus namque Deorum optimus eſt, idemq; caſtiſſimus & ſanctiſſimus.* Et quemadmodum gubernator fluctus aſſilientes negligit, manum in clavo habens, oculos in aſtris: Sic noſtrum eſt, bene ſemper agere, & mentem ad Deum referre. Omnia noſtra facta Divinis legibus temperare; à puriſſimis precibus & votorum ſanctitate negotia noſtra exordiri. Certi enim ſumus de Deo, quod non magnam illam orbis ſolum navem, ſed hanc quoque Belgarum cymbulam providentiæ ſuæ clavo dirigat. *Qui ſine ullo ſimulationum fuco virtutem vitiumque videt in vero ſuo cultu.* Cui nemo mortalium unquam imponet. Nam linguas & fibras, aperta & operta, juxta intelligit. b) *Omniaque proſpera eveniunt colentibus Deos, adverſa ſpernentibus.* c) *Summumque illud æternum, neque mutabile, neque interiturum Numen.* Et juxta Divinum Thaletem: *Homines exiſtimare debere, Deos omnia cernere, Deorumque omnia eſſe plena.* Igitur PIETATEM, præ cæteris, nos Chriſtiani, hoc in Republicâ firmiſſimum fulcrum deſideramus. Quæ infirma quæque attollit & corroborat; periculoſa avertit, futurarum rerum proſperrimos ſucceſſus donat. Quæ ubi ſemel mortalium religioſas ingreſſa mentes fuerit, O quàm admirandam in vitâ voluptatem, quàm infinitos illa ſui fructus mox producit!

a) *Cic.* b) *Liv.* c) *Tacit.*

Inde, tanquam ex pleniſſimo fonte, omnis generis deliciarum, ad ſeram poſteritatem redundante. Statimque in omni Reip. partæ præſtantiſſimarum virtutum ſplendore coruſcante. Tunc ſacra Iuſtitiæ ſubſellia miſeris clientibus jus & æquum addicent. Tunc legibus optimis adverſum flagitia locus erit; Tunc ſua ex merito mortalium benefactis præmia ſtatuentur. Tunc nullæ voluptatum illecebræ in pretio erunt, non avaritiæ, non ſuperbiæ, non intemperantiæ, ulla exiſtet occaſio. Templa inculpatis atque innocuis gloriabuntur Theologis. Roſtra juris & æqui jactabunt Conſultiſſimos judices & advocatos. Gymnaſia & Scholæ optimos bonarum artium virtutumque Profeſſores. Tunc omnis civitas & privata cujuſque Domus plena heroicis exemplis, plena vivâ virtutum imagine. Quam Divinæ Majeſtatis auguſtiſſimam Penelopem, Pietatem, ſi nos Belgæ in præcipuis noſtris amoribus ac deliciis agnoſcamus, non dubium eſt quin omnibus numeris florentiſſimam abſolutiſſimamque Remp. habebunt.

Hâc Virtute & ſanctitate compoſita in Republicâ, H H. Audd. neceſſe eſt alteram illi manum & columnam adjungamus SAPIENTIAM. Quæ rerum præſtantiſſimarum ſcientiam complexam mirum ſui decus atq; ornamentum in communem vitæ uſum præſtat. Quod cum prudentiſſimi Reges & Principes ab omni ætate ſapienter intellexerunt, ingentia ſemper præmia viris eruditis propoſuerunt. Ignaviæ verò atque otio infeſtiſſimi hoſtes, peſſimum quemque inertemque ab imperio & faſcibus removerunt. Quam ſi nos in Batav. conſuetudinem ſanctè retineamus, & conſilia noſtra penes ingenioſiſſimum quemque eſſe velimus, magna ſpes nobis ſupereſt de immortali & nunquam interiturâ Republicâ. Tunc in publicis patriæ comitiis Catonis exiſtet auctoritas; legum optimarum minime deerit majeſtas. Sem-

per

per in honore & pretio habebitur Tribunalium æquitas, fides, Iuſtitia. Qui ſummus præcipuuſque laborum noſtrorum eſt ſcopus, ut prodeſſe olim communi ſaluti poſſimus, quando & egregiis doctrinæ præceptis inſtructi, ad optimarum artium ſcientiam perveniemus.

Hac gemina virtutum face atque excellentia HH. Audd. Si in Rep. ipſi Principes & magiſtratus civibus ſuis præluxerint; tunc demum ſupremæ felicitatis faſtigium adepti ſumus. Tanquam præſagium florentiſſimi imperii, in quo virtus & fortuna de honoribus ac fama contendunt. Teſte Philoſopho Zenone, *decorandas eſſe urbes non pratioſis ornamentis; ſed regnantium virtutibus.* Nam, ſine adminiculo ſapientium virorum, non magis in poſterum ventura fidei ipſorum demandata civitas, quam ſine peritia gubernatorum immiſſum in medios fluctus navigium. a) *Quippe vulgus ſine Rectore praceps, pavidum, ſecors, ac cujuſque motus novi cupidum.* Ubi vero imperium ad ignaros aut minime bonos pervenit, jam de ſumma rerum conclamatum eſt. Date mihi veniam quæſo H. A. ſi ſub illuſtri veſtro nomine Principis majeſtatem Hiſtorici verbis deſcripſero. *Princeps*, inquit ille *ſic viſu ac auditu juxta venerabilis, magnitudinem & gravitatem ſumma fortuna retinens.* Diſſimilis ſit *Othoni, qui contra decus Imperii, thoro inſiſtens, pracibus, lacrymis militarem licentiam cohibebat.* b) Diſſimilis *Vitellio,* qui *vultu*, voce, *lacrymis non deerat miſericodiam populi elicere.* *D. Auguſti* exemplo agat, qui vultu & adſpectu Actiacas legiones exterruit. *Majeſtas quippe principem defendit*, nec vultu erit demiſſo ac ſupplex ſed ex memoria ſuæ fortunæ agat. Non enim ſpecie tenus, ait panegyriſtes, ac nomine fortuna imperii conſideranda eſt. Cogitet ſecum princeps ex Seneca: *Ego ex omnibus mortalibus Deo placui electuſque ſum,* quæ

a) *Tacitus.* b) *Tacitus variis locis.*

qui deorum vice in terris fungerer. In animum admitto totius reip. curam ac populi fata ſuſcipio, & oblitus quodammodo mei, gentibus vivo Quare etiam teſtatus in pleno Senatu *Tiberius*, bonum principem Senatui ſervire debere. Egregium illud *Trajani Imperatoris*, qui cum præfectum ſuum gladio ſuccingeret, daretque & vitæ & necis poteſtatem, *cape hunc*, inquit, *& ſiquidem recte, ex utilitate omnium imperavero, pro me, ſin aliter contra me utere.* Ne minus præclare *Rudolphus Imperator. Per Deum*, inquit, *ſinite homines ad me venire.* Non *enim ideo ad imperium ſum vocatus, ut in arcula includar.* Ideo princeps illud reputet arduum & ſubjectum fortunæ regendi cuncta onus. Quantoque plura ſit adeptus, tanto ſe magis in lubrico magiſque fama quam vi ſtare res ſuas. Caveat imprimis princeps *ne ritus ſacrorum inter ambigua culti per proſpera oblitarentur. Quin exemplum det populo Religionibus ac divino jure illum deviciendo.* Deteſtetur profanos, qui Dei imaginem mortalibus materiis in ſpecies hominum effingunt. Has tam excellentes in ingenuis pectoribus virtutes ſi noſtri illi Imperatores, patriæ patres, domi foriſque exercuerint, ô illud verè divinum & ſupra humanas mentes dominandi faſtigium! Unde tanquam à nubium illo ſereno in omnem Reimp. ſe diffundet publicæ felicitatis tranquillitas Sub quorum fide atque induſtria, nihil alienum cogitare aut ſentire in vulgo licebit. Compoſita jam omni turba ad ſecuræ pacis quietem. Atque utinam! plurimi tales ad gubernaculum ſedeant Heroes, quorum prudentia dubios rerum noſtrarum eventus ſapientiſſime moderetur. Qui cuncta ad rectam judicii normam expendentes, difficillimis temporum periculis maturè ſuccurant. Sive pacis momenta conſilium in Senatu, ſive bellorum aſpera viros & arma in arena deſiderent. Tunc demum reſpirare nobis Batavis à communi periculo

culo licebit. Tunc domi militiæque res noſtræ melius ſeſe habebunt. Non amplius in dubium vocanda Procerum noſtrorum opera, & officiis in regenda rep. Hoc ut proximis temporibus, N. A. Viri, H. D. Aud. feliciter & nobis & poſteris noſtris eveniat, ſuppliciter Optimum Max. in cælis Deum rogamus.

DIXI.

ORATIO XXII.

Continens Concluſionem & Precationem.

Habita à

SIMONE CNOLL. *Alcm. Bat.*

QUantò peccata noſtra ſunt graviora A. H. tantò magis univerſo incumbit Belgio, ut Chriſtianis exercitiis. *Pietate* & *Virtute*, Optimum Maximum in cælis Deum religioſiſſimè veneremur. Ut, quibus olim beneficiis nos cælitus affecti ſumus, illa nunc iterum à propitio nobis Numine feliciter impetremus. Tota noſtra vita ad ſingularem Virtutis habitum compoſita. Cum animorum verò vitiis publico quodam odio ac certamine ſuſcepto. Fieri enim nullo pacto poteſt, ut, flagitiis noſtris in immenſum excreſcentibus, ſtare recto ſuo talo Reſpublica noſtra poſſit. Quæ, tantò magis ad ſui properat ruinam, quantò nos noſtros errores & maculas amamus impenſius. Tu, mi Collega, qui de Bona Republica prudentiſſimè mox verba feciſti, mirifico animum meum gaudio ac voluptate perfudiſti. Quare, votis omnibus optandum à nobis eſſet, ut talibus auſpiciis publica & privata diutiſſimè florerent. Domi, foriſque ſempiterna virtutum imagine erecta: Cùm, ad poſterorum noſtrorum memoriam

riam ſacram, tum ad ſæculi noſtri famam glorioſam. Tu, Relligionem, Pietatem, Virtutes omnes in ſcenam advocaſti. Tu, Sapientiam, longa annorum injuria tenebris ſuis demerſam, priſtino Splendori reſtituiſti. Tu, dignam Principe Viro majeſtatem in medium produxiſti. Sanè, utiliſſimo per hæc tempora argumento! Quod pro ſalùbri medicina animorum egritudini inſerviat; mala infinita propellat; univerſum denique Reipublicè corpus, peſſimis nunc modis affectum afflictumque, priſtinis ſuis viribus ac robori reſtituat.

Mala verò & monſtroſa Reſpublica in magnum me metum ac timorem dedit. Totus, inquam, exhorreſcens animo, quando hæc circum me rerum prodigia oculis contemplor. Quæ, ſi in latiorem campum ſeſe immittant, & porrò in vires ac pravam conſuetudinem corroborentur, profectò! præſagit mihi animus, neſcio, quàm de infelici ac terribili fortunarum noſtrarum eventu. Siquidem illud æternum in cælis Numen, DEUS, mortalium ſemper vitia ſuo merito ac pænis afficere ſolet, nunquam deponenda ex tabulis ſuis criminum noſtrorum acerbiſſima memoria. Qua divinæ juſtitiæ ſevera virgula & vindicta, ſi in noſtrum nefas & ſcelus ſuo pridem jure Judex ille ſummus animadvertiſſet, quo, tunc demum loco & tenore res noſtræ Aud. conſtitiſſent? Jam diu nos avibus Stymphalicis ac ipſi Antæo pro pabulo fuiſſemus. Triſte, inquam, jacuiſſemus *lucis evitandumque bidental*. Sed, DEI Optimi Maximi benignitas fuit, quæ hactenus contra communem Patriæ Tyrannum tam fideliter nos juvit, defendit, protexit. Sacra illa DEI Omnipotentis eſt dextera, qua à jugulis noſtris & littoribus tam cruentum, crudelem, nefarium hoſtem etiamnum fortiter avertimus. Qua ſola, ſolidaque Providentiæ Divinæ columna adhuc in

Bata-

Batavis tutò ac tranquillè ſubſiſtimus. Semperque ſacro hoc tibicine in honore & flore permanſuri, quando nos ab Inferis ad lucem revocamus antiquas Majorum virtutes, *Probitatem, Modeſtiam, Fidem*, & exteris olim gentibus non ignotam, *Batavam Simplicitatem:* Unde dolus omnis & perfidia longiſſimè aberant. Quam nulla tunc vitiorum contagio polluebat; nulla unquam fatorum factorumque injuria dehoneſtabat. Hæc ſi in manus noſtras A. H. arma capiamus, & non minus animorum virtutibus, quam telis clypeiſque caſtrorum inſtructi ſimus, æquè, annuentibus nobis Superis, ſuperbam Britannorum dominationem à cervicibus noſtris rejiciemus; quam olim ferociſſimas Iberorum copias à noſtris finibus fortiter propulſavimus.

Igitur tuam de cælo opem & auxilia, omnipotens æterne DEUS, præcibus ardentiſſimis imploramus. *Tu, ô Sanctiſſime & Miſericors Pater, Rempublicam Belgarum univerſam, cæleſti tuo favore ac clementia protege ac defende; ut contra immanem inimicorum tyrannidem fortes ac invicti ſubſiſtamus. Ut divino accinctu Numine, ac manipulis Cæleſtium Angelorum, terra marique priſtinum decus atque gloriam recipiamus. Dona Patriæ Patribus animos in Remp. Religioſos: Ut virtute & fide populum ſibi commiſſum fideliter conſervent ac tueantur. Ut, omnis diſcordiæ eradicato ſemine, unâ mente atque impetu in Libertatis hoſtem progrediantur. Ut, poſthabitis propriæ familiæ ſacris, civium ſuorum, & poſterorum ſalutem curæ, cordique habeant. Sub illorum felici principatu nemo in turbas & tumultus facile deſciſcat. Bonæ leges vim & auctoritatem obtineant contrà improbos patriæ proditores, contra tot clandeſtinos ſcelerum Artifices. Bona*, inquam, *Reſpublica, qualem olim Majores noſtri poſſederunt, nobis, utinam! poſtliminio de cælo redonetur: In qua Cives cum Civibus de Virtute decertent; æquiſſimi mores;*

quaſi

quaſi herba irrigua, uberrimè ſuccreſcant; malorum verò perfidia & improbitas juſtiſſimis pœnis coerceatur. In qua Religio & Pietas primo loco colantur; Iuſtitia, veritatis illa arbitra, ſuum unicuique ex æquo tribuat. Sapientia, & Literæ politiores pro ſummo ornamento pretioque habeantur. Immitte nobis de cælo ſpiritum tuum, ô DEUS, *qui nos in veræ Pietatis ſemitam deducat; qui in animis noſtris puræ Religionis igniculos accendat; qui Proceribus fœderatæ Reipublicæ* VIM & SUADAM, *deas illas Themiſtoclis, liberaliter donet ac ſuppeditet: Vt conſiliis ſuis macti ſuccurrant Patriæ laboranti: Vt virtutum ſeminæ ac Sapientiæ Gymnaſia ſuis honoribus perfruantur; ut ex civium ſeditioſis animis omnium vitiorum pullities eradicetur. Benedic, Clementiſſime Pater, piiſſimis noſtris conſiliis & conatibus. Compone turbulentos in vulgo hominum animos, Concede mentem hoſtibus paci atque amicitiæ deditam. Fac finem, ô Clementiſſime* DEUS, *ſanguinis profundendi: Vt non audiamus in littoribus noſtris ſauciorum ac morientium triſtia lamenta & ejulatus. Vt non cruenta & tepefacta calido cruore maria exitium humano generi minitentur. Non graſſetur amplius tam inpunè per vitrea Neptuni regna illa infelicium Harpiarum proluvies. Fac, ô Magne* DEUS, *ut irrita ſint hoſtium conſilia. Qui Virtutem invideant, intabeſcantque relictâ. Videant, inquam, præ oculis ſuis plus, quàm Barbaræ crudelitatis homines, quàm improbo, quamque illegitimo nos bello perſequantur. Agnoſcant illi, quod contra parentum, contra fratrum Sacramenta, fideique ſuæ myſteria, in aciem deſcendant: Nullo argumento publicæ calamitatis accelerandæ. Imprimis, ô Magne* DEUS, *fac ſacro concordiæ vinculo Cives cum civibus coaleſcant. Brevi ſecurâ pace in cuncta Bataviæ templa & Curias regrediente. Huic denique inclytæ civitati,* ALCMARIÆ, *Optime Maxime* DEUS *te præſentem propitiumque oſtende. Vt intra illius mœnia faſces & ſecures ſancte adminiſtrentur; ut*

Roſtra

Roſtra & Tribunalia ſui formidinem malis incutiant; præmia & honores bene meritos maneant. Et, quod omnium rerum eſt primum ac præcipuum, in illa Religio, Pietas, Sapientia immortali cum gloriâ vigeant, floreant, perennent.

DIXI.

Tres antecedentes orationes habitæ Alcmariæ cIↃ. IↃCLIII. Examine autumnali.

ORATIO XXIII.

In laudem

THEOLOGIÆ.

Habita à

IACOBO POLEMAN

Alcm. Batt.

QUoniam vita noſtra infirma eſt, ac fragilis, dieſque noſtri breviſſimi, nemoque mortalium hoc ævo ad tardam Tithoni ſenectutem pervenit, ſingulari laude digni mihi eſſe videntur iſti homines, qui famam ſui quam maxime longam efficiunt, omnes animi atque corporis nervos in id intendunt, ut ſuæ poſteritati merita ſua nomenque commendent. Vt ducti doctique arcano quodam Dei Opt. Max, arbitrio, ad ſuam quiſque ſpartam, & penſa acceleret. Sunt qui œſtro percuſſi Bellona tuo, qui cuncta vaſtantis Martis alumni, defendendæ Patriæ ſtudio inflammati; quibus foſſæ cruore pleno regium eſt ſpectaculum, qui animam vili mercede venalem habent. Alii vero, quos non grave Saturni, aut Martis ſidus aſpexit, blandæ Veneris impulſu, aut liberali rerum ſcientiâ, vel corporis viribus

ad

ad magna quæque inclareſcere cupiunt. Non nulli, magno in Remp. amore accenſi, ad divinæ Themidis ſacra animum adjiciunt, majorum lubricas, legeſque evolvunt.

Qui juris nodos, & legum ænigmata ſolvunt;

Qui fido lare ſupplices protegunt, laudis famam acquirunt. Alii, qui norunt;

Quodcunque tellus vere nidifico creat,
Et quos ſub axe frigido ſuccos legunt.

Illi certo compeſcere puncto examen docti, ac helleborum diluere: Qui in tuenda hominum ſalute, firmandaque valetudine, ſine qua vitæ omnis fruitio & uſura lucis acerba eſt, anxiis ſemper curis gravantur, venientibus morbis occurrunt, inveteratos propellunt, ut cujuſdam inſtar numinis in terris alteri Podalirii atque Machaonas ſe præſtent.

Alii vero relictis mundi crepundiis, non Quintiliani, non Hippocrates, non Galeni chartes impalleſcunt, ſed ad divinarum rerum intelligentiam ſtudia ſua conferunt, non caduca, ſed æterna mente ſua verſant. Illi autem longe ſupra humana ſe exerunt & ſublime ſplendoris culmen attingunt. Non ego venerandam Juſtitiam, ſine qua tota mundi univerſitas antiquum ac deforme Chaos videretur; non ego Æſculapium, non ego Phœbi artem contemno, ſine quibus omnia regna, civitates incolis ſuis nudarentur: Sed Divinam THEOLOGIAM, quæ

Humana jungit pectora Numini,
Monſtratque callem ter beatas
Quo ſuper Ætheris itur arces:

Illam, inquam, Penelopen facultatum omnium primam, & Principem eſſe jure contendo.

Etſi vereor, H. A. ne fortaſſe ingenii mei ac virium infirmitas, in tam divinæ facultatis explicandis laudibus, in tam ſacri myſterii celebranda maje-

majeſtate, gravi ac moleſto oneri ſuccumbat, tamen ſecunda benevolentiæ veſtræ aura fretus, ventis vela dabo, & immenſum illud æquor ingrediar.

Præſtantiſſimum ac cœleſte illud munus non tripodes, non lebetes, non antra, non Dodonæ quercus, ſui autorem habet: non hæc de ſpeculo reſponſa dedit Ceres, non ex ariete Jupiter Ammon, non Delphis Apollo, ſed ſummus mundi & cœli arbiter, qui cuncta fulmine ſuo concutit, quæ facta atque obſervata majeſtati ſuæ placebant, non ambiguo, non fallaci, ut

Ambage noxa Delphico mos eſt Deo
Reſponſa tegere,

Sed caſto ac vero ore aperuit. Non hæc Salii Patres clypeis ancilibus ſudantes, non furibundi matris Cybeles miniſtri nec vos per urbes diſcurrentes luperci, ſed Prophetæ, ſed Apoſtoli, ſed Euangeliſtæ, viri Deo pleni, viri omnium virtutum numeris divites ſanctiſſima hominibus præcepta præſcripſere. Illi inſtrumenta tanti operis, illi ſummi Tonantis nuntii & interpretes fuerunt.

Oberrabat jam in terra velut ignota veneranda hæc virtutum regina, non maximos induta cultus, non auro, non veſte ſegmentata, non purpura, gemmiſque conſpicua, tamen à multis in deliciis ac pretio habita. Videbant ab illâ Eccleſiæ ſanctiſſima matre, tanquam à fonte perenni, ſecuram beatitudinem ac felicitatem profluere: videbant illorum non vanos eſſe conatus, non ſpes fallaces: videbant ipſis omnia ex voto & ſententia ſuccedere. Non omnibus ad ſacra hujus Penelopis patet aditus, nec ſacrum hunc funem manibus contingere eſt omnibus licitum. Illos, quibus ſumma boni eſt, uncta vixiſſe patellâ, qui ad faces & cereos bibunt, qui toties Circæo ebrietatis populo in brutorum ſpeciem transformantur, qui noctem continuumque biduum epulando potan-

potandoque conſumunt, illos inquam. Summus Apollo à cortina & tripode longe lateque removet illos inquam,

Qui abditos ſenſus gerunt,
Animiſque pulcram turpibus faciem induunt!

Quos aut cretata ambitio, aut inſatiabilis habendi cupido totos in ſervitutem traxit. Hos verò in ſinu ſuo fovet, hos dulci nectare & cœleſti ambroſiâ nutrit veneranda THEOLOGIÆ, qui hoc ſummo voluptatis loco habent,

Conſulere Patriæ, parcere afflictis,
Tempus atque iræ dare:

Qui de curando pietatis officio, de propaganda Dei gloria, de promovenda hominum ſalute maxime ſolliciti manibus pedibuſque obnixe omnia faciunt, ut ſanctiſſimum in cœlo Numen ſumma cum reverentia celebretur. Quid, amabo, humano generi majus aut clarius dari potuit, quam rerum divinarum hæc ſtudia! quid, quod magis excelſos & ſublimes animos deceat? quod magis à vitiorum ſordibus ad virtutem, à Nepotali luxuria ad Curii frugalitatem adducit? de illis, me Hercle, meritò exclamare licet,

Felices animæ, quibus hæc cognoſcere primis,
Inque domos ſuperas ſcandere cura fuit.

Tuam, ô clementiſſime Deus erga nos Beneficentiam admiramur, incredibilem tuam benignitatem obſtupeſcimus, qui nos hoc munere tam eximio, tam nobis utili & neceſſario beare voluiſti.

Quod ingenium tam ſublime, tam fæcundum, quis tantus eloquentiæ torrens, qui hujus beneficii præſtantiam, utilitatem, jucunditatam oratione ſuâ comprehendat? Vt enim nihil ſuave, nihil delectabile, ubi non amor admiſcetur, ſic nihil firmum, nihil ſtabile, ubi ſuas quoque partes res diviuæ non agunt. Sacra Theologi lingua orbem univerſum, quodam veluti fræno moderatur;

ratur;

Digitized by Google

ratur; Qui directis in aſtra luminibus excubias agit, ne tumidis peccatorum undis, ut Charybdis freto in pronum rapiamur. Illa animum format ac fabricat, vitam diſponit, actiones regit, ac dirigit.

Quaque ſequenda forent, quaque evitanda viciſſim,
Illa prius cretâ, mox hac carbone notabit:

Sedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium, dirigit curſum; ſine hac nemo ſecurus eſt. Illa, ut Deo libenter pareamus, ut fortunæ contumaciter reſiſtamus, & caſum æquo animo feramus, adhortatur. Ex illis quotuſquiſque ſeſe ad priſcæ ſanctitatis imaginem componit, & indignam tanto faſtigio mentem conſurgit, corruptos ſæculi ſui mores, hominumque vitia libero ore inſectatur. Nullius aut Ordinis eminentiam, aut fortunæ ſplendorem, aut amicitiæ neceſſitudinem tanti facit, ut non Cenſoriæ correctionis aciem ubi opus eſt, diſtringat. Non effundendæ gratiæ metu, non irritandæ multitudinis periculo, non odiis potentum, non cruciamentis ſuppliciorum terretur, quo minus delinquentium improbitatem arguat.

Non illum Civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida:
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ.

Illi vigilantiſſimi de cælo legati, Reges Principeſque regno fretos, quam fragili loco ſtarent ſuperbi, multis exemplis quotidie docent. Illi Magiſtratus languidâ regnare monent manu, non ut ab omnibus metuantur, ſed ut diligantur; non ut ferro tantum tuti ſed ſe populo credunt. Illi avaros & ſplendidi luti colore inſanos, ſanare conantur avaritiam nullis expleri Arabum gazis, nullis Midæ theſauris poſſe ſatiari prædicunt.

Quo-

Quoties non gravi voce in ſaculi ſui vitia, in immodicam honorum ambitionem detonant! In diſcinctæ & perditæ vitæ mortales invehuntur: queruntur, quod collecta vitia per tot ætates diu in nos redundent; queruntur, quod ſcelera, ut herba irrigua, fœcundiſſime ſuccreſcant. Errores in Religionem illapſos Cenſoriâ notatione perſtringunt, hæreſes pullulantes ſcripturæ documentis reſcindunt, ſectarios ab Eccleſiæ communione removent, ne neglectus Dieſpiter, incæſtis addat integros; ne grex totus in agris unius ſcabie cadat. Nunc gravibus legum divinarum minis peccatores terrere, & ab inceptâ vitæ turpitudine deducere, conantur. pœnas,

quæ Tantali vincunt ſitim
Dirum laborem Syſiphi, Tytiique alitem,
Ixioniſque membra rapientem rotam,

Malorum facinorum mercedem, commemorant, ita ut,

Rubeat auditor, cui frigida mens eſt
Criminibus, tacitâ ſudent præcordia culpâ.

Nunc vero ſaluberrima vivendi præcepta fundunt, debiles confirmant, deficientes erigunt. Aſſidua hæc eorum vox eſt:

Quis eluet nos Tanais aut quæ barbaris
Mæotis undis Pontico incumbens mari?
Non ipſe toto magnus Oceano Pater
Noſtra expiabit ſcelera.

Monſtrant ignaris dextro ſurgentem limite callem, non per Apenninum Grajumve montem, nec per deſerta Candaviæ, nec Syrtes, nec Scylla aut Charybdis adeundæ ſunt, ſed quam inſiſtere viam aliis ſuadent, illam primi ſuis veſtigiis deſignant, non magis ore & more hortatores, quam opere virtutis cultores.

Prô Di immortales; quanta vaſtitas, quanta in mundo exoriretur barbaries, ſi illuminantes pectora noſtra faces, divini iſti Vates non præferrent.

ferrent; ſi illi Deorum miniſtri homines, rapinis, mendaciis, veluti præclaris artibus gaudentes, ad virtutem non adducerent; Si ducentia nobis fila non darent, in difficili hujus mundi Labyrintho hæreremus. Omnes à Deo Opt. Max. ad pulcerrimum, ad ſanctiſſimum vivendi genus deſtinati ſumus. Quiſque ſibi ſcopum præfixum habet; militamus ad divini numinis gloriam ſub vexillis ſacræ militiæ. In promovendâ hac Dei gloriâ, ſacri apices, & flamines illi divini, omni induſtriâ incumbunt, qui cæleſti nectare & Ambroſiâ ſaturati, longe lateque, magnæ majeſtatis imaginem præ ſe ferunt.

Ad hoc Ego illuſtre ſtudium, toto animo, omnique cogitatione impellor, in hoc rerum immortalium patenti campo currus meos flectere, unicum mihi deſiderium. Ad hæc ſacra Dei atria me per Mecænatum favorem iturum ſpero. Spero me huic penſo puras atque celeres manus admoturum; vobiſque, Mecænates optimi, ingentem gratiam fructuſque redditurum. *Tu, O clementiſſime Deus, Tu, qui fons atque origo es omnis ſapientiæ, ad Te confugio. Tu mihi unica ſalutis ancora, promove feliciter conatus meos, mentem meam ab omni malitia, ab omni pravitate nunc libera, cerebrum, non helleboro, non veratro, ſed Spiritu Sancto nunc purga! Da alme Deus ad hoc vires firmas, da animum purum, ut poſſim ſanctiſſimi hujus ſtudii penſa fideliter ac feliciter pertexere.*

DIXI.

ORATIO XXIV.

De

Difficultate ſtudiorum, & Laude juris prudentiæ.

Habita à

CORNELIO NEOSTADIO

Alcm. Batt.

NEminem veſtrum A. O. ignorare arbitror, quod magni ſit momenti, labore & induſtriâ illuſtrem nominis ſibi famam comparare. Quo non ſaturati ventres, non aurum, nec Attali ipſius opes perducunt, verùm nocturnæ vigiliæ ac lucubrationibus concatenatus labor. Per medios Syrtos & inextricabiles illos labyrinthos perrumpendum eſt, ut ad Sacra Minervæ delubra & pulcherrimum Apollinis illud atrium intromittamur. Cum avibus, inquam, Stymphalicis & Anteo luctandum eſt, ut duriſſimum Palladis iſthmum perfodiamus. Nemo enim unquam ignaviâ ſua immortalis eſt factus: nec tyrio in oſtro aut purpura Regum illa ſcientia habitat, ſed aſſiduo labore parta ad ſummæ dignitatis faſtigium Poſſeſſorem ſuum extollit. Immane Siſyphi Saxum volvere nobis incumbit.

Nec quiſquam fruitur veris odoribus,
Hyblæos latebris nec ſpoliat favos
Si fronti caveat, ſi timeat tubos.

Graves equidem Herculis ærumnæ humeris noſtris ſuſcipiendæ, & Symplegades laborum miſeros litterarum alumnos obruunt. Non violis & roſis ſtratum iter ad ſacrum Helicona. Ixionis illa rota jugi opera volvenda, ſi illuſtri per doctrinam fama inclareſcere deſideremus. Quod meo ego exem-

exemplo ipſus quotidie experior, qui à teneris unguiculis ſacris muſarum lucubrationibus me totum tradidi. Quoties per obſtantes voluptatum catervas, per tot ſaxa & ſcopulos perrupi. Quoties attonitus rerum difficultate ad extremum puteum res acta! Sed nunquam fidiſſimè Parentum ſpem in me collocatam fruſtrari conatus ſum. Semper ſumma ope in id juxta incubui, ut Patriæ Patrique honori exiſterem. Eſt enim magna Parentum noſtrorum æquitas, magna certe animi patientia, quâ in liberis ſuis famæ virtutiſque maturitatem exſpectant. Qui à teneris annis donec ceſſit purpura, bulla dudum laribus Succinctis donata pependit, magnificos ſtudiis impendunt ſumptus.

At nunc multò majores me agitant curæ & cogitationes. Hactenus quaſi folia in nos ceciderunt, nunc ipſæ arbores in nos ruent. Nuper circa oras & limina Minervæ obhæſimus, nunc in altum Oceanum ſecundis ventis abripimur. Nimiùm tuti timidique procellæ humi tantum ſerpſimus, jam ad ardua quæque enitendum. Majori jam cura diligentiâque opus eſt, quâ ſtudiorum difficultatem, indagandæ veritatis moleſtiam, acquirendæ ſcientiæ ſollicitudinem vincere ac profligare poterimus. Poſtquam è Phœbi umbraculis nos promovimus, jam in aliud amphitheatrum, nos immittimus. Jam verè pulverem illum Olympicum juvat colligere, jam meta fervidis rotis evitanda, nobileſque palmæ nos in ſublime locabunt. Mox rudibus batuimus, nunc armis decretoriis res agenda. Nunc mactis animis magniſque ſudoribus cum Perſeo Andromedam complecti fas erit, & illigatam triformi Chimæra Minervam juris, ſpero, noſtri faciemus.

Ecce in bicipitis Parnaſſi vertice proſtat divina Commilitiones, Penelope. Ingentes puto honores, tituli illuſtres, æternum decus, fama poſt

fata ſuperſtes. Huc omnis cura, omnis redeat induſtria, nec ullum ſtudiorum tempus ſegniter è manu noſtra dimittamus. Omnes advocemus vires & artes: nihil autem animi virtus in percipiendâ exercendâque virtute valet, ſi non induſtriâ exſplendeſcat, & ex ſitu tenebriſque ignaviæ protrahatur. Prudentia in imo Democriti puteo eſt poſita. Demoſthenes in ſubterraneis terræ cavernis ſedulo agitabat. Diogenes Antiſthenem perpetuo aſſecutus, ab ejus diſciplina nullo modo removeri potuit. Nos etiam ad Olympicas profecturi colluctationes, longi itineris moleſtiam ac difficultatem ſuperemus. Nullus nobis unquam dies per otium exeat, partem noctium Mucis vindicemus, oculoſque vigiliâ fatigatos ſemper in opere detineamus. Omnia enim Dii labore vendunt. Labor terram proferendis frugibus excolit, rivulos bibulâ ærena diducit, lolium & ſterilem avenam eradicat, ſata læta & flavam Cererem producit. Labor efferatas immanitate beſtias domat, naturæ indolem emendat, natale ſoli ingenium ingenium in peregrinæ ſobolis partum excitat. Labore Pyrenæum tranſilimus, damnatas perpetuis nivibus Alpes calcamus, ſcopulos diducimus, montes perfringimus.

Sed quiſque veſtrum, Commilitones, ex animo parem ſibi ſuoque ingenio artem parit, ego vero in divinos Themidis complexus me dabo: quæ longè omnium diſciplinarum eſt Domina ac Regina. Quæ prudentiæ ſola mater, Civitatum moderatrix, legum Magiſtra, Regnorum adminiſtra fons omnis veritatis. Quis non ſi ab interiore receſſu literariam hanc voluptatem ſecum perpendat; Si divinas bonarum artium dotes ac delicias medullitùs examinet, ſummâ cum alacritate properoque gradu ad ardua Parnaſſi juga contendet? Sicut enim inter metalla omnia aurum rutilo fulgore emicat, ita tanquam ſidera luci-

diſſima,

diſſima, inter alias libero homine dignas artes, enitet divina juſtitia, Illa Iovis & Minervæ filia cœlo deſcendit, ut communem humani generis ſocietatem moderaretur. Quam qui tollunt etiam adverſus Deos impii judicandi ſunt. Quis neſcit ſcelera & flagitia per eam removeri, maria, terras frequentari, ſecuritatem ubique & tranquillitatem regnare? Illa Regnis & civitatibus ac univerſo generi mortalium decus & honorem conciliat. Non illuſtres cum Equitibus Romanis viros annulo aureo donatos comparo; etiam nobilitatis clauſtra affringere canor; cum plurimi juris periti attentiore curâ præſtantiore facundiâ & felici maſculoque ſtylo aſſeruerunt. Nobilem eſſe, quem Acad. doctoris inſignibus ornârit. Quid enim prodeſt *longo*

Sanguine cenſeri pictoſque oſtendere vultus
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis tabulâ jactare capaci
Corvinum, & poſt hac multâ diducere virgâ
Fumoſos Equitum cum Dictatore Magiſtros,
Si coram lepidis male vivitur?

Qui ſua nobilitate & equeſtri dignitate civili ſtudio dediti, leges, quibus Reſp. quibus univerſa ſocietas humana continetur, ingenio ſuo complectuntur. Non vero ſuſtinent tanti nominis dignitatem Rabulæ forenſes, qui in fas nefaſque verba locant, ſordentium Incolæ cauponarum; verum excellentes cauſarum Patroni, qui glorioſæ vocis confiſi munumine laborantium ſpem, vitam ac Poſteros defendunt. Teſtantur id imperii promulgatæ conſtitutiones, quibus vetatur, nobiles veſtes auro margaritiſve intextas geſtare niſi idem equeſtri militiâ, aut doctorum inſignibus ſint ornati. Vos igitur, *illuſtres Anteſignani eruditæ æquitatis*, qui dignitatis annullo, majeſtatis togâ, libertatis pileo donati, qui neminem niſi ſapientiæ ſtudioſos adornat; qui corpore remoti mente

cœlos adeunt, ac ſicut pileus verticem, ita ipſi naturam ingenio ambiunt, terris imperate. Quis non equo publico dignos judicet, quorum ſcientiâ totus illuminatur orbis & ad obediendum Deo atque Principi vita ſubditorum informatur?

Salve, veneranda Themis, Pacis bellique arbitra Salve, quæ ex Sella tua Cuculi orbi terrarum tua placita pronuncias quæ per univerſum Reip. corpus vitalem quaſi ſpiritum diffundis. Quæ diſpari genere, diſſimili linguâ, moribus & ingenio diſcordes, leniter ſub commune obedientiæ jugum redigis, nequicquam frendentibus & ringentibus improbiſſimis Mortalium, qui objectos ſuo furori clathros côntinenter arrodunt, frænumque remordent.

Juſtitia ambigua dirimit cauſarum fata, ſuisque defenſionis enixa viribus, in rebus pub. ac privatis lapſa erigit, fatigata reponit. Juſtitia benefactis honores & prœmia, malefactis ignominiam & ſupplicia proponens, ſtudia bonorum excitat, malorum improbitatem coercet. Juſtitia, inquam, Imperia confirmat, adfinitates jungit, in foro, in curiâ, inter privatos parietes, fulgorem & dignitatem ſuam extendit. Illa dum viget, vivet probitas. Hæc rerum mortalium & divinarum moderatrix æquum ſuum ac juſtum cuique tribuit, omniaque proſpera, pro ut merita, omnibus largitur. Dum Roma Viris & virtute ſtetit ſummo in honore fuit, & Civitatis Principes Rerumque Dominos ad egregia quæque facinora & ipſa extulit ſidera. At poſtquam ima ſummis mutavit & inſignem attenuavit Deus, poſtquam apicem rapax fortuna cum ſtridore acuto ſuſtulit, & injurioſo pede ſtantem Quiritium columnam proruit, à Patriciis ad plebem, à plebe ad Blattas Cimiceſque commigravit. Hæc Togatos ſui Sacerdotes, qui in conſilio habent legem, religionem, æquitatem, fidem, utique omnibus in rebus

bus conſcientiam ſuam tanquam mille teſtes reverentur, longè ſupra humana erigit. Illa illuſtres liberalium artium fautores in altiſſimum gloriæ ac majeſtatis culmen perducit. Illa viros de Rep. benemeritos egregiâ fide, gravitate, ſanctitate eminentes, ad Patriæ gubernaculum promovet.

Exploratum igitur eſt nobis, quod nec domus nec Reſp. ſtare poſſit, ſi in eâ nec recte factis præmia exſtent ulla, nec peccatis ſupplicia.

Illa eheu! ad ſuperos recedente, non hominum inter ſe ſocietas non ipſa denique univerſitas rerum conſiſtere ac tueri ſe punctum temporis poſſet: Protinus neglecta terras & mores feros, hominum cruentâ cæde pollutas manus fugeret Aſtræa virgo. Statim cupido belli creſceret atque auri fames, Collecta per tot ætates vitia in nos redundarent, & ſæculo premeremur gravi, quo ſcelera regnant. Ut corpora noſtra ſine mente: Sic civitas ſine lege ſuis partibus, ut nervis & membris uti non poteſt: Dum Juſtitia cœlo miſſas cum ſanctâ fide terras regit mitis, quies & alta pax Mortalibus. Cunctis pervium iter, & communis uſus rerum omnium. Tunc tellus fæcundos Ruricolæ pandit Sinus, & premimus ſubjectos jugo tauros feroces. At ſublatis è conſpectu noſtro pub. judiciis, quis non aliorum fortunas invadet?

—— Non hoſpes ab hoſpite tutus
Non ſocer à genero.

Quis non furem caulibus timeret, quis aperto horto viveret? Alienum lectum concutere atque ſacri fulcri genium contemnere ſolennis foret conſuetudo. Sævior armis luxuria terris incumberet, victumque orbem ulciſceretur.

Ubi non eſt pudor
Nec cura juris, ſanctitas, pietas, fides
Inſtabile regnum eſt.

Quantum vobis igitur, *Venerandi cauſarum Patroni*, qui juris & legum conſulti advocatam reis operam in judicio præſtatis, decus, quanta gloria debetur? Vobis merito, qui ſplendido magnifici titulo, Reſpubl. atque univerſa Civium incolumitas in manus detur. Vobis, qui juris nodos & legum ænigmata ſolvitis, primus in omni Regno honos tribuitur. Veſtræ ædes, templa ac tripodes ſunt ſapientiæ, unde tanquam oracula ex ore Apollinis depromere licet. Veſtræ dignitati faſces ac ſecures jure ſubjiciuntur.

Quare merito & ego ad hoc illuſtre togæ ſtudium omnibus ingenii nervis ſemper contendam, vineas pluteoſque in id adhibebo, ut divinæ hæc ſcientiæ laurus noſtra aliquando tempora ac imagines exornet. Vt confecto ſtudiorum curriculo in tuam, ô Diva Themis, tutelam me totum recipiam. Nec dubito vel quicquam, ò magne Deus, de tuâ erga me benignitate. Qui per ardua quæque ad illuſtre vertutis ſolium me manu tuâ duces. Promitto operam & induſtriam Patriæ Patrique. Nec huic loco & præceptoribus meis unquam ero degener. Vobis, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi Viri*, gratiæ à nobis quoque debentur ſempiternæ, pro collocatis in nos innueris beneficiis. Faxitque Deus Opt. Max. ut diu perpetuoque illuſtri huic Gymnaſio bene ſit. Vt inclyta Alcmaria, & in illâ Vos, *Viri Nobiliſſimi, Ampliſſimi* æternum vivatis, valeatis, floreatis.

DIXI.

Hæ duæ antecedentes habitæ Alcmariæ
cIↄ. Iↄc. LV. *Examine Vernali.*

ORATIO

ORATIO XXV.

De Commendatione Doctrinæ.

JACOBUS ab OUDESTEIN, Alcmar. Batt.

Nobiliſſ. Ampliſſ. DD. Auditores.

QUoquò oculos meos per rerũ humanarum ſeriem toties diffundo, atque hoc ipſum, in quo vivimus univerſum per ſingulas ſuas partes exacte contemplor: nihil profectò me magis in ſui amorem ac deſiderium trahit, quam incredibilis doctrinarum ſplendor,& eruditiſſimorum hominum ampliſſima gloria, quâ illi in omne ævum, tanquam faces & ſidera per terrarum orbem inclareſcunt, & æternam ſui nominis memoriam cum ipſis lunæ ſoliſque ſpatiis definiunt. Hoc, inquam, liberalium ſtudiorum perenne ornamentum tam firmas in animo meo radices egit, ut penè nihil famâ laudeque dignum exiſtimem, quàm ingenium bonis artibus perpolitum, ad decus & gloriam in Palladis illo pulvere egregiè inſtitutum. Cum quâ Muſarum celſitudine ac claritate nihil quicquam de cæteris conferre auſim, quod vel minimo incommodo literarum præſtantiam afficere,vel de ſua dignitate deturbare poſſit. Quæ in tantum honoris ſapientiæque faſtigium aſcendit, ut nulla aut temporum injuria, aut vetuſtatis oblivio quicquam de illius decoro delibare queat. Verum quidem eſt, quod inclyti bellorum Duces, multo ſanguine adſperſi, multis vulneribus ac cicatricibus deformati, toties ſecundo Marte ac illuſtribus trophæis inſignes, magnam ſibi fortitudinis admirationem apud poſteros conciliarint. Sed ſi illos ego Merionas Pelidaſque to-

ties in prælio atque acie ſordidos cum ſupercilioſo *Catone*, cum *Platone*, literarum illis Anteſignanis, conferam, certè cum *Tullio Cicerone* vetus de ſtudiorum Patronis teſtimonium refricare nunc licet:

Cedant arma Togæ, concedat laurea linguæ.

Quemadmodum ancipites præliorum eventus non noſtrâ, ſtudioſi Adoleſcentes, gloria permutamus: Sic & vos, tantarum opum divitiarumque potentes Helluones, cum omnibus illis malorum irritamentis, pecuniis, magno ſpiritu faſtidimus. Res brevi ſpatio perituras, temporum tantum ſpolia, quanta cum cura, miſelli, circumfertis! nullo Prudentiæ muniti Pharmaco: quo adverſus rerum turbam Fortunam opeſque veſtras tueamini. Animus, rerum magnarum ſolus capax, omnia ſua bona in Sapientiæ contemplatione ac Rationis divinæ fruitione reponit. nulla unquam periculorum magnitudine deterritus, nulla aſperitate rerum defatigatus. Adverſus cuncta prudentiæ ſuæ oculo vir doctus præmunitus, in ſe uno omnes ſuas opes, gloriam, decus poſita agnoſcit, & omnia ſua ſecum portat. Magno animo res fortuitas deſpicere, verum ex æquo dicere ac ſentire, in ſecundis rebus non frangi deliciis, in adverſis fortunam ſuam ferre patique, una philoſophorum ab omni ævo Virtus & Conſtantia.

Quæ ſolida Doctiſſimorum Hominum Præſtantia N.N. A.A. illo me impulit, ut hoc tempore de Eruditionis commendatione orationem inſtituerem. Quod cum alieno Marte & Auſpiciis in meos nunc humeros ſuſcipio: vos etiam, atque etiam oro rogoque N.N.V.V. quorum & nomina laudeſque hoc argumento bene audiunt, ſingularem mihi aurium veſtrarum operam copiamque ne denegetis.

A quo Tempore primum ſacris Muſarum ſtudiis me devovi, longe excellentiſſimam de Doctrina opinio-

opinionem animo meo indui. Adeo ut nihil prius, nihil poſterius in mei laboris partem otiumque admittere decreverim, quam familiaritatem egregie literatorum hominum. Quâ non potior mihi cauſa videtur ad nominis æternitatem comparandam, cæteraſque virtutes omnes uno quaſi faſciculo conglutinandas. Nam quiſquis ſemel literarum illos campos felici ſaltu ingreſſus, mox jucunda quadam metamorphoſi in alium quaſi hominem demigrat, aliud ingenium, alios ſibi mores fingit. Et jam plena in luce poſitum, quid non nativæ labis ſordiumque circumferat homo rudis incultuſque, poſtquam inſtitutionis illa fabrica deformes animi nævos depoſuit. Quamdiu mentes noſtræ in mera caligine verſantur nullaque rerum notitia imbuti ſumus, quid multum à brutis animantibus differre nos putemus? Vitam Natura parens communem dedit, & circa rerum intellectum inertes fuci occupamur; ſi non recta ratio & educatio acceſſerit, quæ ingenitum animis veternum excutiat, omnemque ingeniorum hebetudinem præſentaneis doctrinæ remediis expurgat. Non aliter, quàm Luminum ille Pater, Sol; qui denſas ſpiſſaſque noctium tenebras ſui ſideris lætiſſimo exortu fugat ac diſpellit. Quod ex animo condolere me facit de præpoſterâ apud vulgus opinione: quod tam parvo in pretio reponit Doctorum pretioſas vigilias ac ſudores. Cui ſua ruditas ac ineptitudo multò eſt jucundior, quam aliquod diviniſſimi Socratis ſapientiſſimum Oraculum. In quo hominum genere hoc potiſſimum obtinet, ut literas, inveteratâ mali conſuetudine, aut oderint, aut illas ſuis liberis tanquam hydra aliqua aut peſtilentia nefariè interdicant. Ex quo perverſitatis dementiæque fonte non mediocris in Remp. redundat contumelia: quando talium portentorum auſpiciis imperia retinentur, quando Civium ſalus inter fucorum in-

doctas manus ſummo cum diſcrimine periclitatur. Quid eſt, improbi impudentiſſimique homines, quod Doctrinæ Majeſtatem, ad cujus nitorem caligare animos veſtros oportet, tam multum infra ſuum decus & merita ponderatis? Cur divinarum mentium curas & cogitationes à Roſtris & Subſelliis removetis? illud inclytum Doctrinæ nomen, ſicut ſiniſtrum quoddam omen & nigrum alienum canem à veſtro contubernio Filiorumque educatione coërcetis? Merito de vobis Sapiens Seneca queratur, *quod tum demum conſummata eſt infelicitas, ubi turpia non ſolum delectant, ſed etiam placent, & deſinat remedio eſſe locus, ubi quæ fuerunt vitia, mores ſunt.*

Multo, profectò, melius res mortalium ſe haberent, ſi animos veſtros eruditione excoleretis, ſi ingenitas à natura maculas utili doctrinæ argumento elueretis, ſi rem omnium præſtantiſſimam pretioſiſſimamque, Bonas-Artes, omnibus ingenii viribus contra barbariem invidiamque defenderetis; Vnum, amabo, Philoſophiæ in rebus humanis ſtabilimentum ponite vobis ante oculos; mox uno adſpectu videbitis, quam illa multa ſecum ferat commoda, immane quantum, emolumenti! a) *Nunquam in tantum convaleſcet nequitia, nunquam ſic contra virtutes conjurabitur, ut non Philoſophia nomen venerabile & ſacrum maneat.* Neq; eſt Philoſophia popularе artificium, nec oſtentationi paratum. b) *Animum illa format & fabricat; vitam diſponit, actiones regit, agenda & omittenda demonſtrat, ſedet ad gubernaculum, & per ancipitia fluctuantium dirigit curſum: ſine hac nemo ſecurus.* Philoſophia adhortabitur, ut Deo libenter pareamus, ut Fortunæ contumaciter reſiſtamus, ut Deum ſequamur conſtanter, caſum feramus fortiter. c) *Neſcis, Sapientis quis ſit animus? qualis mundi ſtatus ſuper lunam: ſemper illic ſerenum eſt. Sapiens ſi in Phala-*

a) *Seneca.* b) *Seneca.* c) *Idem.*

Phalaridis tauro peruratur ; infracto animo exclamabit : dulce eſt, & ad me non pertinet. Hoc animi zelo præditus *Diogenes Cynicus* . Macedonum donis expugnari non potuit, *Plato* tanto in Philoſophiam amore propendit,ut præ illa Dionyſii Regis convictum & ſocietatem contemneret. *Senocrates*, ut Alexandri & Antipatri,*Demetricus Cynicus* Cæſaris , *Apollonius* Veſpaſiani largitiones rejiceret. Et *Cato* , eodem quo repulſus eſt, die, in comitio. pila luſit;Ignem *Mucius*,exilium *Rutilius* forti animo tulit. *Sapiens ad utroſque caſus aptus eſt , bonorum rector, & malorum victor.* Igitur cum Comico,merito exclamem *ὁ σοφὸς ἐν αὑτῷ περιφέρει τὴν οὐσίαν, καὶ ἔστι σοφίας κτῆμα τιμιώτερον.*

Viden' quàm nitida, quam digna libero homine bonarum Artium cognitio,quàm longe ſupra Fortunam lubricamque rerum ſortem emineat doctrina ? quam nihil in aliquo vitæ genere merito excellat , ſi non ab ingenio & eruditione pretium virtutemque ſortiatur; Quare communi mortalium conſenſu hoc unum, præ cæteris, ſumma ope induſtriaque elaborandum , ut in id Condiſcipuli noſtri dies noctesque incumbant , ne otio deſidiaque corrupti , à teneris annis literarum ſibi faſtidium concipiant. Præmiis prætiiſque incitanda excitandaque nobilis juventus, ut facilem virentemque ætatis ſuæ florem in beato Minervæ ſinu deponat. Quæ ubi firmas & frugiferas Sapientiæ radices ſemel in illo animi ſolo egerit , plurimam Reip. operam impendet;cæterorumque vitiorum pullitiem ſuo eloquio Doctrinæque præſidiis,hoſtilibus quaſi armis, proſequitur.

Literarum præſtantia, H. A. quam ſuæ dignitatis nobilem apud omnes ævi Principes ſortita ſit familiam ? infinitis voluminibus Hiſtoria ad poſteros tranſcripſit. a) *Zeno & Chryſippus majora egerunt, quam ſi exercitus duxiſſent. Alexander Macedo* non minus

a) *Seneca.*

minus Magni Cognomen literis quàm armis debet. *Duæ*, inquit *Cicero*, *res ſunt*, *quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo dignitatis gradu, una Imperatoris, altera oratoris boni.* Quod non minus eleganter Justinianus: *Qui Imperatoriam ait Majeſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus oportet eſſe armatam, ut utrumque tempus & bellorum & pacis recte poſſit gubernari.* Nihil nunc dicam de *Demoſthene*, de *Themiſtocle*, de *Thucydide*, qui Græciam ſolo doctrinæ moderamine toties in ſe mentem, tutiſſimis ſemper conſiliis gubernarunt. Taceo de *Scipione* Afr. de *Pompejo, Lentulo, Metello*: qui nunquam tantą laudum deprædicatione digni fuiſſent, ſi non ingenii, quàm corporis magis contentione orbi terrarum innotuiſſent. Prætereo omnes Philoſophorum Scholas, ubi *Platonem, Socratem, Diogenem* animi oculis coram intueri licet; ubi cum *Cleanthe*, cum *Carneade*, cum *Democrate*, de naturæ myſteriis diſſerentibus quotidie converſari; ubi *Ariſtotelem, Ariſtippum, Epictetum* diſertiſſima diſſerentes voce audire. Quorum ille hominem indoctum terræ onus graviſſimum pronunciat; ille doctum ab indocto tantum differre, quantum vivi à mortuis, egregiè judicat. Aliquis, malle ſe doctrina alios antecellere, quàm opibus ac dignitate eminere. Quidam interrogatus, quid in Filium præſtitura Eruditio eſſet, *ut nihil aliud*, inquit, *certe in theatro non ſedeat lapis ſuper lapidem*: O Doctrinæ præſtantiam admirabilem! ô perennem felicitatis ſcaturiginem! ô excellentem divinæ auræ particulam! Quæ ubi ſemel ſuos igniculos in bonâ mente produxit, ſuique hominibus deſiderium in pectore excuſſit, univerſam protinus Remp. ſuæ dignitatis ſplendore irradiat. Igitur præclarè olim Plinius: *ut Laurus tota viret perpetuo: ita doctrinæ fama non ſeneſcit, neque marceſcit. Et ut gemma, minutula quadam res, ſed ingentibus ſaxis anteponitur: ſic homo, etſi puſillus, ingenii magnitudine ſatis illuſtrem*

ſe fa-

ſe facit. a)Huc ſi omnes ego Comicorum ſententias, & de literarum dignitate teſtimonia referre cupiam, vereor, ne veſtra H.A. audiendi patientiâ abuti nunc videar. Quorum alii Doctrinam pulcherrimam rerum poſſeſſionem appellarunt; alii, ἀναφαίρετον κλῆμ' ἐστὶ παιδεία βροτοῖς, dixerunt nonnulli βακτηρία γὰρ ἐστὶ παιδεία βίου, exclamarunt. Aliqui artifice dicendi Penecillo vivam doctrinæ imaginem delineantes, Διπλοῦν ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα, ſcripſerunt. Pudeat, vos impudentiſſimi Literarum oſores *Lycinii*. Teque *Caligula* & *Caracalla*, quod tam brutis præpoſteriſque ingeniis præditi, ut nullam Rei literariæ utilitatem pretiumque adſcripſeritis, quod doctorum virorum lucubrationes ita ferro flammaque proſequuti eſtis, ut ne veſtigium memoriamque literarum exſtare volueritis. Quarum tamen longe maximam utilitatem attentius paulò apud animos veſtros revolventes, non ſanè tam barbarâ unquam crudelitate ac tyrannide divina Palladis ſtudia ſuo loco & honore deturbaſſetis. Nihil enim, cum mortalium ornamento, tum hominum conſervandæ ſocietati melius præſtantiuſque à Deo eſt datum, quam præclara ſapientiæ ſtudia. Quæ ad inſtar gubernaculi, quo in vaſto mari fluctibuſque hærentem inter ſcopulos carinam recto tamen curſu moderatur; Literarum, inquam, ſtudia procelloſam Reip. navem, tot tantiſque bellorum civilium tempeſtatibus jactatam, inſperatæ ſalutis ſtationem deducunt. Quis non, ſublatâ de medio Eruditione, Publicorum Munerum orbitatem, miſeriaſq; extimeſceret? Quis non legum violationem, Judiciorum corruptionem, Improbitatis meſſem multo maximam reformidaret? Omnia in antiquum chaos itura, ſi candidæ Muſarum fores ſemel occluſæ, nemini ad ſapientiæ ſacrariæ aditum recludant: Domi, foriſque cuncta brevi in nihilum reci-

a) *Seneca*.

recidere oportet, quando præcipuam Regnorum ſalutem, Literas, pro vili abjectoque æſtimamus. Quis templa fidemque fidâ manu aſſerere queat, priſca Vandalorum ignorantia è tenebris ad lucem revocata? Quis Curules honores cum dignitate gerere; Magiſtratum feliciter ſuſcipere ac deponere; divina & humana jura in tribunalibus exercere, ſi non divina Doctrinarum lampade cuncta inclareſcerent? Vis illuſtrem in Curia Perſonam ſuſtinere, Paludamento purpurave nomen tuum nobilitare; Faſces inſigniaque Imperii humeris tuis imponere? Age liberalium artium ſcientiam ſtudioſo animo complectere. Vis religioſum in ſacris munus obire, populumque divinis myſteriis imbuere? Nihil unquam Sacrorum cura dignum præſtabis, ſi non bonarum Artium armatus præſidio, audientium animos ſuaviloqua oratione delinire poſſis. Vis præclaro officio bellorum paciſque tempore defungi, Legationes variarum nationum expedire, coortas in populo ſeditiones ſedare, peregrinas gentes in nova fœdera allicere, terra marique illuſtrem nomine tuo gloriam parare? Omnia doctrinarum adminiculo ſalubriter præſtare poteſt, a) *magnam cui mentem animumque Delius inſpirat vates.* Quare, Commilitones jucundiſſimi, hoc ſerio operam ſtudiumque mecum intendite, ut ſtudia liberalia induſtriis animis perbibamus, *non illa quibus perfundi ſatis eſt, ſed hæc, quibus tingendus eſt animus. Vnus enim dies*, Adoleſcentes, *hominum eruditorum plus patet, quàm imperiti longiſſima ætas.* Quod Populum Romanum, quod Græciam univerſam tanta in laude poſitam admiramini; ſola efficit Doctrina. Quod Reges Principeſque cœlo & ſideribus conſecratos legitis, uni debetur ſapientiæ. Quod Philoſophi animus cætera omnia facillime contemnat, alienum nihil deſideret, ſuaque tantum ſorte contentus fiat, ſuo ſibi beneficio acce-

a) *Seneca.*

ptum refert Eruditio a) *Eruditio indomitas animi libidines rationis imperio coërcet, iram moderatur, amorem refrænat, invidiam, odium, metum ad modeſtiæ præſcriptionem revocat. Eruditio virtuti rudimenta atque incunabula præſtat; quibus innutrita grandeſcit, & ad ſummam dignitatis amplitudinem conſurgit.*

Ingenuas didiciſſe fideliter artes
Emollit mores, nec ſinit eſſe feros. Ovid.

Erigite animum oculoſque, Chariſſimi Commilitones, & quem videtis in propinquo Heliconem, illo mactis ſudoribus contendite. Otium & ignaviam, quæ nunquam emergere inclytam mentem ad altiora patiuntur, fortes reſecate. b) *Non rejicit quemquam Philoſophia, non eligit. Patritius Socrates non fuit. Cleanthes aquam traxit, & rigando hortulo locavit manus. Platonem non accepit nobilem Philoſophia, ſed fecit. Diogenem & Chryſippum* imitemini, qui ingenia doctrinarum ſacris exculta pro ſummo bono æſtimarunt. Cum *Demoſthene* in ſubterraneas terræ latebras ſecedite, ut internis animi ſenſibus tanto alacrius perfruamini. Cum *Pompejo* Philoſophorum januis, diſcendi gratia, adſtare, non erubeſcite. Cùm *Alexandro Magno* doctorum virorum imagines in larario vobiſcum circumferte, & cervicali ſupponite. Cum *Seneca*, *nullus vobis dies per otium exeat, partem noctium ſtudiis vendicate, non ſomno vacate, ſed tantum ſuccumbite, & oculos vigilia fatigatos cadenteſque in opere detinete.* Ita erit, ut in illuſtri dignitatis ſolio conſtituti, nobiliſſimam apud omnes Mundi populos famam decuſque conſequemini.

DIXI.

ORATIO

a) *Theat. ingenii Hum. Parent. mei.* b) *Seneca.*

ORATIO XXVI.

De Commendatione Studii Militaris.

J. NICOLAUS MALAPERT.
Nob. Vltraject.

DOlendum eſt de Humano genere, *Nob. Ampliſſ. DD. Audd.* quod tam pauci in Rep. viri fortes reperiantur, qui præclaram animi indolem, quam illis Parens Natura ſemel ingeneravit, non magis in ipſo opere actuque glorioſè exercent. Qui cum, præ cæteris, & nobiliſſimo loco oriundi, & plurimis Fortunæ bonis adverſus omnem caſum præmuniti, tamen ſuorum natalium ſplendorem, aut turpibus inertibuſque negotiis dehoneſtant, aut ignobili vitæ ſuæ flagitio caliginoſis ſilentiis tenebriſque obſcurant. Quo uno ſecuræ mortalitatis vitio nihil unquam majore dedecore dignum reperiri poteſt. Divino rationis munere nos omnes à Deo affecti ſumus, & ad excelſa omnia pares animos ſpiritumque accepimus, ut nihil præclaris rebus inſtituendis induſtriæque humanæ Dii benigni negarint. Multi, prô pudor! tam dejecto humilique ſunt animo, ut plane omnem ingenii intentionem ſubterfugiant; in corrupto animi otio, quam in aliqua mentis honeſtæ agitatione verſari malint. Plurimi tantâ gulæ corporiſque ſunt ingluvie, ut nihil quam tetricas voluptates, quam unguenta & delicias in ſui ventris veneriſque paſtum deſiderent. Aliqui tam nefario in Remp. odio ſunt propenſi, ut inditos ſibi à natura igniculos plane ſuffocent ac peſſumdent. Nonnulli ſic ſua ambitione ac maligno avaritiæ ſtudio in tranſverſum rapti, ut *Catilinæ* improbitatem, quàm *Catonis* prudentiam; ut *Tarquinii* tyrannidem, quam *Numæ* religionem; ut *Sardanapali* molli-

mollitiem, quàm *Fabricii* temperantiam; ut *Neronis* crudelitatem, quam *Cæſaris* clementiam in vita moribuſque exprimant. Quorum in numero tamen aliquos reperio, qui ſatis utilem Reip. operam ſe navaſſe exiſtimant, ſuiſque ingenii viribus tum ſupra Herculem multa ſingularie conatos, quando aut in cavernis *Demoſthenis*, in puteo *Democriti*, aut deæ *Ægeriæ* receſſu mortuorum ſimulacra ac imagines imitantur. Horum omnium Ego Fortunam vitamque plane ignobilem degeneremque exiſtimo: niſi, quod à Doctrinæ claritate eminentibus aliquem ſui nominis honorem decuſque relinquam. Quorum nuda tantum nomina, & transſcripta in poſteros inanis fama, eſt umbratilis quædam ſapientia, cum tanto vitæ malorumque tædio conjuncta.

Meo, *Nobiliſſimi Domini*, ſuffragio, unum æterni nominis ampliſſimum Theatrum, conſummetæque virtutis plenum faſtigium, una omnibus perfecta numeris Gloria Militaris. Regum Principumque triumphalis illa arena: in quæ priſco ævo Alexandri & Scipiones noſtros ſæculo Belli-coſiſſimi *Naſſoviorum Duces* cum immortali rerum geſtarum gloria feliciſſime decertarunt. Ego igitur hoc loco armatæ Palladis patrocinium ſuſcipio, Et qui foris ſacra mea armis præliiſque tutabor, hic in Gymnaſio linguæ mucronem nunc deſtringam. Quantumque in caſtris & aperto campo generoſus militis animus valeat, ſpero, Oratione mea edocebo. Vos, *Nobiliſſimi Viri, Togatique Iudices*, patiamini benevolis auribus animiſque luculentam de militari gloria commendationem inſtituam, ubi non à ſanguine aut præda vobis periculum: Sed à tuba buccinaque, ac Symphonia illa bellica major ubique naſcetur voluptas. Quæſo, Militaria quoque Signa ac Vexilla ne inter Togæ veſtræ Inſignia deſpiciatis.

Agite, *mei Collegæ* & veſtram quoque Spartam contra

contra Invidiam ac Calumniam, quantum poteſtis, macti defendite, nihilque in pretio ac laude dignum ponite; quàm quod ſemel à teneris animorum penetralibus imbibiſtis. Meis tamen luminibus armorumque illuſtri gloriæ nunquam tenebras umbramque inducetis: Sive doctrinæ admiratio ſic imbelles animos invaſit? ſive inanis Divitiarum pompa tam ſordidam alicui opinionem injecit. Fateor, virorum Doctrina excellentium famam cum ipſa æternitate duraturam, ſolaſque Literas in cauſa fuiſſe magni nominis Regum ac Philoſophorum, & ingentes quoque opes plurimum ad gloriam & amorem conciliandum efficere, multumque ex illo fonte divitiarum profluere, quod meritò hominem in magna luce & authoritate retinere poſſit. Sed, ſi Bellorum præmia ac Trophæa ad illa Artium opumque emolumenta comparantur, parum eſt, profectò, quod rudis ex auro maſſa, argentive inanis lamina, aut illa pallens Doctrinarum Hedera, cum inſigni Bellonæ Laurea de præſtantia contendat. Gradivi Patris imperio, *Geticis qui præſidet arvis*, omnia ſubjacent. Illi utriuſque mundi limites, Ortus & Occaſus, famulantur; illum nationes omnes genteſque terrarum extimeſcunt. Qui ubi vim ſuam ſemel in regna deoſque exercuit, a) *Eheu! quantus equis quantus adeſt viris ſudor! quanta movet funera Dardanæ genti!* Cui nihil tam difficile contrariumque opponi poteſt, quod non ille forti animo manuque debellet; quod non ferro flammaque perrumpat. Bello munitiſſimas præſidio civitates expugnamus; bello firmiſſimas hoſtium copias profligamus, aciemque perrumpimus; bello, imperium, quod dari nequit, facile extorquetur. Si immiſſa publica peſte injuria per orbem graſſatur; aut diverſas gentes impius error in ſe commiſit, protinus bellum indicitur. Si Civium ſeditiones populique tumul-

a) *Horat.*

tumultus in pace oboriantur, à bello auxilium petitus; ſi in religionem: violato ſacrorum cultu, Tyranni conſurgant, arma ad manum ſumuntur: ſine quorum neceſſario remedio non diu ſtare hoc univerſum poſſet, ex tot rerum hominumque monſtris perpetuo conflatum. *Ideo enim bella fortiter adminiſtramus, ut in pace vivamus tutius.* Qua non igitur laude deprædicandi, *Vos ô inclyti Bellorum Duces:* qui toties ancipitem pugnæ fortunam fortiter ac ſtrenuè pro Patriæ ſalute periclitamini, ſanguine vulneribuſque ad libertatem via patefacta. Quibus nihil tam firmum clauſumque obſiſtit, quod non ſpe nobilis victoriæ invaditis; nihil tam arduum præruptumque opponitur, quod non generoſo ingenii impetu ſuperatis; nihil in ſolitudine per tot ſcopulos & ſaxorum præcipitia inacceſſum, quod non ſingulari fortitudine animique robore perrumpitis. Nulla uſquam in extremo orbe littora, ad quæ non ultro maſculi acceditis, claſſemque armata manu deducitis. Nullus, ſive ad orientem, ſive ad occidentem mundi terminus, quem non expedita acie victricibuſq; armis peragratis. Quod domi in tranquilla pace vitam tutam trahimus, quod fortunas noſtras ſine injuria poſſidemus, quod uxores liberoſque blandis oculis intuemur, militum virtuti debetur. Sine quorum fideli in patriam tutela non Fides in templo, non Juſtitia in Foro, non Æquitas in tribunalibus ſarta tectaque ſubſiſteret. Age, arma de manu deponamus, & rem bellicam ſupina negligentia tractemus: nonne tyrannorum ſævitiæ ac furori præda mox erimus? Nonne agrorum vaſtitatem, Provinciarum direptionem, ſacrorum profanationem merito extimeſcemus? Igitur, ut firma noſtrarum rerum cuſtodia domi foriſque retineatur, omnibus & animi corporiſque viribus militarem diſciplinam priſco ſuo nitori reſtituamus. Quid eſt, ô inepti inerteſque Homunciones, quod debitam

bitam Militiæ decoro gloriam palmamque ſubtrahitis? quod tenues caducaſque Fortunas, quod opum tam fragilem materiam tantis Imperatorum triumphis anteponitis? a) *Quid ni quiſquis malit, qui vir eſt, ſomnum ſuum claßico, quàm ſymphonia rumpi?* Scilicet in Muſæorum umbris concatenati ſudores ac vigiliæ, illi Siſypho digni labores aliquid ad bellicæ Majeſtatis Paludamenta Phaleraſque conducunt! Noſter hic Mavors non in lingua ſitus, nec in Subſelliis Roſtriſque dominatur; ſed plenis quadrigis orbis terrarum palæſtram ingreditur. Quò regnorum regiæque dignitatis ampliſſimus patet campus, & unde Aurora primos ignes, depulſa nocte, colligit; illò etiam Gradivi Martis currus & arma, magna undique ſtipante caterva, ſe explicant. Nos à Regum Principumque Conciliis exterarum Nationum Gentiumque imperia tenemus; nos circa Aquilas militares exercituſque inſtruendos aſſiduè in ſtatione occupamur; nos legionem aciemque inſtruere, ordines diſtribuere, Equitum peditumque cohortes in ſuas turmas cuneoſque cogere, non rudi Minerva callemus. Noſtro imperio miles mandata accipit, vigilias ſuas cuſtodit, ſtare ante ſigna, ire in hoſtem, obſiſtere, circumire, diſcurrere in ſuum Cornu alaſque quiſquis jubetur. Dii boni! quantus militiæ apparatus, ſi ſolas aut Alexandri aut Darii copias contemplemur. *Totius orientis excita ſedibus ſuis moles nitet purpura auroque, fulget armis & opulentia: quantam qui oculis non ſubjicere, animis concipere non poſſunt.* Potius miraculum quàm hiſtoria ſiat, quando omnes unius Perſarum Regis inſtructam aciem noſtrâ memoria repetimus. a) *Ignis, quem ipſi ſacrum & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur; Magi proximi patrium carmen canebant. Magos trecenti & ſexaginta quinque Iuvenes ſequebantur puniceis amiculis velati, diebus*

a) *Seneca.* b) *Curtius lib.* 3.

Digitized by Google

bus totius anni pares numero. Currum deinde Iovi ſacratum albentes equi vehebant. Aurea virga & alba veſtes regentes equos adornabant. Sequebatur hac Equitatus duodecem gentium variis armis & moribus. Proximi ibant, quos Perſa immortales vocant, ad decem millia. Qua turba muliebriter propemodum culta, luxu magis, quam decoris armis conſpicua erat. Vtrinq; currus latus Deorum ſimulacra ex auro argentoque expreſſa decorabant: diſtinguebant internitentes gemma jugum. Inter hac Aquilam auream, pinnas extendenti ſimilem ſacraverant. Nihil hoc loco nunc dicam de magnifico, regioque cultu, de Purpurea tunica medio albo intexta, de palla auro diſtincta, de zona muliebri & vagina ex gemma affabrè compoſita, *Currum decem millia haſtatorum ſequebantur, haſtas argento adornatas, ſpicula auro praſixa geſtabant: dextra lavaque regem ducenti ferme nobiliſſimi propinquorum comitabantur*. Multo major pompa ille Darii exercitus ſpectabilis fuit, quàm ut à ſtylo noſtro ullo ſplendore illuſtretur. Nec minus Alexandro Magno regii Exercitus apparatus fuit. *Sed diſpar acies, equis viriſque non auro, non diſcolori veſte, ſed ferro atque are fulgentibus, agmen & ſtare paratum & ſequi*. Romanos vero, rerum Dominos Gentemque Togatam ſi quis militari gloria famæque magnitudine metiatur, quis ille bipedum omnium audaciſſimus, qui meam diminuere dignitatem, vel minima illam adſpergere labecula ſuſtineat? Nullus penè in orbe locus, quem non Romanus exercitus ſub ſuam ditionem redegit. Quod nunquam negabuut tot provinciæ ſub jugum redactæ, tot Civitates ſubverſæ, tot Regiones ferro flammâque devaſtatæ. Teſtatur hoc ipſum Italia, cum Romani ſub teneris imperii initiis contra *Albanos*, *Latinos*, & *Hetruſcos* bellum ſuſciperent; cum adverſus *Sabinos*, *Samnites*, *Tarentinos*, *Campanos* victor populus confligeret. Non ignorat Senatus Quiritium prælia & victorias, *Macedonia*,

nia, Græcia, Syria, ſuo ſemper malo cum Romanis congredientes. Vultis egregia belli munia virtuteſque contemnere? cauſam meam defendet ipſa antiquitas: Cum nihil præſtantius unquam fuit, quàm armorum legumque præſidio civium ſalutem tueri. Quid eſt, quod tanti imperii conditor *Romulus*, hominum numero exemptus, inter Deos relatus? quod primum militari diſciplina, ſuo ſanguine & rapinis regiæ poteſtatis fundamenta ſanciverit. Quid eſt, quod *F. Camillum*, quod *L. Papyrium Curſorem*, quod *Cl. Marcellum* nunquam mortali laude honeſtavit? quod Patriæ libertatem victricibus ſemper armis aſſeruerint. Iacerent in tenebris duo belli fulmina *Scipiones*, Afrorum Teutonum quo victor *Marius*, orbis terrarum triumphator *Pompejus*: Si non excelſa animi magnitudine, divinoque in bellis conſilio Populi majeſtatem feliciter amplificaſſent. Nulla, profecto, Sapientium omnium judicio, animi virtus eſt major, quàm quæ militaribus auſpiciis ſemel initiata, per omnium populorum nationumque ora ſecundo Marte increbuit. Quæ una, inquam, ad poſteritatis memoriam nos æternis nominibus tranſcribit. Igitur merita ſemper laude ad ſidera extollam fortiſſimos belli Heroës: qui ut ſempiterna per orbem fama inclareſcerent, nullum aut vitæ periculum, aut diſcriminis mapnitudinem ſubterfugerunt. Inter quos primo loco *I. Cæſarem*, *Alexand. M.* toties mihi ante oculos propono unum bellicæ virtutis vivum exemplar & imaginem: Qui tot præliorum eventu victor fuit, a) *ut ad conſtituendum ejus imperium Virtus & Fortuna contendiſſe videantur*. Quibus merito accenſendi ſunt fortiſſimi Romanæ Libertatis defenſores; illi inclyti bello Dictatores ac Tribuni *Cincinnati*. *Servilii*, *Poſthumii*, *Æmilii Rutilii*, *Sylla*, *Decii*, *Marii*, *Sempronii*: Et inter Græcos *Achilles*, *Agamemnon*, *Clearchus*,

a) *Florus de Romulo*.

chus, *Callimachus*, *Epaminondas*, *Themiſtocles*; ex Lacedemoniis *Cleomenes*, *Leonidas*; Athenienſibus *Miltiades*; *Cleon*, & *Piſiſtratus*. Quos omnes bellorum memoranda fortitudo nulla poſterorum memoria exſtinguet, nulla ætas de tantâ illuſtrium virorum commendatione tacebit. Neque præterire hoc loco poſſum exercitatiſſimas in bello *Amazonas*, fortiſſimam *Cleopatram*, *Eudochiam*, *Theodoram*, *Semiraminem* atque *Helenam*: quantum virginum in armis pluſquam virilis ſtrenuitas omnium nationum gentiumque admirationem annaliumque fidem ſuperavit. Vna Bellorum generoſa virtus tantas Heroum animas adeo in mortis contemptum ſtimulavit; ut nihil in vita melius præſtantiuſque amplexi unquam fuerint, quam teſtes ſuarum laudem, decora vulnera & cicatrices, quàm triumphales Coronas, Marmora, Statuas, Terminos, & claram apud poſteros bene geſtarum rerum memoriam. Quem hic circa me video, Commilitones, qui inclytam belli Adoream, quam ſua ſibi virtute & ſanguine generoſus animus acquirit, improbam belli rapinam, & adſperſum cruore ſpolium appellet? Teſtes ſunt bellicæ virtutis *illuſtriſſimi Naſſoviorum Duces*, quorum ſub armis clypeiſque Belgica Libertas proxime ad illud regiæ Celſitudinis faſtigium aſſurrexit. Quæ, ut olim Hiſpanorum oppreſſa ſervitute liberum vix ſpiritum ducere potuit, jam ſumpto in manum victrici ferro terra marique imperii limites longe lateque extendit. Cælo digniſſima nomina, illi Patriæ Belgarum ſalutis Atlantes, *VVilhelmi* & *Mauritii*; nulla obliterabit ætas invictiſſimos *Fredericos*, *Henricos*, *Caſimiros*, *Erneſtos*, *Adolphos*, & reliquos ab illa ſtirpe Alexandri & Auguſti æmulos: qui per celebrem armorum bellique tractationem cum ipſa æternitate atque ſæculis ſuæ gentis decora determinarunt. Quorum divina Manu & Marte ſi victor Belga-

rum Populus infeliciter deſtitutus fuiſſet, vah! quàm infelicem, quàm ærumnoſam Remp. teneremus; adeo ad internecionem turpemque mortem redacti, ut de noſtrûm omnium fatali ruinâ atque interitu vix aliqua in literis monumentiſque annalium memoria fideſque extaret. Nunc verò, Laus Deo Optimo Maximo, imperii Belgarum Statori perpetuo, tot ſpoliis opimis victores incedimus, tot victoriis ſub utroque ſole exultamus, ut plures penè triumphos, quàm annorum decurrentium ſpatia orbeſque numeremus. Qui herculè, nunquam à tantâ clade ac tyrannide in hoc, quo tam fortunatè fruimur, Libertatis Atrium pedem poſuiſſemus, ſi non ad arma, tanquam ad ſacræ ſalutis Palladium confugiſſemus. Bello & armis Belgica noſtra decus & ſplendor terrarum exiſtit; Bello Orientem & Occidentem fatigamus; Bactra Thulemque noſtro fœderi finibuſque adjungimus; utroſque Indos, tanquam Rhenum & Iſulam, domeſtica Flumina, noſtris claſſibus cooperimus. Bellum & arma de manu ſi deponimus; ſi infirmis infidiſque cum hoſte induciis temerè ſubſcribimus: Vtinam! non aliquando triumphatorem populum initæ cum tyranno pactionis pœnæ ſcelerumque ſerò pœniteat. Credite, *Potentiſſimi Belgarum proceres*, quamdiu illuſtre *Naſſoviorum* nomen incolume, & *Pallas Auriaca*, armato ſub *Clypeo* victrix incedit, Pacem optimam tutiſſimo in Bello poſſidemus. Ne, amabo, de manibus deponite unicum promovendæ ſalutis Belgicæ Ancile, Bellum & Arma: Tantò ſemper evaſuri potentiores, quanto armis animiſque fortiores cum tyranno in aciem deſcenderitis. a) *Iam Pallas & Ægida Curruſque & rabiem paret.*

Nulla ſalus Paci, Bellum vos poſcimus omnes.

Bellum unicæ meæ deliciæ; Bellum ſacra Honoris Ædes, ubi decus & gloriam maturus exſpecto,

a) *Horat.*

ſpecto, ubi ſub *Auriaco* vivere & mori dulce & decorum erit. Hic Olympicus ille ludus, ubi non inermes curſu aut diſco feriamur, ſed clypeis haſtiſque armati; rem militarem priſcâ cum gloria exercemus

a) Me nam Curriculo pulverem Olympicum
Collegiſſe juvat, metaque fervidis
Evitata rotis, & lituo tuba
Permiſtus Somitus, Bellaque Matribus
Deteſtata.
Sunt, qui nec veteris pocula Maſſici,
Nec partem ſolido demere de die
Spernunt.
Me ſi Naſſoviis vatibus inſeres,
Sublimi feriam ſidera vertice.

DIXI.

ORATIO XXVII.

De *Commendatione Divitiarum.*

THEODORUS ANTONII,

Horno Batt.

VOs, *Præſtantiſſimi DD. Collegæ*, Forum & Arma pro ingenii quiſque viribus egregiè fortiterque defendiſtis. Ego verò, ut ſuum cuique eſt pulchrum, longe aliam animo meo ſententiam propoſui: non in diurnis nocturniſque Lucubrationibus, aut funeſtis Bellorum rapinis; ſed in præclarâ atque excellente Divitiarum fruitione ſummam vitæ meæ delectationem poſiturus. Tunc demum ſupra omnes ævi mortales ſorte mea provectus, quando, in tacito degens otio, ingentes opum theſauros, qui adverſus triſtem paupertatem inopiamque me defendant, ſecurus

a) *Ibid.*

curus poſſideo. Quo vitæ genere nullum, Hercule, præſtantius, nullum melius digniuſque inveniri poteſt. Quod tantâ poſſeſſores ſuos afficit jucunditate, tantiſque gaudiorum obruit acervis, ut cum Diis Superiſque de felicitatis faſtigio contendere videantur. Ideo, meritò beatos vos exiſtimo, ô religioſi pecuniarum æſtimatores: qui omnem ingenii contentionem induſtriamque in acquirendis divitiis ponitis; qui nullam difficultatem, laborem, tædium ſic moleſtum aſperumque habetis, ut non omnem prius lapidem loco moturi, modo ad conſequendum opulentas pecunias cenſumque ſpes aliqua alliciat. Quibus longinqua terrarum itinera, & peregrinationes, quanquam plenæ moleſtiis, plenæ periculis, tantâ tamen gratiâ allubeſcunt, ut nihil quicquam cum illa lucri dulcedine opumque nitore comparari poſſit. Tantò ſanè ſolertiores Philoſophorum tetrica diſciplina: qui ituris ad bonam mentem pecuniis opibuſque interdicunt; illas, tanquam inutiles ſarcinas atque impedimenta, in Oceani profundum demergentes. Qui in ſolo animi cultu tacitoque Muſarum ſinu omne decus, gloriam & opus reponunt; nihil auri argentique pretio, velut prepetui Fortunarum hoſtes, deferentes. Qui ſi regum principumque benevolentiâ melius uti didiciſſent, non ita cum ſuis ærumnis miſeriiſque infeliciter luctarentur. Eſto Philoſophis amabilis hæc inſania: mihi tamen nunquam tam præpoſtera cogitatio opinioque fucum imponet; ſed ſemper ad corradendas æquiſſimò jure, pecunias, quæ vitæ humanæ ſunt nervi totique omne ſtudium operamque navabo. Pecunias, quibus omnis Fortunæ ſecuritas conſtat, æterno amore complectar. Pro Pecuniis opumque dignitate, donec hujus corporis vincula me tenent, non aliter, quàm olim pro Capitolio Romani, vitam animamque periclitabor.

Sed, ut dignam Reginâ Pecunia Perſonam hoc tem-

tempore ſuſtineam, vivis, ſpero, coloribus divitiarum Majeſtatem adumbrabo, ut nihil tutiſſimo vitæ humanæ præſidio ſolatioque Deo Plutoni, denegari unquam poſſit. Vos A.A.H.H. dum de amico placitoque mortalibus argumento ſum dictùrus, quæſo aures mihi veſtras benevolas attentaſque præbete.

Quoties hoc Vniverſum & Humana omnia ingenio judicioque contemplor, nihil, profectò, ſub oculos adſpectumque venit, quod magis ex merito amorem ac commendationem meretur; quam jucunda & luculenta magnarum opum potentia. Cujus tanta, ſive in publico, ſive in privato negotio eſt reverentia, ut nihil ſuave acceptumque hominibus videri poſſit, quod non ex illo primum fonte & ſcaturigine ſuam dignitatem decuſque derivet; Hoc enim famæ nominiſque ornamento ſi quis infeliciter deſtituitur, ille vix inter hominum poſtremos annumerandus ad viliſſima Reip. munia turpiſſime detruditur, ad præclara Civium commercia prorſus indignum inſtrumentum, ut ex veritate dixiſſe Comicus videtur *πενία δ' ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ.* ille verò, qui centies mille ſeſtertiûm in cenſum deferre, qui divitiarum ſplendore inter cæteros cives illuſtrem Fortunam profiteri poſſit, mox ad decimumquartum orcheſtræ gradum, ſummoſque ampliſſimi honoris apices, etſi nullo natalium honore commendandus, univerſi cætus applauſu promovetur non minus imperio faſcibuſque dignus, quàm opum ſuarum immodicè affluentem copiam benigne conſequutus. Quare hoc, præ cæteris omnibus, ſtudium mortalibus unicè charum acceptumque eſſe debet: nam nihil magis ad nominis gloriam propagandam conducit, quàm ſi divitiarum admiratione omnium gentium benevolentiam tibi conciliàris. Et ſanè, ſi magnarum facultatum præſtantiam ex vero æſtimemus, quis non illarum jucundo obſequio ine-

ſcatus, in omnem ſe formam faciemque convertat? Quis non terrâ marique multa moleſte perferat, ut aliquam ſibi in vita bonorum opulentiam adjungat? ut auro argentoque dives ad Reipub. quoque gubernacula, viam ſibi præmuniat? Cum illa una certiſſimaque emergendi ſit ratio, quadam divitiarum pompâ in civitate excellere. Quare non immeritò cum *Epicharmo*, qui ſolem, lunam, terram, aquam, ſtellas, Deos appellavit; Ego argentum noſtrum & aurum Deos eſſe exclamem. a) *nam illos ſi collocaveris in domum, pete quicquid voles, omnia aſſequeris.* Divitiæ Amalthea illud cornu, cum quo reliqua ſi conferas, nugæ ſunt. Divitiæ quaſi ſanguis & anima in corpore: b) *quas qui non poſſidet, inter vivos mortuus obambulat.* Divitias ſemel qui nactus eſt, ille mox in nobilem familiam adſcribitur. Scilicet, Poëta teſte:

Et Genus & formam Regina Pecunia donat. Ait præclare *Demoſthenes: omnino opus eſt pecuniis, & ſine illis nulla res neceſſaria fieri poteſt.* Dixit inſigniter *Sophocles: Hominem deformem & inauſpicati corporis, lingua diſertum, viſuque pulchrum efficiunt opes.* Scripſit egregiè *Euripides: da operam opibus; nam illæ nobilitatem donant, nuptiis primariis potiri in cauſa ſunt; in paupertate verò obſcuritas ineſt.* Et idem vates: *Aurum præcipuè domi poſſidere velim, nam vel ſervus, ſi dives eſt, in pretio habetur. Liber autem egenus, nihil efficere poteſt: itaque felicitatem in auro tibi ſitam exiſtima* Ille verò, cui cum tetrica paupertate perpetuo confliſtandum, vah! quàm miſeram, quàm infelicem inter mortales vitam agit Non majore in pretio habetur, quam ſi nunquam natus, homo ex argilla aut luto factus ſiat; in via ſi occurrit, potenti ludibrio exponitur; ſi humaniter divitem ſalutat, nemo ad illum reſpicit; ſi oſtiatim ſtipem ſollicitet, tanquam canis

a) *Menand.* b) *Timocles.*

nis rejicitur. Oculos prætereuntium à ſe declinat, aures adſtantium offendit, naribus alienis odore officit: ſcilicet Τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί. Denique à ſacris removetur; in domum non admittitur; conviva rejicitur; cymba & vehiculo tanquam moleſtum onus amovetur. Miſer, cui indormiat, non habet; famem ſitimque, quo expleat, nuſquam invenit. Vbique nauſeam tædiumque parit paxillo nudior. Nimiò ſanè verum eſt, quod Pelignus vates dixit:

In pretio pretium eſt, dat cenſus honores:
Cenſus amicitias: Pauper ubique jacet.
Nec facile emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi. Iuvenal.

Quod cum *Craton* Philoſophus optimè ſibi perſpectum haberet, *non eſt*, inquit, *paupertate miſerior ullus in vita caſus: quamvis enim natura ſtudioſus & bonus fueris, ſed inops, ludibrio habeberis.* Cum illo de pauperum infortunio Theognis conſentit, *qui paupertate adſtrictum neque dicere, neque facere quicquam poſſe, ſed vinctam ei linguam eſſe ait.* Quod non ignoravit quoque Sophocles, qui paupertatem *maximum humani generis hoſtem* appellat. Quare mirari ſatis nequeo, quod ſapientiſſimi Philoſophi, quod Reges Principeſque tanto in divitiarum poſſeſſionem odio exarſerint; Paupertatem verò, prorſus intolerabilem hominis ignominiam ſibi magnæ laudi ac decoro duxerint. Ex illorum numero fuit *Lyſander*, qui moriens, nullam argenti drachmam reliquit; *Epaminondas*, qui publica impenſa tumulatus eſt; *Ariſtides*, cui ſumptus funeri quoque præſtando defuit. Et Athenienſis ille *Phocion*, qui miſſam à Philippo pecuniam, quaſi nocituram, repudiavit. Quid dicam de *Anaxagora*, qui virtutem & divitias ſimul poſſideri negavit? De *M. Curii Dentato*, qui ex fictili vaſe rapas comedere ſolitus? de *Crate Thebano*, qui magnum argenti aurique cumulum in mare projecit, contemnens

munus, quod vigilare cogeret! At *Diogeni* tam cum ſua paupertate benè convenit, ut Alexandri dona projecerit, & ſalem Athenis lingere maluerit, quam adipoſa apud Craterum menſa frui. Quid te impulit, ſapientiſſime *Socrates*; ut paupertatem rem gratioſam appellares? Te *Archeſilae*, ut paupertatem bonam prolis nutricem, & efficax virtuti Gymnaſium vocares? Te *Antiphanes*, ut paupertatem malorum omnium rem leviſſimam morumq; magiſtram ſolertiſſimam judicares? Te, inquam, ô *Diphile*, quod hominem nullis opibus locupletem fortunatiſſimum contenderes? Quam parum vobis perſpecta, Philoſophi, divitiarum utilis ac jucunda poſſeſſio! quam nihil de pecuniarum pretio laudibuſque diſcernere potuiſtis: qui nunquam illarum rectam fruitionem ad animi medullam admiſiſtis. Quod ſi ſemel blanda fortunarum voluptate non leviter perfuſi, nunquam, profectò, tam injuſtum de pecuniis & opibus teſtimonium perhibuiſſetis: *Multu ad philoſophandum obſtitêre divitia*, ait Seneca: *paupertas expedita eſt, ſecura eſt, cum claſſicum cecinit, ſcit non ſe peti, cum aliqua conclamatio eſt, quomodo eat, non quid efferat, quærit.* pro pudor! improbas divitias clamat *Euripides*: Sed nihil divitiis eſt melius, nihil pulchrius. Aurum & argentum pulvis & lapilli ſunt, qui in calculoſa maris crepidine reperiuntur; teſtatur *Maumachius*; ſed divinam auri argentique dignitatem quam ille nunquam bene perſpexit? Divitiæ non tam honeſtati, quàm improbitati inſerviunt, ad poſteros perſcripſit a) *Iſocrates*: *ſed quàm infirmi eſt animi qui divitias ferre non poteſt!*

χρυσὸς δ' ἀνοίγει πάντα, κᾀΐδου πύλας.
καὶ δύναμις πέφυκε τοῖς ἀργοῖς τὰ χρήματα.

Haſtis pugna argenteis, atque omnia vinces. Venalis eſſes Roma, ſi emptorem haberes. *Quid diſtent*

a) *Seneca*.

ſlent æra lupinis, non ignoravit *Demoſthenes*, cum non Synanche, ſed Argyranche laboraret.

Aurum per medios ire ſatellites,
Et perrumpere amat ſaxa, potentius
Ictu fulmineo, concidit auguris Horat.
Argivi domus, ob lucrum l.3.car.
Demerſa excidio. Diffidit urbium od. 16.
Portas vir Macedo, & ſubruit æmulos
Reges muneribus. Munera navium
Sævos illaqueant duces.

Nihil enim tam munitum, quod non expugnari pecuniâ; nihil tam invium, quod non pervium fieri; nihil tam occultum, quod non excludi auro poſſit. *Tantum quiſquis habet fidei, quantum nummorum poſſidet arca.* Aurum ubi loquitur, nihil ſuavis pollet oratio. Quare experiens callidusque vir clamabat: Νεῦρα τ' ἡγεμονίας τὰ χρήματα εἶναι. Quam pecuniam invictam vim cum non ignoraret *Philippus Macedo*, nullum, inquit, caſtellum tam firmum, nulla civitas tam benè munita, quæ non facile ſuperabilis, ſi illam aſinus auro onuſtus ingredi poteſt. Et, vos ſolâ barbâ & perâ opulenti Philoſophi, illa vitæ humanæ præſidia tanto cum dedecore averſamini? Multò melius hæc noſtra ætas de Divitiarum uſu ac præſtantia gloriatur. Cum nemo à ſana mente tam alienus, qui non pecuniarum ſibi gratiam fieri omnibus ingenii machinis nerviſque laboret. Quod Reges Principeſque terra marique tot bella adminiſtrant, tot prælia cum hoſtibus crudeliter committunt, tantum innocui ſanguine profundunt, non alio, quàm ſolo diteſcendi deſiderio intenditur. Quod utriuſque orbis Oceanum tot claſſibus obtegimus; vehendis devehendiſque mercibus tam impigrè incumbimus; cum exteris nationibus fœdera amicitiaſque ſancimus, unus quærendarum opum præſcribit appetitus. Quod potiorem ætatem annoſque in ærumnoſis laboribus conficimus; quod diſcipli-

ſciplinis artibuſque diſcendis ingenia noſtra conterimus, illa ſola præmiorum ſpes invitat. Nihil enim delectabile jucundumque homini contingere poteſt, quod non auri argentique copia ſubminiſtrat. Nihil ab aliqua arte præclarum atque egregium excogitari, quod non pecunia in oblectamentum uſumque comparet. Vis imperia faſceſque tenere? dabit Pecunia. Vis in ſplendidam familiam te inſerere? poteris pecunia. Quicquid extremus orbis occulto in ſinu recondit, pretium in lucem adſpectumque proferet. Quod factu difficillimum, mercede expugnabis, Tu ſi vitæ periculum declinas, auro venalem invenies. quem, ſi voles, vivûm ad Acheronta propelles. O vim Pecuniæ incredibilem, quid non deſignas! Quam multa mortalibus tu commoda & ornamenta impertis! Quam infinitis bonorum cumulis redundas! *Auri ſacra fames quid non mortalia pectora cogis!* Tu humanas neceſſitates ſuſtentas, deſideria noſtra perficis, damnis reſiſtis. Tu contra famem inopiamque nos protegis, corpus voluptate, animum ſecuritate donas. Tu contra morborum incurſum remedia præſtas, adverſus frigora æſtumque defendis, Tuo, Pecunia, auxilio, militiæ ſumptum ſuppeditamus, in pace ſplendorem oſtendimus, domi foriſque illuſtrem fortunam exercemus. Tuo præſidio res magnas efficimus, à parvis initiis repente ad alta exſurgimus, ad omnia promti paratique evadimus. Sine Te, Pecunia, ager abſque cultu ſterileſcit; domus à ſitu & ſquallore computreſcit; civitas in luctu & inertia contabeſcit; ſine Te leges & arma ſilent, fas fideſque negligitur; Templa & Gymnaſia clauduntur, univerſa quoque Reſp. in ruinam & exitium incurrit. Vobis, divitiæ, debetur, quod Civitates & Regna ad illuſtrem hominum memoriam inclareſcant: quod mirandi operis monumenta ad ſeram poſteritatem tranſmittantur; quod inclyta rerum geſta-

geſtarum gloria nulla temporum vetuſtate interceat. Vos *Corinthum*, *Laodicaam*, *Babylonem*, *Hieroſolymam*, *Tyrum*, *Carthaginem*, *Romam*, *Trojam* ædificaſtis; Vos *Theatra*, *Amphitheatra*, *Mauſolaa*, *Obeliſcos*, *Pyramides* in cœlum erexiſtis; Vos *Diana*, & *Sami Templum*, *Phydia* ſtatuam, *Iovis Olympici* Simulachrum fabricaſtis. Veſtra Diivitiæ, ſola eſt gloria, quod *L. Lucullus* ducentis veſtibus purpureis ſcenam adornaverit; *Cleopatra* cœnam Antonio tanti apparatus inſtruxerit; *Caligula* ex auro panes & obſonia hoſpitibus appoſuerit: Quod *Milaſii*, *Iones*, *Graci*, *Maſſilii* tantis voluptatibus deliciiſque immortale ad poſteros nomen reliquerint. Quid eſt H.H. A.A. quod *Confederati Belga* toto orbe toties triumphamus; quod Reges Nationeſque pene ad invidiam felices, ſub jugum cogimus, in noſtra fœdera amicitiaſque allicimus? nonne potentes Indorum theſauri, & illæ orientis ac occidentis formidoloſæ opes & ſpolia? olim finitimis populis gentibuſque faſtidio fuimus, quando ſpoliatam ſuis nervis Remp. tenebamus: nunc divitiarum imperiique gloriâ eminentes, cum ipſis Romanis perſarumque regibus non noſtram fortunam opeſque permutaremus.

Omnis enim res,
Virtus, fama, decus, divina humanaque pulchris
DIVITIIS *parent: quas qui conſtruxerit, ille*
Clarus erit, fortis: juſtus, ſapiens etiam, & Rex,
Et quicquid volet: Horat.

DIXI.

ORATIO XXVIII.

De Commendatione Virtutis.

CORNELIUS KEETMANNUS, Kruff. *Medenbl. Batt.*

Praſtantiſsimi D.D. Collegæ.

ETſi glorioſæ vocis confiſi molimine multorum cogitationes in arbitrium ſenſumque veſtrum rapitis: Non parum miſellis mortalibus ſpecioſâ oratione fucum imponentes, dum aut inanes caducaſque mundi opes in cœlum extollitis, aut Fori Belliquе ſordidum pulverem inter vitæ beatitates connumeratis. Ego tamen certiore animi præditus fiduciâ illa tenuium rerum oblectamenta ineptiaſque prorſus pro nihilo æſtimo, ſolam felicitatis meæ gloriam in excelſæ virtutis poſſeſſione poſiturus: Cætera omnia, quæ Fortunæ levitas impertit aut adimit, alto ſupercilio deſpiciens. Illa vero, quæ ſupra temporum injuriam, & extra clientium turbam tumultumque ſunt poſita, unum optimumque rebus humanis ornamentum decuſque exiſtimo. Hæc cum pulcherrimæ Virtuti ab omni ævo antiquitas tribuerit, & in illa ſola ſolidaque mentis ſecuritas ſubſiſtat, nihil unquam in meis laudibus poſitum agnoſco, ſi non à Virtute colorem ducat, & animo meo, ſi opus, contra fortunæ tela, contra Paupertatem, Invidiam, Calumniam ſalutare conſilium & auxilium ſubminiſtret. Virtuti cum vera laus debeatur; Virtute cum nihil formoſius, nihil pulchrius, nihil melius; Virtus cum honoratum, nobilem, beatumque faciat; a) *Illa ſola temporum fortunaque vices neſciat, in tempeſtate quieta, in tenebris ſplendida, non obſoleſcens alienis ſordibus, non debilitata incom-*

a) *Cicero.*

incommodis ſuis; *Virtus*, inquam, *quæ una altiſſimis defixa radicibus, quæ nec vi labefactari, nec loco dimoveri poteſt*, unum mihi in hac mortali vitâ eſt ſolatium, unum contra fortunæ varietatem ſtabile munimentum. Cujus ego ſeptemplice clypeo ſi ſartus tectuſque non eſt, quod aut Fatorum vim extimeſcam, aut contra hoſtium tyrannidem me ferro acieque præmuniam. Sine ſarcinâ metuque adverſus omnia animum obfirmabo; nihil omni loco ad iniquæ ſortis procellam compoſitus. Me

Non Civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni
Mente quatit ſolidâ. Horat.
Nec fulminantis magna Iovis manus
Si fractus illabatur orbis,
Inpavidum ferient ruinæ.

Vos, *mei Collegæ*, quando inter armorum digladiationes exangues procumbitis; aut à voluptate veſtra deliciiſque turpiter vincemini, ſive in umbroſis muſeorum latibulis cum nuda fama fameque luctabimini: Ego meâ Virtute me involvam, & procellas omnes rerumque turbines ex alto deſpiciam.

Vos oro obteſtorque *Nobb. Ampliſſ. DD. Aud.* quando nunc contra improbam vulgi opinionem, VIRTUTEM, pro viribus defendo, & meam Spartam, quam nactus ſum, oratione ornare ſtudeo, veſtrâ benignitate dicentem ſublevate. Quæ ut ſemel priſco ſuo nitori reſtituatur, veſtrum favorem auriumque gratiam obnixè petimus.

Inter omnia humana, quæ Luminum ille pater SOL oculo ſuo adſpicit, meritò principem dignitatis locum tenet eximia dominaque omnium rerum VIRTUS: quæ inſtar ſplendididiſſimi in cœlo ſideris, cæcos mortalium animos incredibili ſapientiæ ſplendore illuſtrat, quæ nemini unquam præcluſa, non domum aut cenſum eligens, omnium ſeſe gratiæ ac amori liberaliſſimè proponit.

nit. Cujus ſi laudem decuſque ab intimo penetrali conſideres, immane quantum! divinæ Virtutis ornamenta admirabere; ô quàm pulchram faciem, quam ſanctam, quàm ex magnifico placidoque fulgentem videremus! Quæ ubi ſemel tenuem ſui notitiam humanis ingeniis aperuerit, mox infinito gaudiorum cumulo amatorem circumfundit: adeo gratioſa ac ſine omni diſſimulatione, ut improborum quoque judicia in ſuas partes laudeſque pertrahat. Quæ per ſeſe ipſa laudabilis noctes & dies animum gloriæ ſtimulis impellit, nulla rerum viciſſitudine frangenda aut debilitanda. Quæ nec in tantùm extingui unquam poteſt, ut non certiores animo notas imprimat, ſuique veſtigium præclarè relinquat. a) *Hanc non flamma, non ruina inferius adducet; hanc in Templo invenies, in Foro, in Curia, pro muris ſtantem, pulverulentam, coloratam, calloſas habentem manus: non circa balnea ac ſudoria, & loca Ædilem metuentia, non unguentis madentem, non medicamentis pollinctam.*

b) *Ipſa quidem Virtus pretium ſibi ſolaque latè*
Fortuna ſecura nitet, nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuque cupit clareſcere vulgi:
Non opis externæ capiens, nil indiga laudis:
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex altà mortalia deſpicit arce.

Quod cum Græcus ille in fabulis non ignoraret, πλοῦτος, καὶ δόξα, καὶ ἡδοναὶ, οὐδὲν εἰσι πρὸς τὸν ἐν ἀρετῇ βίον, exclamat. c) Pulchrè quoque Plutarchus: *non conferenda eſt cum auro virtus, quod ſuper terram eſt.* Et Demoſthenes: τότε ἄριστα πράττουσιν αἱ πόλεις, ὅτε μέτριοι καὶ σώφρονες ἄνδρες πολιτεύονται. Solon verò interrogatus, unde Reſpub. maximè vigeret: d) *Si boni*, inquit, *præmiis incitantur ad Virtutem; mali & Virtutis negligentes coerceantur pœnis.* Scilicet: Ἄρχειν μηδενὶ προσήκει, ὁ

οὐδὲ

a) *Seneca*, b) *Claudius.* c) *Lucianus.*
d) *Seneca.*

οὐδὲ κρείτων ἐστὶ τῶν ἀρχομένων. *Adeoque Virtus hominem extollit, & ſupra cara mortalibus collocat.* Illa ad omnem felicitatem ſufficit; armaturam, quæ nunquam detrahi poteſt, præſtat; præclara facinora, ſicuti anima immortalia producit. Illa, a) *repulſæ neſcia ſordidæ, intemeratis fulget honoribus* Et in homine nihil quoque ad rem pertinet, *quantum aret, quantum fœnoret, quam pellucido poculo bibat; ſed quam bonus ſit.* Virtus non tam formoſum corpus, quam animum quærit, poteſque ſub qualibet cute ingenium beatiſſimum latere. Igitur *Phocion* Athenienſis hanc divinam eſſe legem dicebat: *ut unica Virtus ſit potens, cætera omnia nugæ.*

b) *Per ſeque petenda eſt*
Externis Virtus incomitata bonis.

c) *Et famam extendere factis,*
Hoc virtutis opus.

Quo Virtutis invicto tegmine qui ſemel fortiter præcinctus, nihil truculenta hoſtium agmina, nihil inimicorum injurias extimeſcit, omnia æquo animo ferre patique ſuſtinet. In proſpere fluentibus fatis non degeneres ſpiritus ſumit, non inſitos ſibi mores cum opibus deponit. In ſiniſtris autem aſperiſque rebus eodem ſemper vultu apparet, cum nulla fortunæ mutatione in alium ſui habitum permutandus. a) Flammam & ignes in *Mutio Scævola* & *Pompejo* experitur; vulnera & plagas in *Zopyro*, in *Lycurgo*, in *Socrate*, *Mario*; tormenta & dolores in M. *Attilio & Ciceronis Filio* Quis in ſecundis rebus mentis gravitate ſuper *Alexandrum, Ageſilaum, Themiſtoclem, Manl. Torquatum & Auguſtum?* In victoriæ moderatione *Philippum Macedonem, Pyrrhum, Scipionem, Pompejum, & I. Cæſarem?* In devitandis vitæ periculis *Alcibiadem, Craſſum & Caſſium?* Quis pari ingenio atque robore afflicti corporis debilitatem, ut Mæonius ille Senex *Homerus?*

a) *Horat.* b) *Ovid.* c) *Virgil.* d) *Conſtantia in malis corporis.*

Homerus? qui utroque orbatus lumine, ita tamen mentis acie eſt uſus, ut omnibus poſteris veluti lucernam ſapientiæ accenderit. a) Vultis vitæ mortiſque contemptum? præbuit ejus exemplum animoſa Virtus in *Platone:* qui cum à medicis, propter peſtilentiam ſedem transferre admonitus, magnâ voce reſpondit: *Sed ego, producendæ vitæ cauſa, ne in Atho quidem ſummitatem transmigrare velim.* In *Diogene:* qui cum mortem propinquam intueretur, ſe præcipitem de ponte dedit. In *Agide:* qui cum ad laqueum duceretur, & aliquem è lictoribus flentem videret, *deſine*, inquit, *homo vicem meam deflere.* Quibus non inferior *Catonis* Virtus: qui eadem nocte, cum mori ſtatuiſſet, de Stoicâ philoſophiâ diſſeruit. b) Vultis malorum fortunæ tolerantiam! intueamini *Zenonem:* qui per naufragium bonis omnibus exutus, *Euge*, inquit, *Fortuna, quàm probè nos ad hoc palliolum redegiſti!* Contemplemini *Fabium Maximum*: qui ingenti pecuniarum defraudatus ſummâ, non minus ſerenam frontem oſtendit. Ponite vobis ante oculos *Antiochum:* qui à Scipione ultra Taurum montem fugere coactus, Pop. Romano maximas gratias egit, *quod nimis magna procuratione liberatus, modicis regni terminis uteretur.* Veniat in memoriam *Mithridates*, qui filiis, præſidiis, principatu ſuo deſtitutus, nihil tamen humile ſibi propoſuit. Eadem animi conſtantiâ *Ariſtides* ingratorum civium injuriam toleravit, & ab exilio in patriam reverſus, nemini frontis nubeculam oſtendit. Quantâ laude meritoque te deprædicem, generoſa Heroum Virtus? quæ tanto majeſtatis tuæ ſplendore intentionis aciem perſtringis, ut in te ornandâ cohoneſtandaque multò major dicendi materies, quam ingenii verborumque copia ſuccurrat. Tu, ô inclyta VIRTUS, quando vim tuam in

a) *Propria mortis contemptus.* b) *malorum fortunæ contemptus.*

in generoſis pectoribus exerces, quàm præſentanea contra vitæ humanæ miſerias remedia præſtas! quàm multorum quaſſationes tuæ ſapientiæ medicinâ lenis ac emollis! quam in utraque fortunâ rectum vitæ curſum per tot præcipitia & ſcopulos inſtituere pulchrè doces! a) Hoc nomine ſibi gratulatus *Anaxagoras:* cui de philoſophiâ diſſerenti, cum inopina filii mors annunciaretur, *Sciebam*, inquit, *mortalem genuiſſe*. Quâ virtutis ſingulari fiduciâ ſi non *Xenephon, Pericles, Pollio, Sylla, Claudius Cæſar* obfirmati fuiſſent, nunquam tantis animis, tamque virili pectore liberorum ſuorum jacturam tuliſſent. Miſer verò *Harpagus*: ut inſtantis tyranni Lycaonias manus oculoſque perferre potuiſſet, filiique ſanguinem & carnes in cibum convertere, niſi ſeverâ Virtutis diſciplina animum ad incredibilem patientiam erudiviſſet? b) Magiſtra Virtute *Philippus Macedo* Peloponeſis injuriam facientibus ignovit; *Pericles* convitiatorem patienter tulit; *Phocion* petulantiſſimè maledicentem modeſte excepit. In virtutis Gymnaſio exercitus *Agathecles*, figulo patre natus: cui cum in opprobrium acclamarent Milites: *Figule, unde militibus ſolves ſtipendium?* ille placidè ac ſubridens reſpondit: *ubi hanc civitatem vicero.* Prætereo hoc loco *Fabium, Marcellum, I. Cæſarem, Auguſtum, Solonem, Piſiſtratum:* qui Calumnias, Obtrectationes, Infamiam, Scommata, famoſos libellos, ſolâ virtutis tutela innixi, nulla ultione pœnaque expiaverunt. Non dicam de *Antiſthene:* cui cum mater Barbara in convicium objiceretur, *& Mater Deorum*, ait, *Barbara fuit.* Taceo de *Catone:* qui ſe percuſſum in balneo, non meminit injuriæ. Omitto *Socratem:* qui cum ab aliquo colaphum accepiſſet, *moleſtum eſt*; inquit, *neſcire homines: quando cum galea prodire debeant.*

Sed

a) *Mortis liberorum contemptus.* b) *Injuriarum contemptus.*

Digitized by Google

Sed longe major VIRTUTIS admiratio in ſtuporem nos rapiet, quando ſemel illius templa ac delubra religioſis animi oculis inſpexerimus ubi mox per longam ſeriem generoſa Virtutum inſignia fulgebunt, & ampliſſimus ſe gloriæ campus aperiet. Vos HH. AA. quando nunc virtutis ſacrarium pergo recludere, quæſo, me de pulcherrimis rebus dicentem benigna favoris veſtri aura porrò ad portum comitemini.

Ecce, primo ſtatim in limine Rex *Darius*: in quo virtus ſingularem humanitatis laudem promeruit: qui Deos precatus, ut aut ſuperare Alexandrum clementiâ poſſet, aut ſi is regno ſpoliaretur, ſolus Alexander in Perſarum regno imperaret. Poſt illum *Trojanus*, qui aliquando, culpantibus amicis, quod nimis clemens erga ſuos eſſet. *Talis*, inquit, *Imperator eſſe cupio, quales ſubditos meos eſſe volo.* Parvo intervallo J. Cæſarem video, de quo Marius non ſemel: *Cæſar, qui apud te audent dicere, magnitudinem tuam ignorant; qui non, humanitatem & clementiam.* Quem juxta Rex *Alphonſus*: qui multos ſua clementia ſervare, quàm ſeveritate perdere optavit. Et *Nero Auguſtus*, ſed qualis in imperii initiis, qui cum damnationis libello ſubſcripturus, *utinam! neſcirem literas*, exclamavit. Cum illo *Theodoſius Junior*, & *Cajus Cæſar*: quorum hic gratiſſimum putavit, *neſcire quid quiſque peccaſſet*; ille mortuos ad vitam revocare in votis habuit. In Virtutis b) quoque templo Frugalitatis ac Temperantiæ ſtudioſiſſimos invenies: qui improbam luxuriæ libidiniſque peſtem exoſi, ſecundum naturæ legem animi corporiſque deſideria terminarunt. Ex illorum ſunt numero *Socrates, Plato, Zeno, Pythagoras, Diogenes*; qui vitam ſuam ſolis oluſculis cibiſque inanimis ſuſtentarunt, omnem deliciarum apparatum tanquam oneri futurum rejicientes. Quibus non diſſimiles fuerunt *Scipio*

a) *Clementia.* b) *Temperantia.*

Scipio Africanus, *Gorgias Leontinus*, *Frabricius*, *Cato*, *Demoſthenes*: qui ſobrietatis ſuæ exemplo ſempiternum apud poſteros nomen reliquerunt. Talis *I. Cæſar*, qui Marci Catonis judicio unus ex omnibus ad evertendam Rempublicam ſobrius acceſſit. Talis *Pompejus* ille magnus, cui ægro cum à medico turdus præſcriberetur, qui niſi apud Lucullum exſtabat: *ſine Luculli*, inquit, *illecebris vivere non poſſum?* Talis *Epaminondas* ille Thebanus, qui adeo in corpore obeſis infeſtus, ut quendam aqualiculo portentoſo ab exercitu removerit, quod ad tegendum ejus ventrem vix clypei tres ſufficerent. Tales olim Romani, Lacedæmonii, & Gymnoſophiſtæ Indorum, qui Epicuros ex urbe ejecerunt, & in voluptatem luxuriamque ruentes, duriſſimis legibus ſuppliciiſque affecerunt. a) Ita etiam Liberalitatis magnificentia multos reges principeſque admirabilis Virtus commendavit: quibus una glorioſa hæc fuit ambitio, ut vitæ ſuæ bonorumque diſpendio aliorum juvandis promovendiſque fortunis rem digniſſimam inſtituerent. In quo Virtutis genere celebratur *Scipio Africanus*, qui nunquam è foro domum reverti ſolitus, ſi non prius beneficium apud aliquem collocaſſet. *Iulius* quoque *Cæſar*, qui tot præliis quæſitas opes non in luxum & voluptates, ſed in viros optimè de Rep. meritos diſtribuit. Neque illo minus *Veſpaſianus*, qui cum diem ſine nota Liberalitatis tranſegiſſet, *Hunc diem*, inquit, *amici perdidimus*. Hac virtute gloriari poſſet *L. Sylla*, qui nunquam ab aliquo propinquorum benevolentiæ ſtudio ſuperatus. Et Rex *Archeſilaus*, qui maluit erga alios uti liberalitate, quam auream argenteamque ſupellectilem poſſidere. Poſſet *Cyrus*, *Hadrianus*, *M. Antoninus*, qui omnium ſcientiarum doctores annua mercede liberaliſſimè cohoneſtavit. b) Tuam vero Magnanimi-

a) *Liberalitas*. b) *Magnanimitas, Modeſtia, &c.*

nimitatem, *Themiſtocles*, quis digno unquam præconio extollet? qui cum aliquos Magiſtratum ambire audiret, *ſi mihi*, inquit, *duas vias oſtenderis, quarum una ad infernum, altera ad tribunal duceret, multo libentius ingrederer eam, quæ recta ad infernum tenderet*. Tuam in vita modeſtiam, *Fabi Maxime*, qui Filio deſignato conſule, à Reip. muneribus Fabiæ Genti vacationem petiiſti. Tuam, *Numa Pompili*, ſingularem animi continentiam, qui ex illuſtri Sabinorum genere oriundus, Privati viri quietem Soceri ampliſſimo regno prætuliſti. Quantâ virtutis laude dignus *Cato*! qui multorum ſtatuas intuitus, *malim*, inquit, *ut de me quærant homines, quamobrem Catoni non ſit poſita ſtatua*. Quantâ *Tiberius* & *Frontinus*! qui poſt mortem ſibi erigi monumenta, edicto caverunt. Quantâ *Ageſilaus*! qui cum ſe vivum inter deos relatum audiviſſet, *Thaſii*, inquit, *ſi poteſtatem faciendi Deos habetis, cur non potius vos ipſos, quàm me inter Deos refertis?* O admirabilem VIRTUTIS præſtantiam! quæ ubi ſe ſemel in animos hominum transfudit, vitam actioneſque noſtras ſua norma dirigit. Qua magna Parentium Dote, Virtute, ſi perfrui liceat, *Iure perhorrui latè conſpicuum tollere verticem*. Illi intactos Arabum theſauros opulenti accumulent, Tyrrhenum omne ac Ponticum mare occupent.

Quicquid de Libycis verritur areis

Suis horreis abſcondant; *Illis Laſtrigonia Bacchus in amphora langueſcat, Cæcubum, & prælo domita Caleno vina liquent:*

Non me Lucrina juverit Conchylia,
Non Afra avis deſcendat in ventrem meum.
Vel agna feſtis cæſa Terminalibus.
Meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem ſine dote quæro,

DIXI.

a) *Horat. variis locis.*

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XXIX.

DE PIETATE.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Doctiſſimi DOMINI,

EST, quod meritò mihi gratuler de veſtrâ in Juventutem noſtram ſingulari benevolentia: qua illam hoc loco timidè tenuiterque dicentem tam attentè patienterque audiviſtis. Cum nihil ad incitamenta generoſæ Iuventutis gloriæ ille ſtimulus plus unquam poſſit, quàm, ſi in publico poſitus theatro Adoleſcens ſui laboris diligentiæque applauſum cum honore mereatur: tanquam in priſco Quiritium conſeſſu de arduis Reip. negotiis, de pace belloque dicturus. Quam honeſtæ laudis gloriæque cupidinem cum in noſtris diſcipulis animadverterem, volui ſuam quiſque perſonam in ampliſſima & pulcherrima Civitatis corona repræſentaret. Ac ejuſmodi materiam nunc ad manus ſumeret: in quâ & ingenium & dicendi facultatem inſtructiſſimè exerceret. Ille, ut egregiam Doctrinæ majeſtatem cæteris omnibus rebus anteponeret Iſte Imperatoriam dignitatem ſummis in cœlum laudibus efferret. Hic divitiarum præſtantiam magnificis verbis exornaret. Alius in commendanda Ethnicorum Virtute glorioſam Orationem inſtitueret. Præſtitit ſuum penſum Iuventus. Mihi verò ex tam diverſa & præpoſtera Hominum opinione, non ignobilis dicendi materies relinquitur. Sed Paridis hic judicium reperio. Sordida & minutiſſima quæque infinitis laudibus extolluntur. PIETAS, quæ una omnium facilè eſt victrix ac regina, hic obſcuro tacitoque ſilentio præteritur. ac ſi nullo nomine atque encomio digna, vix in alicujus vel cogitationem votumque venit. Ego igitur, quantum poſſit valeatque divinæ mentis æmulatrix Pietas, hoc loco

Diſcipulos meos edocebo: ut qualemcunque vitæ conditionem ſibi proponant, illam imprimis Fide, Religione, Pietate tueantur ac ſtabiliant. Vos, *Nobiliſſimi Ampliſſimi* DOMINI, veſtræ benignitatis ſecundo favore, quæſo, Orationis meæ curriculum proſequimini.

Optimè loquutus Oratorum princeps: *Si quis omiſſis honeſtiſſimis ſtudiis rationis & officii, is inutilis ſibi, perniciosus civis patriæ alitur. qui verò ita ſe armat eloquentia, ut non oppugnare commoda Patriæ, verum pro iis pugnare poſſit: is mihi vir, & ſuis, & publicis rationibus utiliſſimus atque amiciſſimus civis fore videtur.* a) Et cum cæteræ res neque temporum neque ætatum omnium, neque locorum ſint; *ſtudia bonarum artium ſenectutem oblectent, ſecundas res ornent, adverſis perfugium ac ſolatium præbeant*; neque ullus civis egregius eſſe poſſit, ſi non bonis artibus ac diſciplinis eruditus. Et ex *Socratis* ſententiâ *Homo doctrina ornatus pulcherrimum in terris animal ſit.* Nolo tamen, chariſſime Adoleſcens, ut in ſolis Doctrinarum ſtudiis vitæ tyrocinium deponas. ut omne tuum ingenium & ætatem in Eloquentiæ, aut Philoſophiæ præceptis conſumas, unum ſalutis tuæ Palladium in ſola Eruditionis fama collocaturus. Nolo, inquam, omnes animi corporiſque vires in tot artium ſubigenda difficultate totus exhaurias. nihil melius præſtantiuſque arbitratus, quam illuſtri famæ monumento per hominum nationumque ora inclareſcere. Fateor, divini aliquid ineſſe Eruditorum ingeniis, quod facilè à vulgo illos diſtinguat, & quadam interiore nota à barbaris, à ſemidoctulis procul ſejungat. Multa quoque reperiri poſſe, quare Viris prudentibus rerum rectura & dictatura ſola debeatur. Cum penes alios rara ingeniorum meſſis ac prudentia reperiatur. in publicis verò judiciis & diſceptationibus magna frequenſque ubique iner-

a) *Cicero.*

inerties ac hebetudo. Cæterum, Viri Docti in animo ſuo infinitos diviriarum theſauros recondunt, quos cum omnibus Perſarum Indorumque opibus nunquam præmutent. Adeo, bonæ mentis ille igniculus incredibilem ſui amorem alumnis ſuis ingenerat. Quos ſi hominum vulgus infra ſe poſitos putet, ac derelictos per avia ac deſerta circumerrare, credite *nunquam minus illi ſoli, quàm cum maximè ſoli.* Nunquam feliciores, quàm ſi ſecum in animo ſuo Regum Principumque conſilia perpendant; de gerenda regendaq; Rep. liberrimè ſentiant. Hi cum immenſis temporum ſpatiis curas & cogitationes ſuas determinant, præteritorum memoriam cum dulci voluptatis ſenſu recordantur. præſentium tædia fortunamque, repetitis in memoriam veterum exemplis, ſapienter diſcutiunt res futuras, quaſi provido quodam Numine, proſpiciunt ac declinant. Hæc omnia, Adoleſcens, in Viris doctis cum magnopere ſint expetenda, & eruditio admirabiles in animis hominum actiones producat: nulla tamen, mea ſententia, Viris ingenio excellentibus dignitas prorſus debetur: ſi non ad egregia Doctrinæ faſtigia ſolidum Chriſtianæ Pietatis fundamentum acceſſerit. Cujus præſidio quando ſemel deſtituti ſumus, excuſſo rationis gubernaculo, mox in varios ſcopulos impingere neceſſe eſt, *Incedimuſque per ignes ſuppoſitos cineri doloſo.*

Certè, peſſima mortalibus peſtis Eruditio, & non aliud, quàm gladiolus in infantis manu, quando multarum rerum cognitionem adepti, noſtris tantum ingeniis lacertiſque confidimus. & ad noſtrum tribunal cogitationumq; comitia omnia expendimus. Neq; enim corruere in perniciem ſuam Reſp. facilius poteſt, quàm ſi illa hominibus Literarum cognitione egregie inſtructis, Pietate tamen nihil eminentibus, miſerè in manum detur. Cujus rei, ô utinam! non domeſtica apud Belgas exem-

exempla toties veritatem edoceant. Et jam, prô dolor! mille per Europam teſtes cum dolore comprobarint. Quamobrem præclare, licet inter Ethnicos, Orator Tullius: *Pietate adverſus Deos ſublata. fides etiam & ſocietas generis humani, & una excellentiſsima Virtus, Iuſtitia, tollatur neceſſe eſt. Pietati ſumma laus tribuenda, Pietas eſt fundamentum omnium Virtutum, Nulla vis major Pietate vera eſt. Sic cogitandum*, ait Seneca, *quaſi aliquis in pectus intimum inſpicere poſsit. ſic vivendum cum hominibus, tanquam Deus videat. ſic loquendum, tanquam homines audiant. Exurge modo, & te quoque dignum finge Deo.* Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit. *Pietas homini tutiſsima Virtus,* καὶ γνώμης γὰρ ἐσθλῆς ἔργα χρηστὰ γίγνεται. Et alius animus fit intrantibus templum, Deorumque ſimulacra ex vicino cernentibus, & alicujus oraculi operientibus vocem. *Et homines exiſtimare oportere*, ait Thales, *Deos omnia cernere, Deorumque omnia eſſe plena. In mundo*, ait Cicero, *Deus eſt aliquis, qui regit, qui gubernat, qui mutationes temporum, rerum viciſsitudinem ordineſque conſervet.* Nec quicquam poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cum cœlum conſpexeris, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc omnia reguntur. Sed, ſi divino patrum teſtimonio Pietatis laudem ſartam tectamque velitis. audite divum Ambroſium: *Pietas amica eſt parentibus, grata eſt Deo, dominum conciliat, neceſsitudines fovet. Dei cultura, merces parentum. filiorum ſtipendium. Pietas juſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorum ſuffragium.* Et Gregorium audite: *nulla eſt ſcientia, ſi utilitatem pietatis non habet. O clementiſsima Pietas! quæ non ſua deſinit beneficia largiri, non ſolùm, ubi nullum invenit meritum, ſed plurimum etiam, ubi totum videtur contrarium:* ut non immeritò dixerit Comicus: θεὸν σέβου, καὶ πάντα πράξεις εὐθέως. Igitur tu, ô Adoleſcens, ſic Muſarum illa ſacra adminiſtra, ut optimum

optimum illarum ornamentum, PIETATEM, ne negligas. Quidquid emolumenti ab eruditi nominis fama exſpectas, totum hoc ad Reip. ſalutem, ad Eccleſiæ ſolatium defer. Sin aliter, optabile eſſet, nunquam illo liquore pectus tuum intingeres, ac primâ in herbâ intermoriare potius, quàm egregia Doctrinæ inſtrumenta in improbum vitæ auxilium adhiberes. Inter labores tuos non inane tantum nomen, non fœnus ac lucellum ſpecta; ſed gloriam magni Numinis; ſed animæ tuæ gaudium ſeriò cogita. *Impietatem & ſæcularia deſideria à te abſtermina; juſtè, ſobriè age vitam in hoc ſæculo. Fili? honora dominum, & valebis; ineptas & aniles fabulas devita. Sectare juſtitiam, Pietatem, Fidem, Charitatem, Patientiam & Manſuetudinem. Pietas enim ad omnia utilis; Pietas promiſſionem habet hujus & futuræ vitæ.*

Adeſdum, *Tu, quoque non indigne* AURIACO *Satelles:* Qui in Campo Martio, ad militarem belli Adoream Hectoreas manus intendis. Cui nihil pulchrius præſtantiuſque ob oculos aureſque verſatur, quàm tubarum clangor; lituorum & tympanorum ſtrepitus; raucique æris horrendus ſtridor. Non immeritò quidem hanc illuſtrem laudum tuarum arenam ingrederis, & cum clariſſimis ab omni ævo Imperatoribus pro aris & focis, pro omnium noſtrûm ſalute vitam ſanguinemque profundis. Nulla enim ad ampliſſimi honoris ædem via laudabilior, quàm animi ſui robur & fortitudinem toties in bello ducibus ſuis oſtendere; tot triumphis & victoriis nobilem ſuæ gloriæ commendationem poſteris relinquere. Sed, Pietatis illo clypeo, armaturâ Chriſtianæ fidei præcinctum eſſe oportet, ſi vis optime jure hoſtibus bellum indicere. Impium eſt, regna & provincias bello devaſtare, humanum ſanguinem ſine pia cauſa profundere; flammâ ac rapinis civium domos fortunaſque evertere. At ſalutare conſer-

M vandæ

vandæ Reip. remedium eſt, tempeſtivum ab armis auxilium: quando auſpicio magni Numinis contra nefarios Eccleſiæ ſectores in aciem deſcendimus: ne pietatem è Templis; fidem à Foro, Iuſtitiam à tribunalibus exturbari ante oculos noſtros patiamur. Tali animo olim religioſiſſimi protectores populi Dei acerbiſſima cum Idololatris bella ſuſceperunt. Ita nos cum *Abrahamo*, prædonum manibus cognatum ſanguinem eripimus; cum *Baraco*, adverſus Siſaram fortibus armis concurrimus; cum *Gedeone*, Madianitarum imperia oppugnamus; cum *Iephta*, Ammonitarum copias profligamus; cum *Sampſone*, cum *Davide*, cum *Iehu*, *Ezechia*, *Conſtantino*, *Theodoſio* contra improbam Antichriſti colluvionem fortiſſimè ad bellum & arma proficiſcimur. a) *Pulcherrima ſanè res eſt, pro libertate bellum gerere quam nemo bonus niſi cum anima ſimul amittit. Et bonos decet viros, ſi afficiantur injuria, pacem bello mutare.* Vt traditas nobis à majoribus leges reſervemus, ut carnificum gladios à civium jugulis, ut tyrannidem à noſtris liberis, ab uxoribus ſtupra & adulteria depellamus, publicæ ſalutis cælitus dimiſſo Ancili, Armis opus eſt. Quare nulla unquam ætas, ô Belliciſſimi Belgarum Libertatis Atlantes, VOS NASSOVII Principes, de veſtra laude conticeſcet: qui Chriſtianæ Pietatis Zelo accenſi, terra marique immane quantis! ſpoliis ac triumphis victores inceditis. Macte tua Virtute, MALAPERTI; Quem ſi fata ad Arma Patriæque tutelam vocent; age, DEO Duce, Comite ferro, in pulcherrimi decoris theatro animosè fortiterque depugna. Hactenus in umbratili muſeo amœniora Literarum ſtudia excoluiſti, & ſub noſtro ductu, ad ſapientiæ illa atria maſcule gradum promoviſti; Pietate, Virtute jucundam quoq; tui memoriam meæ Inſtitutioni reliquiſti: ut non obſcuro exemplo vide-

a) *Xenophon. Cicero.*

videre liceat: quod illuſtri familia atque inclytis majoribus ſias oriundus. a) Nunc à mea manu & menſa te dimitto, *Nobiliſsime Iuvenis*, Deumque ex animo precor, deſideratam tibi Spartam & honores de cœlo largiatur; ut, ſive in Armis, ſive Togâ, utilem aliquando Reip. operam præſtare poſſis.

Pudeat verò Te, *Divitiarum ſtolide Defenſor*, quod fluidas & inanes Fortunæ Opes, quæ niſi quædam bracteata eſt felicitas, tanto amore ſtudioq; proſequeris. Cætera omnia, præ unius lucelli deſiderio tam faſtidioſè animo tuo exſpuis. In hoc uno ſatis beatus, ſatis honoratus, ſi, quod ventrem impleat, non deſideres; ſi, quod favorem civium conciliet, poſſideas; ſi quod ad munia Reip. fores fortunatas aperit, ærario tuo incluſum habeas. *Si parietes magnis & pretioſis orbibus refulgeant; ſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint; ſi Thaſius lapis piſcinas tuas ornaverit. Noli huic tranquillitati confidere, momento mare vertitur, eodem die, ubi luſerunt navigia, ſorbentur.* b) Pro! hominum fidem, ſi non hæc amentia eſt, *in ſuam gulam congerere longinqui littoris piſces, peregrina aucupia conquirere, deſidioſum otium ac libidinum vices felicitatem vocare. equeſtrem cenſum una cœna profundere.* Vide, quantum rerum per unam gulam tranſiturum permiſceat luxuria, terrarum mariſque vaſtatrix. Sed, *nulli poteſt ſecura vita contingere, qui de divitiis accumulandis nimis cogitat; qui inter magna bona multos conſules numerat.* Id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longiſſimè perfugiamus. Indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus. Non vera nimis Comici ſententia.

Ὁ πλοῦτος παρακάλυμμα τῶν κακῶν.
Τῶν γὰρ ἀγαθῶν τὸ πλοῦτον ὕστατον τίθει, ἀβε-
βαιότατον γὰρ ἐστιν ὧν κεκτήμεθα.

a) *Manumiſsio Diſcipuli.* b) *Seneca variis locis.*

a) *Qui voluptatem in ſummo ponunt, ſenſibile judicant tantum; nos contra intelligibile, qui illud animo damus. Nonne contra naturam illi vivere videntur, qui jejuni bibunt, qui vinum recipiunt inanibus venis, & ad cibum ebrii tranſeunt?* Quantumque, illi à funere abſunt, & quidem acerbo, qui ad faces & cereos vivunt? Multis quoque ſervit, qui corpori ſervit, qui pro illo nimium timet, qui ad illud omnia refert. *Nemo ex illis, quos purpuratos vides, felix eſt, non magis, quàm ex illis, quibus ſceptrum & chlamydem in ſcena fabula adſignant: cum præſente populo elati inceſſerunt & cothurnati, ſimul exierunt, excalceantur, & ad ſtaturam ſuam redeunt.* Et idem Philoſophus: nam, quod ad illos pertinet, apud quos falsò divitiarum nomen invaſit occupata paupertas, ſic divitias habent, quomodo habere dicimur febrim, cum illa nos habeat. *E contrario dicere debemus: Febris illum tenet. Eodem modo dicendum eſt: Divitiæ illum tenent.*

Equidem verum eſt, Fortuna apud ſapientem virum in ſervitute eſt, apud ſtultum in imperio. *Ut autem famem ſitimque depellas, non eſt neceſſe, ſuperbis liminibus aſſidere, nec ſupercilium grave, & contumelioſam etiam humanitatem pati.* Parabile eſt, quod natura deſiderat, ad ſupervacua ſudatur. *Venter moleſtus non eſt creditor, parvo dimittitur, ſi modo des illi, quod debes, non quod potes. Non tamen jucunda res eſt, aqua & polentà, aut fruſtum hordeacei panis; ſed ſumma voluptas eſt, poſſe capere etiam ex his voluptatem.* O quantum lacrymarum! ô quantum laborum exigit occupata avaritia! Quotidianas ſollicitudines ſi adjicis, *majore tormento pecunia poſſidetur, quàm quæritur.* Vtinam! qui divitias appetituri eſſent, primum cum divitibus deliberarent. Vtinam! honores petituri, cum ambitioſis & ſummum adeptis dignitatis ſtatum. Profectò vota ſua mutaſſent. Scilicet,

Ardua

a) *Seneca variis locis.*

a) *Ardua res hæc eſt, opibus non tradere mores,*
Et cum tot Crœſos viceris, eſſe Numam.

Magnus *Pompejus* cum tot flumina poſſideret in ſuo orientia, & in ſuo cadentia, mendicavit ſtillicidia, fame ac ſiti periit; *Rutilius* in exilio vitam finivit; *Cicero* clientibus ſuis cervicem præbuit; *Cato* gladio incubuit; *Dionyſius* regium ſceptrum magiſtrali toga permutavit. *Semper enim eſſe felicem & ſine morſu miſeriarum vitam tranſire, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem.*

b) *Ceſpes Tyrio mollior oſtro*
Solet impavidos ducere ſomnos.
Aurea rumpunt tecta quietem,
Vigileſque trahit purpura noctes.

Nemo alius Deo dignus eſt, quàm qui opes contempſit: ſæpius pauper & fidelius ridet, nulla ſolicitudine concutitur, ſemper in alto eſt: *maxima quæque bona ſolicita ſunt.* Hoc quidem fateor, *contra naturam eſt, torquere corpus ſuum, & faciles odiſſe munditias, & ſquallorem appetere, & cibis non tantum vilibus uti, ſed tetricis & horridis: quemadmodum res delicatas deſiderare luxuria eſt, ita uſitatas & non magno parabiles fugere, dementia eſt. Magnus ille eſt, qui argento ſic utitur, quemadmodum fictilibus.* Neque dubium eſt, quin major materia ſapienti viro ſit, animum explicanti ſuum in divitiis, quàm in paupertate. Quod inſigniter teſtatur Comicus:

Μακάριος ὅστις οὐσίαν καὶ νοῦν ἔχει.
Χρῆται γὰρ οὗτος εἰς ἃ δεῖ ταύτῃ καλῶς.

Igitur copioſum fortunæ apparatum, Adoleſcentes, nomini veſtrûm ſubtrahimus, quando ad bonam mentem virtutemque exercendam auxiliaribus pecuniarum copiis indigetis. Quam opulentiam ſi pio, ſi religioſo animo conjunctam acceperitis, eſt ſanè, quod infinitis exemplis humanitatem, miſericordiam ubique explicetis; ad

a) *Martialis.* b) *Seneca.*

multa præclara facinora inſtituenda domi foriſque cogitationem intendatis. Tali propoſito ſi Opes ultrò ad vos venerint, multis modis felicitatem veſtram deprædico.

Neque tam, Adoleſcens, de Virtute Ethnicâ commendationem nimis altas in animo tuo radices agere nunc velim. Quaſi verò tunc ſatis ad cœlum & ſalutem te promoveris, ſi aliquam externæ vitæ modeſtiam morumque humanitatem præ te feras; ſi in abſtinentiam, in frugalitatem & parſimoniam incumbas; denique ſi boni viri officia ſecundum præſcripta legum humanarum exequaris. Hæc ſpecioſa laudum ſunt ornamenta quare meritò priſca Philoſophorum diſciplina tam admirabilis, nos quoque ad exemplum trahat, ut priſcos Catones, Fabricios, Lælios, Scipiones in continentiâ & moribus noſtris exprimamus. Sed, tunc demum rem omnium nobiliſſimam effecturi, quando ſalutis illa anchora, PIETAS, omnes actiones veſtras moderatur. Non, quando oderitis peccare mali formidine pœnæ; ſed quando oderitis peccare boni Pietatis amore. a) *Vir bonus*, inquit Cicero, *invidet nemini, nocet nemini; homo frugi omnia rectè facit; in virum bonum non cadit mentiri, emolumenti cauſa criminari, præripere, fallere, Sancti Viri, & religionem colentes ſunt, qui meritum Diis immortalibus, gratiam juſtis honoribus, & meritis, & memori mente perſolvunt.* Longè alius eſt animus Deum Opt. Max. vera fide & Pietate proſequentibus. Qualem non Aſtræa aut Erigone in terris tradit; non apud Delphos è Tripode Apollo docet; non aliquis Iuppiter Hammon, aut Dea Egeria ex antro ſuo inſpirat. Sed cujuſmodi de ſolio cœleſti Sacroſanctus Dei SPIRITUS, fidelium animis inſinuat. Hæc, inquam, ſola eſt Pietas, ut omnes animi cogitationes ad Divini Numinis gloriam intendas; quicquid domi foriſque nego-

a) *Cicero variis locis.*

negotii inſtitueris, nunquam à ſacra illa amuſſi aberres; ut improbæ carnis deſideria, ingeneratamque naturæ malitiam, quantum per vires humanas poſſis, ſeriò emendes; ut lacrymis, precibus, ſuſpiriis apud Deum intercedas; ut cum Davide puras in cœlum manus extendas DOMINE, Æquitatis regulam tuæ duce

a) *Me, tui oris verba ſemper ore meditor ut meo:*
Illa longè chariora ſemper auro ut æſtimem:
Illa cogitem, illa ſecter, illa mirer unicè.
Illa nulla è corde noſtro deleant oblivia.
Da tua legi obſequenti vivere.
Da manu tua creato noſſe vim legis tuæ.

b) *Cur mihi rectum, ſceleriſque purum*
O potens rerum Genitor refinge,
Spiritum firmum renova novata
Cordis in aula.
Neu mihi avertas faciem, tuoque
Arceas vultus procul, auferaſque
Spiritum ſanctum, calida incitatus
Rurſus ab ira.
Tu viam vocis mihi pande mutum
Tu Deus lingua moderare plectrum.
Tum feram latè tua magna gentes
Facta per omnes.

c) Deus enim tibi totum eſt: ait Divus ille Pater. Si eſuris, panis tibi eſt? ſi ſitis, aqua tibi eſt; ſi nudus, immortalitatis tibi veſtis eſt. *O æterna veritas, & vera charitas, & chara æternitas!* Quicquid præter Deum eſt, dulce non eſt. Deus totus oculus eſt, d) *Deus ubique præſens, & vix inveniri poteſt: ſtantem ſequimur, & apprehendere non valemus.*

Ille: e) *Quumque volet, tumidoſque premit frangitque rebelles.*
Vt ficta fragili franguntur luto.

M 4 *Ille*

a) *Pſal.* 119. b) *Pſal.* 51. c) *Auguſt.* d) *Gregor.* e) *Pſal. variis.*

Illi non pecudum fibris, ſed mente litatur
Innocua. Aura tui jucunda favoris
Me ſuper irradiet. Sat amico te mihi felix.
Tu Deus, latus pietate vera,
Impii ritus ſcelus execraris.
O juſte vindex, cordis in intimo
Quem nil receſſu præterit abditum.
a) *Eſtque Dei ſedes, ubi terra & pontus & aër,*
Et cælum & virtus, Superos quid quærimus ultra?
Iupiter eſt, quodcunque vides, quocunque moveris.
b) *Qui terram inertem, qui mare temperat*
Ventoſum, & urbes regnaque triſtia
Divoſque mortaleſque turmas
Imperio regit unus æquo.

Illam, ad Superos quæ ducit, lacteam Pietatis viam, Adoleſcentes, olim Prophetæ & Apoſtoli tanto cum gaudio iniverunt: nihil quicquam cum illa divinarum legum ambroſia animique delectatione conferentes. Hoc Pietatis clypeo ſe involvit *Abrahamus*, cum à Cananæis opprimeretur; *Lothus*, cum ab improbis Sodomitis circumveniretur; *Ioſephus*, cum à fratribus ſuis pecunia diſtraheretur. Pietas perfugium fuit *Samueli*, inter impios Heli filios; *Eliæ*, inter Idololatras Ægyptios; *Tobiæ*, inter captivos. Pietas *Mardochæum* inter ſervos Ahaſſueri ſervavit; inter Scorpiones *Ezechiam*; in Leonum latibulis *Danielem*; Pietas *Davidem* toties contra Goliathum hoſteſque defendit; *Pharaonem* rubri maris fluctibus ſubmerſit; Madianitarum cohortes *Gideoni* obtruncandas dedit; Pietas *Antiochum*, *Sennacheribum*, *Achabum*, *Ieſabelem* digno ſupplicio mactavit.

Agite igitur egregiis animis, Adoleſcentes, florem veſtræ Iuventutis religioſo Dei cultui conſecrate; contra improbas ſodalitates divina virtute animos obfirmate; ad Chriſtianam Pietatem omnibus animi corporiſque viribus incumbite.

Hæc

a) *Lucanus.* b) *Horat.*

Hac itur ad certam ſalutem; hac ſuperas via pandit arces.

Tu inprimis, Ornatiſſime KERTMANNE: a) qui nunc à noſtra manu & inſtitutione ad publicam Academiæ palæſtram te confers. Age, inquam, ut cepiſti, & felicia Literarum auſpicia pulcherrimæ Pietatis coronide exorna. Quamdiu ſub noſtra fide & tutela ſtudiis humanioribus operam navaſti, probitate, virtute, diligentia cæteris omnibus præluxiſti. Quo animo ac virtute ſi porrò bonæ ſpei initia promoveris: eſt, quod olim demandatam tibi in Eccleſia Provinciam tuo merito gratulari poſſim. Nunc tui juris te facio, &, quo hactenus diſciplinæ ſacramento nobis devinctus fuiſti, libens lubenſque exſolvo.

Hoc poſtremum eſt quod te doceo.

b) *Diſce Puer Virtutem ex me, verumque laborem Fortunam ex aliis.*

Quod ſupereſt. Nobb. Ampliſſ. Spectatiſſ. D D. Audd. *Deum Opt. Max. ex animo precor, ut inclytam Belgarum ſalutem, & illuſtrem* ALCMARIÆ *Civitatem perpetuò tueatur ac conſervet; Veſtram pro communi Bono curam & cogitationes diu feliciterque ſuſpicit; Fidem, Pietatem in Templis adaugeat, Æquitatem, Iuſtitiam in Foro ſtabiliat; amorem, & concordiam inter cives conglutinet; noſtram denique Pubem, cum hac univerſa Doctiſſimorum Hominum corona ſingulari ſuo favore & benignitate proſequatur.*

DIXI.

Recitata quinque priores Alcmaria CIↃ. IↃCXLI. *Examine Paſchali.*

a) *Manumiſſio Diſcipuli.* b) *Virgil.*

Digitized by Google

ORATIO XXX.

GRAMMATICA.

CORNELIUS BACKER.
Alcm. Bat.

DIu eſt, *Nobiliſsimi*, *Ampliſsimi*, *Spectatiſsimi Domini*, a) quòd pro ſingularibus in nos collocatis beneficiis, nihil hactenus gratitudinis loco perſolvimus: Cùm tamen officii noſtri cumprimis fuerit, veſtram humanitatem illuſtri aliquâ gratiarum actione remunerari. Feciſtis omnia, Magnifici viri, ad Muſarum honorem eximia, nihil juventutis veſtræ bono facere unquam difficiles. Omni in loco apparet præclara in promovendam doctrinam cura & benevolentia. Publicè, privatim, ſub veſtris auſpiciis floret Gymnaſii noſtri fama, nihil ad decus & gloriam intermittentes. Præmia & honores ſi ſpecto, ſunt hæc inſignia; favorem & induſtriam erga bonas artes, eſt illa laudabilis & mirifica. Meritò vos AA. VV. ob tam præclara in nos merita, ſummis in cœlum laudibus efferendi, omnibus ingenii ornamentis apud poſteros deprædicandi. Et ne tenella puerorum ætas frigoribus hybernis contabeſceret; ne contra rigidos Aquilones ac cœli immanitatem manus menteſque obduraret, vos frigidam illi hyemem in molles calores & Batava quaſi tempe commutâſtis. Vivus nunc illic lucet focus fomeſque, ubi antea aut rigidæ cautes, aut pruinoſæ nives tam benignos Muſarum animos aſperrimo gelu frangebant. Quoquò verſum oculos circumfero, veſtri favoris ac benevolentiæ plena reperio veſtigia. Hi, inquam, ipſi parietes, muta hæc ſubſellia veſtram munificentiam candidè prolixeque teſtan-

a) *Beneficia illuſt. Senatus Alcmarienſis, in Gymnaſium.*

teſtantur. Quantò magis illi, quorum animi aliqua cognitione ac ſenſu imbuti, tantæ liberalitatis ſignificationem gratiſſimo obſequio complectentur! Hodiernus eſt dies, Auditores, quando de officina literaria aliquid ad aurium veſtrarum delectationem cum gratia referre poſſimus. Veſtræ porrò erit benignitatis, hoc tantillum noſtræ gratitudinis teſtimonium ſerena fronte, ac munuſculi loco, in primam debiti ſolutionem accipere. Cùm nihil veſtro merito dignius inveniri poſſit, quàm Muſis teſtibus, inclytam veſtri nominis gloriam, atque utinam! pari dignitate ad poſteros transferre. Ego, quod mearum eſſe partium Senatus Apollineus decrevit, GRAMMATICÆ perſonam ſuſtineo. Faciam ego pro virili mea parte, &, ne quid Sparta mea capiat detrimenti, cum induſtria providebo. Cæteri Collegæ, non dubito, quin pro ſuis quoque viribus ſuas quiſque perſonas maſculè ſuſtinebunt. Non me latet, quibus Argumentorum catervis ſtipatus incedat *Logicus*; quanta majeſtate ſuam provinciam defendet *Rhetorica*; quibus ornamentis atque copiis ſe efferet *Hiſtoria*. Non ignoro quàm magnifico vultu orcheſtriam intrabit flexanima *Poëſis*; quam ſuos toros atque lacertos, pro Capitolio Romano, acriter movebit ipſa domina rerum *Eloquentia*. Sed meum erit non ultra crepidam, & prima literarum elementa nunc ſapere. Quam Perſonam ut fortiter feliciterque ſuſtineam, veſtram H. A. opem & aures benigna cum venia imploro.

GRAMMATICAM me eſſe dixi. Cujus ſi laudem & decus intueamini, non Ego inter hominum extremos habendam me puto. Si Antiquitatem & familiæ decora, cum tot noſtri generis fumoſis imaginibus contemplemini, quis dignitate, amplitudine primam me neget? Princeps noſtræ familiæ ipſe Deorum *Mercurius*, qui feris ac barbaris hominum moribus ad rectam rationem com-

poſitis, primùm literas & verborum ordinem invenit. Aliorum verô ſi fidem ſpectetis, Principem Muſarum *Calliopen*, inter primos noſtræ gentis alumnos recenſeo; aut à priſco ævo *Cadmum* ſtemmatis noſtri egregium piumque fundatorem. Vultis ex ſacra pagina teſtimonium? Occurret *Moſes*, qui Hebraicas literas primus exaravit. Fuit excellens grammaticus *Adamus*, qui mea ope tam diverſæ indolis animalibus ſuum cuique nomen impoſuit. Hinc profanam adite Hiſtoriam, ubi centena occurrent exempla: quibus præclaram antiquitatis meæ laudem tueri poſſum. Reperietis in illo ordine Grammaticorum illuſtres *Ariſtarchos, Orbilios, Cæcilios, Pomponios, Valerios*; nunquam ſatis magna laude condecorandos *Priſcianos, Donatos, Dionyſios, Meliſſos*: quorum omnium tacitam venerationem, non ſine merito, in noſtræ proſapiæ ornamenta & gloriam traho. Illuſtris atque inclyta, Audd. mihi provincia, quam inter literatos obtineo, tot ſæculis & Scriptorum monumentis comprobatam. Auſim, profectò, hâc parte præ cæteris meis Collegis ad palmam contendere: quorum nec utilitas, nec ſeculorum vetuſtas cum mea unquam gloriâ conferri poteſt. Cupitis ad cæterarum artium ſimilitudinem me Grammatica componam? Quis ille unus, qui ad reliquas facultates perdiſcendas, ſine mea nunquam opera cum fructu pervenit? Quis non meis primùm rudimentis benè formandus, priuſquam ad graviora diſciplinarum ſtudia animum ſuum fideliter applicet? Ego omnium facultatum viva moderatrix, ſine qua non Logicus ſubtiliter diſſerit, non Orator diſertè unquam dicit. Ego quaſi rudem materiam, lapides ac cœmenta confero ad ſolidæ Eruditionis ædificium. Ego omnium Artium prima mortalibus in adminiculum, & mentis humanæ interpretem ſum data. Sine me nemo os aut linguam formare, non animi ſui ſenſa pro-

proferre, non in hominum commercio quidem vivere poteſt. Sine me mera Barbaries orbem terræ inundet, & priſca Vandalorum ignorantia à tenebris ſuis in lucem revertatur. Numquid unus in tota Rep. quid ſapere aut ſentire videtur, qui non meis quaſi manibus, ut lacte ſuo materno, ad illam politæ rationis habitudinem ſit productus?

Abſit, *Audd.* tenuium rerum gloria meam majeſtatem metiri nunc velim. Non de invento tantùm verbulo; de concinno ſyllabarum contextu, aut levi accentu formando tam ingentes ego criſtas tollo. Parum eſt vulgaris voculæ originem interpretari, nomen obſcurius aliqua luce explanare, difficultatem temporis, aut modi explicare, aut aliquot nominum origines ſine magno negotio recenſere. Quid amplius meis honoribus ego tribuo. Quantum eſt criticam illam falcem per omnem rei literariæ quaſi meſſem eruditè ſapienterque diſtringere? Quantùm eſt ſermonis puritatem in quacunque lingua ritè rectèque intendere? ſuis quaſi latibulis ac cavernis dictionis antiquæ proprietatem in apertum protrahere: ne cum bardis & barbaris ſemilatinè; cum ignaris literarum turpiter indoctèque hallucinemur, toties in regularum primos fontes ignominiosè impingamus. Quare non immeritò de *Pauſania* reliquit poſteritas, quando ille in ſolenni vocum pronunciatione fœdè laberetur, *Coquus* appellatus, *qui pretioſa obſenia malè condiret.* An unquam quid turpius viro literato accidere poteſt, quam cum pueris balbutire, & ſuam inſcitiam publica temeritate divulgare? Quàm poſſum meritò de multis condolere, miſera GRAMMATICA! quòd ita regni noſtri ac regularum obliti; ita genuini ſermonis omnem ſuccum & uſum cum cæterarum artium cognitionibus planè abjecerint. Penè eò res devenit, ut publico nunc ore ac more vapulem, quæ olim omnium prima, nunc pro derelicta ac poſtre-

poſtremis habeat. O miſeram ac deplorandam Grammatices conditionem! O noſtræ antiquæ gloriæ magnam labem! Digna ſum Ego perſona, quæ pluris apud literatos meritò æſtimer, & tandem poſtliminiò quaſi in integrum reſtituar.

Ne tamen exiſtimate H.H. Audd. quod ſic penitùs profligatam me putem, ut nullus aut vitæ ſpiritus, ſive ſanguinis gutta mihi ſuperſit: penes paucos tamen in gloria atque exiſtimatione adhuc integra vivo, nondum planè de tabulis ſublata. Hoc inprimis valdè acriter me mordet, quod in tot diſſidia & partes viva adhuc diſtrahar. Cùm niſi una exiſtam, & in tot tamen monſtra & tramites variè diſtorquear. Quot regna & oppida viator accedis, totidem penè numero novas Grammaticorum ditiones invenies. Una ſum ingenii Humani norma, unicum penè loquendi inſtrumentum, unum latentis animi veſtibulum, non tantis rerum regnorumque diſſidiis in partes ac fruſta diſrumpenda. Peccant in meas leges improbi Grammatiſtæ: qui tot inutilium præceptionum labyrinthis me implicant, qui indigeſta commentariorum mole ſic indignis modis juventutem excarnificant; in tot ambages ac errores me miſeram inducunt. Facilis & compendioſa ad doctrinam ſuam via, ſed niſi melioris ingenii viris una nota & adamata. Magis literatorum ore & præconiis, in optimis authorum fontibus, quàm in ſordidis atque impuris tot præſcriptionum pagellis reperiunda.

Agite H.A. antiquam illam gloriam, decus, dignitatem, libertatem GRAMMATICÆ imperio reſtituite. Sic inpoſterum non tam multos barbaros & bardos inveniemus. Ita novo luxu & fama priſcæ ſapientiæ ardorem in Belgii hoc Theatrum introducemus.

DIXI.

ORA-

ORATIO XXXI.

LOGICA.

ANDR. P. WINCKELIUS;
Monechod. Batt.

SI nomen & Perſonam Audd. quam ſuſtineo, ſcire cupitis, *Logica* ſum non contemnenda Philoſophiæ ſoboles. Sum ars artium, & diſciplina diſciplinarum: ſine quâ nullæ unquam artes indigna exiſtimatione floruerunt. Ego omnium Facultatum moderatrix rationi humanæ veram lucem & judicium affundo. Mea provincia tam longè lateque diffunditur, quàm patet uſus humanæ ſocietatis, nullis regionum terminis circumcludor, nullis ingeniorum anguſtiis circumſcribor. Omnia quæ in contentionem diſceptationemque veniunt, ſive illa re ipſa verè exiſtunt, ſive in rerum natura eſſe fingantur, meo una ingenio complector. Si penes rerum caliginem difficultas te involvit, ego prævia, ſicut faculâ rem ipſam ſub oculos adſpectumque pono. Si thema ſimplex argumentis declarandum; ſi quæſtio conjuncta rationum pondere firmanda, veritas aſſerenda, falſitas refutanda; ſi axiomatico, dianoëtico judicio utendum, Ego tot ſcientiarum ſola quaſi janitrix, facilem omnibus materiam ſubminiſtro. Ego præ cæteris omnibus artibus de quadam divinitate, & cœleſti afflatu meritò gloriari poſſum. Quæ longis intervallis reliquas facultates antecello, non circa rerum minutias occupata; ſed ipſam humanæ mentis poſſeſſionem veluti mea manu ingenioque complector. Et ſi aliquis tam agreſti judicio, qui me parum dignis laudibus afficiat, ferre patiente animo calumniam poſſum. Quorum in numero apud antiquos *Menedemus*, qui logicas argutias ſtolidè contempſit. Et cum *Diogene* Cynico

nico, *Polemo* Athenienſis Xenocratis diſcipulus, qui dialecticas ſpeculationes plane deſpexerunt. Inter illos Magarenſis ille *Euclides*, qui platonis διατριβὴν κατατριβὴν, & χολὴν χολὴν, appellavit. Sed facilè calumniantium ego linguam jam dudum tolerare didici, imprudens ſanè mei honoris æſtimatrix, ſi ad minutos illos canes animi mei conſtantiam proſtituero. Quid opus meæ familiæ longam vobis ſeriem enumerem? cùm potior ego humani ingenii ſim particula. ſine qua nec cætus mortalium conſiſtere, neqne hoc ipſum univerſum diu in rerum natura eſſe poſſit. Tota Philoſophorum antiqua ſchola meam provinciam magnopere commendat. In qua omnium doctrinarum Principem *Platonem*, *Socratem*, *Ariſtotelem*, *Carneadem* recenſeo. Ex illâ divinarum mentium officinâ prodierunt immortalitate digni *Chryſippi*, *Zenones*, *Cleanthes*, *Protagora*: quorum divinâ Philoſophorum authoritate; non mirum, ſi mea dignitas tutiſſimè ſemper nitatur.

Quò minus dubito, *Audd.* de veſtrâ erga LOGICAM Perſonam benevolentiâ, quâ hac horâ me dicentem benignis auribus proſequemini. Quantum poſſum, ab antiquis philoſophis traditam diſciplinam omni Marte ingeniique viribus protegam atque defendam. Quod dum facio, quæſo, veſtras mihi aures animoſque benigne accommodate.

Quod initiò ad meas potiſſimum laudes plurimum conducere judicavi, nequicquam dubitare de illo vos putem. Ipſa divinæ mentis ſum imago, non niſi cœlitùs humano pectori innata. Cum ſine meo ductu & auſpiciis nulla in mortalibus ratio, nulla in rebus prudentia, nulla vis ac moderatio inveniatur. In Curiis; in Roſtris leges & jura præſcribo; in Templis, in Scolis conſilium impertior, virtuti, religioni ſuum fundamentum ſubminiſtro. Nihil unquam ab homine lauda-

laudabile, ac præclarum proficiſci poteſt, quod non à mea incude ac provincia primùm promanat. Vis populum ab errore ad virtutem & gloriam impellere? Magiſtram veritatis me profiteor. Vis ſapientiæ pharmaco conſilia temperare? adſum provida tantarum rerum moderatrix. Vis naturam rerum in quavis facultate atque artibus exprimere? hoc totum, quod certè maximum eſt, totum hoc, inquam, mei juris ac provinciæ. Quare non immeritò Philoſophi me ὄργανον, & inſtrumentum rationis vocarunt. καὶ λόγον ἐν τῇ ψυχῇ, artem bene diſſerendi, de rebus ſingulis bene judicandi. quæ omnia circa rectam methodum compone: ne quid indecente forma ac ſtructura collocatum, ingenii rectum ordinem interturbet. Si quid in cæteris artibus præclarum exiſtit; ſi quam laudem Orator conſequitur: ſi Poëta delectare aut prodeſſe volet, nihil ſine Logices adminiculo laude dignum efficiet. Si opus eſt rem à tenebris eruere, mentem in rerum intellectum dirigere, Ego inſtrumenta inventionis ſuppedito. Si ab internis cauſis res definienda, ſive in partes eſſentiales dividenda, Ego meam amuſſim ac perpendicula examinandæ veritatis in uſum confero. Si adverſarius vi argumentorum conſtringendus, aut opinionum falſitas refutanda. Ego arma & machinas ex logico illo armario depromo. Ne *Platonis ille Gallus Gallinaceus* ex perperàm poſita definitione animal rationale in ſcenam prodeat, meis præceptis ſapienter prohibeo. Omnibus in rebus modum ac methodum pono, non latum unguem extra veritatis ſapientiæque terminos excedens. Quicquid magnificè orator apud Populum dicit, meis inſtrumentis hoc ipſum intendit. Quicquid unquam plauſum ac benevolentiam promeruit, hoc omne mea opera innititur. Intuere omnes Rhetorum & Oratorum actiones, nunquid uno Logicæ artificio tot volumina & ſcripta conſtant?

ſtant? ô præclaram Logicæ notitiam! ô nunquam ſatis merita laude deprædicandam humanæ mentis moderatricem! Tu illa benigna mater, quæ reliquis artibus tuum nutum & genium inſpiras; quæ facilitatem in docendo, lucem in dijudicando, voluptatem in meditando adfers. Qua arte ſi quis miſerè deſtitutus, fruſtra reliquas diſciplinas pertractat. ille, quaſi meliore ſpoliatus manu, nulla in cæteris ſcientiis cum dexteritate verſatur. Ubique in ſcriptis, in dictis, in verbis factiſque obſcuritas & caligo. At Logicum ſi habes oculum, nihil invita Minerva ad ſummum uſque faſtigium & decus magnificè producis. Jejuna eſt ſemidoctorum turba, quæ ad frivolas frigidaſque diſceptationes, & ad lanam caprinam, ut dici ſolet, me miſeram ablêgant. Quaſi in contentionibus & jurgiis una meam operam ſolidè deponam. Et penè nihil meo pomærio determinem, quàm Syllogiſticas illas anguſtias, ac dumeta ſophiſticationum. Pudeat Logicæ præſtantiæ majeſtatem ad tam ſteriles nugas tanquam ignominioſum carcerem detrudere. Alia doctiſſimis viris de nobis ſententia: quibus ſal & medulla omnium diſciplinarum meritò vocamur. Atque utinam! non in illam partem plurimi hoc ævo peccent, qui melioris Logices uſus ignari, ad inutiles diſceptatiunculas juventutem magno cum detrimento propellunt & pulchrè logicum eſſe arbitrantur, quod ſola altercatione verborum conſiſtit. Magis ingenii ille impetus, & quidam igneus naturæ ardor, quàm ab uſu atque arte promanans ſcientia. Tantò magis eſt *O. A.* quòd doleam de Academiarum pernicioſa conſuetudine: quando divinam Logices perſonam in tot turbas & tumultus dividunt, tanquam in exitialem ſui ruinam. Hi *Peripateticorum titulis* ac principatu ſuperbi, immane! quantas Categoriarum, Prædicamentorum copias in medium bellum & aperta odia producunt. Iſti *Ra-*

maa

Digitized by Google

maa nobilitate inſignes, nihil niſi rerum ſuarum ſui, nihil niſi de ſua ſecta ac incude provenerit, in aliquo pretio & dignitate ponendum arbitrantur. Quaſi verò hoc ipſum Logicæ Majeſtatis, ad unius alteriuſve Philoſophi cerebrum ſe componere. Odi illa ſchiſmata & nugas: de quibus Vos Scholaſtici ſic invicem hoſtiliter depugnatis. *Amicus mihi Socrates, amicus Plato, magis amica veritas.* Multùm de meo jure in *Ariſtotelem*, multa in *Chryſippum* & *Cleanthem* contuli. non tamen ſic inops & anguſta, ut non aliis quoque magnam mei copiam efficere potuerim. Componite veſtra diſſidia pugnaces *Peripatetici*, & rurſum in pacis fœdera deſcendite. Non tantum agri montiumque interjacet, ut non facilè componi poſſit tam monſtroſa ac prodigioſa animorum disjunctio.

Hoc unum à vobis optem, *Nobiliſſimi Domini*, nominis mei dignitas priſco ſuo nitori reſtituatur.

DIXI.

ORATIO XXXII.

RHETORICA.

JACOBUS ab OUDESTEYN, *Alcm. Batt.*

SUm *Rhetorica HH. Audd.* cæterarum Artium facilè princeps. Quæ longè ſupra Grammaticorum regna & literas; ſupra Logicorum illos fumos fineſque imperii terminos protendo. Cum nihil in Grammaticorum finibus, aut Dialecticorum pomœriis contineatur, quod non meis uſibus & quaſi famulatui ad nutum & juſſa inſerviat. Igitur non iniqua comparatione uſi ſunt veteres, quòd Logices anguſtias cum ſimplice clauſaque manu, me verò cum ampla dilataque contulerint. Nihil eſt, quod *Grammaticorum* laudi quicquam

quam derogem aut invideam:quorum etiam operam pro magna parte uſurpo ſed tenuia hæc organa, & inſtrumenta levium verborum, quibus meam majeſtatem tanquam fido ſodalitio circumſtant. Abſit *Dialectica* beneficia non optimo jure agnoſcam? à quo primo fonte ratio & oratio noſtra proficiſcitur;unde pulcherrimam tot rerum inventionem deſumo; unde tot præclara, ſive ad explicandam rerum naturam, ſive ad varii thematis demonſtrandi veritatem argumentationes in auxilium depromo. At verò nihil aliud quàm ancillatrices mihi manus porrigunt: quas in miniſterium Rhetoricæ prudentiæ adhibeo. Mea præcepta ſi excutias. *Adoleſcens*, quid illis commune cum Grammaticorum vilibus perſonis, numeris, caſibus, modis? Et quod cætera ſervile pecus benè loquendi ſcientia ſuis latibulis involvit. Quid meis ornamentorum luminibus cum puſillâ argumentorum affectione; cum anguſtâ rerum *definitione ac diviſione*; cum nudis *Syllogiſmorum* terminis; cum ineptis *Converſionum*, *oppoſitionum* præceptis? nihil ad meam provinciam *Prædicabilium* per tot *genera* & *ſpecies* apparatus, nihil tot *Homonyma*, *Synonyma*, *Homogenea*, tot *æquipollentia*, tot *prædicamenta*, *poſtprædicamenta*, tot obſoleta ac ſemibarbara vocabula, *identitates*, *idoneitates*, *ſubalternitates*. Ego ad divinam formandam Eloquentiam omne meum opus ſtudiumque converto. Vis præclaram Principis aut Philoſophi perſonam illuſtri laude commendare; Ego illuſtres dicendi formulas ſubminiſtro. Sive aliquam virtutem, ſive nobilem actionem merito præconio uſque ad cœlos attollere? Ego copiam argumentorum ſuppedito, Vis cauſarum in foro Patronum agere, in juvandis innocentibus,in defendendis reis,in purgandis miſeris, in improbis accuſandis, in adulteris, in legum aut æqui detortoribus puniendis caſtigandiſque rationum momenta & pondera? Ego illorum

illorum plenam officinam promo. Vis ad virtutem perſuadendam, ad vitia erroreſque diſſuadendos utilia remedia? apud me abundè hæc reperies. Ego una artium regina, quæ in animis hominum mirabiles effectus & affectus produco; quæ ad lenitatem, ad miſericordiam, ad iram & odia intimos mortalium ſenſus commoveo; cui uni in mea quaſi manu omnis ratio voluntaſque humana conſiſtit.

Non dubito *O. A.* cùm de mea nunc præſtantia & laude verba faciam, quin me quoque benigniſſimis auribus ad favorem gratiamque veſtram admittetis. Peto, eâdem vos benevolentiâ artium Reginæ, Rhetoricæ, obſtringite, quâ paullo ante Grammaticæ & Dialecticæ perſonas benignè patienterque audiviſtis.

Quod initiò, ſine jactantiâ tamen, gloriari de dignitate meâ ſum aggreſſus, neminem ego veſtrum ſiniſtrè interpretari ſcio. Sive uſum, ſive perſonæ meæ Majeſtatem intueamini; mirum humano generi ad prudentiam ſum inſtrumentum. Cum enim reliqua omnis inſtitutio, aut circa rerum minutias verſetur, aut non adeo inter artium Principes numeranda, Ego ſanè potiorem perfectæ Eruditionis laudem, omnibus abſolutam numeris meo ſolo merito perficio. Anne aliquis verſari in Rep. egregiè poteſt; de magnis rebus ad populum eleganter dicere, vel quicquam oratoriâ gravitate magnificè in ſcenam producere, quod non ego ad vivum lineamentis artificiosè præſcribo? Sine me non Curia, non comitia, non templa, non forum in tuto unquam ſubſiſtunt. Omnes ego officiorum ordines ad decus & præſtantiam informo. Quid agat in publico cœtu Dei legatus, niſi â me verborum & rerum pondera poſtulet? Quid in Roſtris aliquis Roſcinus, ſi non per mea veſtigia laudabilis Orator incedat? Quid in Cauſidicorum ſolenni Theatro legum ille conſultus

ſultus Advocatus, niſi meæ *vocis glorioſa confiſus munimine, laborantium ſpem, vota & poſteros defendat?* Tolle de medio Rhetoricam, rejice benè dicendi præcepta, nihil ad meum præſcriptum ac normam age; quàm cætera omnia brevi momento peritura, per omnem Reip. faciem propediem animadvertes. Quodcunque olim laudis in Romana Rep *Cicero*, apud Athenienſes *Demoſthenes* & *Pericles* retulerunt, hoc omne meis inſtrumentis ac laudibus unicè acceptum ferunt. Quare hæc tanta de me pollicear, quæritis? Sermonis elegantia, verborum ſucco & ſanguine, figurarum toris & lacertis, hoc tantum opus ac negotium adminiſtro. Non nudis verborum numeris gloriam quæro, non in triviali oratione, aut ante pedes poſito ſermone pretium aliquod repono; ſed in ſublimium rerum inventione ac dicendi lautitie materiis accommodata plurimum decori ac ornamenti ſitum eſſe judico. Amo præ ceteris oratoriæ artis inſignibus *Allegoricam* dicendi venuſtatem & illuſtrium Troporum continuationem. Adeo ut ipſam *Hyperbolen* non exilis ingenii affectum in potiores mihi laudes adſcribam. Quid enim jucundius humano generi eſſe poteſt, quam, quæ ante pedes poſita, tranſilire, & aliò cogitationes noſtras deducere, quo precariò, non vi veniſſe videantur: Quid ſuavius, quàm dulci Troporum harmonia, quàm illo quaſi Muſicæ concentu aures auſcultantium afficere? Quid magis in animum Auditoris penetret, quàm ſæpe à nativa ſignificatione cum quadam prudentia deflectere, non tamen à ſano judicio & propoſito quicquam aberrare? una *Metonymia Efficientis* aut *Materiæ*, quid non aculei in pectore relinquit? Divina *Metaphora* quot machinis curioſæ elegantiæ aures animoſque expugnat? prudens pudenſque *Ironia*, ſi ſumpta cum ratione ac lepore, quàm mentis penetralia, & ſecretos animorum receſſus pervadit? Ne quid
de

Digitized by Google

de *Synecdochica* jucunditate hoc tempore nunc dicam, ad amœnas dulceſque verborum dimenſiones, quas *Dictionis Figuras* appellant, rectà me confero. Hic in Hyblam, aut ipſum Parnaſſi montem rapi me videor, tanta meis auribus oggeritur voluptas. Non Muſicus ille cantus, non avium citharæque ullus concentus ſic me unquam lepidè afficiat, quàm illa per tot Figurarum inſignes modos acris & jucunda verborum reciprocatio. Sola illuſtris *Anaphora*,

a) *Te dulcis conjux, Te ſolo in littore ſecum,*
Te veniente die, Te decedente canebat,

quid non luminis orationi adfert! una *Ephanalepſis*,

b) *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.*

quàm in audientium animos ſe inſinuat! Admiranda *Epizeuxis*,

c) *Ipſa ſonant arbuſta Deus, Deus ille Menalca,*

ut nihil de cæteris nunc dicam, quàm illa jucundam auribus euphoniam relinquit! Quando verò in ampliſſimum dicendi campum, ad integras *ſententiarum Figuras* me confero. ipſa meum artificium ſatis dignè, ac pro merito laudare non poſſum. Vt in illis benè dicendi præceptis viva affectuum imago relucet! quàm hic magnum prorſus animi commovendi inſtrumentum? Modò *admirationis*, modò *deſperationis*, modò *optationis*, *irriſionis*, *indignationis*, *commiſerationis*, manifeſtis coloribus patet exemplum. Si in Capitolio Romano ad *Iovem Statorem*, ad priſcos *Catones*, *Serranos*, *Fabios*, ſive ad *Manes Muſaſque* transferendus ſermo, *Apoſtrophe* te docet. Si refrenandus ab inſtituto propoſito animus, adeſt ardoris illa refrigeratrix *Epanorthoſis*: Si inchoatæ ſententiæ revocatione eſt opus, *Apoſiopeſis*, adminiculum dabit. Vis aliquem ex antiquis à mortuis ad vivum revocare, rebus inani-

a) *Virg.* b) *Idem.* c) *Idem.*

Digitized by Google

ſultus Advocatus, niſi meæ *vocis glorioſa confiſus munimine, laborantium ſpem, vota & poſteros defendat?* Tolle de medio Rhetoricam, rejice benè dicendi præcepta, nihil ad meum præſcriptum ac normam age; quàm cætera omnia brevi momento peritura, per omnem Reip. faciem propediem animadvertes. Quodcunque olim laudis in Romana Rep *Cicero*, apud Athenienſes *Demoſthenes* & *Pericles* retulerunt, hoc omne meis inſtrumentis ac laudibus unicè acceptum ferunt. Quare hæc tanta de me pollicear, quæritis? Sermonis elegantia, verborum ſucco & ſanguine, figurarum toris & lacertis, hoc tantum opus ac negotium adminiſtro. Non nudis verborum numeris gloriam quæro, non in triviali oratione, aut ante pedes poſito ſermone pretium aliquod repono; ſed in ſublimium rerum inventione ac dicendi lautitie materiis accommodata plurimum decori ac ornamenti ſitum eſſe judico. Amo præ ceteris oratoriæ artis inſignibus *Allegoricam* dicendi venuſtatem & illuſtrium Troporum continuationem. Adeo ut ipſam *Hyperbolen* non exilis ingenii affectum in potiores mihi laudes adſcribam. Quid enim jucundius humano generi eſſe poteſt, quam, quæ ante pedes poſita, tranſilire, & aliò cogitationes noſtras deducere, quo precariò, non vi veniſſe videantur: Quid ſuavius, quàm dulci Troporum harmonia, quàm illo quaſi Muſicæ concentu aures auſcultantium afficere? Quid magis in animum Auditoris penetret, quàm ſæpe à nativa ſignificatione cum quadam prudentia deflectere, non tamen à ſano judicio & propoſito quicquam aberrare? una *Metonymia Efficientis* aut *Materiæ*, quid non aculei in pectore relinquit? Divina *Metaphora* quot machinis curioſæ elegantiæ aures animoſque expugnat? prudens pudenſque *Ironia*, ſi ſumpta cum ratione ac lepore, quàm mentis penetralia, & ſecretos animorum receſſus pervadit? Ne quid
de

de *Synecdochica* jucunditate hoc tempore nunc dicam, ad amœnas dulceſque verborum dimenſiones, quas *Dictionis Figuras* appellant, rectà me confero. Hic in Hyblam, aut ipſum Parnaſſi montem rapi me videor, tanta meis auribus oggeritur voluptas. Non Muſicus ille cantus, non avium citharæque ullus concentus ſic me unquam lepidè afficiat, quàm illa per tot Figurarum inſignes modos acris & jucunda verborum reciprocatio. Sola illuſtris *Anaphora*,

a) *Te dulcis conjux, Te ſolo in littore ſecum,*
Te veniente die, Te decedente canebat,

quid non luminis orationi adfert! una *Ephanalepſis*,

b) *Multa ſuper Priamo rogitans, ſuper Hectore multa.*

quàm in audientium animos ſe inſinuat! Admiranda *Epizeuxis*,

c) *Ipſa ſonant arbuſta Deus, Deus ille Menalca,*

ut nihil de cæteris nunc dicam, quàm illa jucundam auribus euphoniam relinquit! Quando verò in ampliſſimum dicendi campum, ad integras *ſententiarum Figuras* me confero, ipſa meum artificium ſatis dignè, ac pro merito laudare non poſſum. Vt in illis benè dicendi præceptis viva affectuum imago relucet! quàm hic magnum prorſus animi commovendi inſtrumentum? Modò *admirationis*, modò *deſperationis*, modò *optationis*, *irriſionis*, *indignationis*, *commiſerationis*, manifeſtis coloribus patet exemplum. Si in Capitolio Romano ad *Iovem Statorem*, ad priſcos *Catones*, *Serranos*, *Fabios*, ſive ad *Manes Muſaſque* transferendus ſermo, *Apoſtrophe* te docet. Si refrenandus ab inſtituto propoſito animus, adeſt ardoris illa refrigeratrix *Epanorthoſis*: Si inchoatæ ſententiæ revocatione eſt opus, *Apoſiopeſis*, adminiculum dabit. Vis aliquem ex antiquis à mortuis ad vivum revocare, rebus inani-

a) *Virg.* b) *Idem.* c) *Idem.*

Digitized by Google

inanimatis ſenſum aut tactum tribuere, objurganti Catilinam Patriæ perſonam imponere? *Proſopopœia* in tui laboris partem veniet: Sed

a) *Intererit multum Davuſne loquatur Heruſve,*
Maturuſve ſenex, an adhuc florente juventa
Fervidus, an Matrona potens, ac ſedula nutrix,
Mercatorve vagus, cultorve virentis agelli,
Colchus an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis.

Quid eſt, rudis Sycophanta, quod Rhetoricæ illa ornamenta ac *μυρεψικὰ κολακείας* ϗ *γοητείας* accuſas? Quaſi indigna Rep. ſim perſona, quæ inprimis in benè moratâ civitate nihil ad uſum fructumque adferam. Vanus te error induxit, *Plato*, cùm Græciæ Rhetoribus iratus hoc odium indixiſti. Quam vos artem Romani veſtra primùm urbe indignis modis expuliſtis, tandem majore cum pompâ in civitatem revocaſtis. Quoniam rudes & imperii Auditores nunquam melius faciliuſve, quàm Rhetoricæ ornamentis ad vivam virtutis imitationem incenduntur. Si barbaræ nationes atque Turcæ vim meam ignorarunt, Reges Principeſque ſummis me laudibus affecerunt. A mea diſciplinâ prodiit *Gorgias Leontinus*, *Iſocrates Athenienſis*, *Ariſtoteles*, *Thraſymachus*. Meis præceptis ad oratoriam perfectionem pervenit *Demoſthenes*, *Cicero*, & Homericus ille *Neſtor*, de quo maximus vates: *καὶ ἀπὸ στόματος μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή*. Pudet, Audd. pudet de meis amplius præconiis numeros & verba facere. Dicam brevibus, quod in rem & laudem facit. Solida Eloquentia; quæ teſte Cicerone, *pluris eſt, quàm univerſa juris cognitio*, meis quaſi humeris tota innititur. Illa, inquam, copiosè atque ornatè loquens ſapientia, meis primum incunabulis ad laudem & gloriam enutrita.

Vos *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi Audd.* cupidas mihi manus injicite, & porrò, quod facere præclarè ince-

a) *Horat.*

Digitized by Google

incepiſtis, me à priſcis Vandalorum tenebris ad nova Auguſti tempora reducite.

DIXI.

ORATIO XXXIII.

HISTORIA.

SIMON van VEEN,
Bruco-Batt.

PRobo, *Chariſſimi Commilitones*, probo veſtram de literarum ſtudiis præclaram ſententiam qui cum ſingulari benevolentiâ pro ſua quiſque Sparta magnificè verba feciſtis. Et quod potiſſimùm magna hilaritate me perfudit, ſuum cuiq; decus & laudem candidè ac intactam relinquitis. non in alienam meſſem temerè, aut inconſultò irruentes. Pari honôre ac conſtantia pro ſua quiſque dignitate ac imperio nobilem contentionem ſuſcepiſtis. Non minus adverſus calumniam armata tuis eloquiis, *Grammatica*, quàm aut tu, contra tuos hoſtes, pro ſimplice defendenda veritate, *Logica*; aut tuis Troporum Figurarumque communita ornamentis pulcherrima *Rhetorica*. Patiamini, Collegæ, non iniquis auribus, quòd de mea quoque laude ac dignitate hoc loco verba facio. Non minùs ego in propriis meis laudibus aſſerendis ambitioſa, quàm vos in veſtro decoro ac dignitate conſervanda religioſi. Illud potiſſimùm inter noſtras diſciplinas diſcriminis, quòd vos aut circa nuda literarum receptacula ſive jucundas verſamini elegantias: Ego circa nobiliſſimam tot rerum factorumque fidem aſſiduè ſim occupata. *Ego*, Cicerone teſte, *temporum teſtis, lux veritatis memoria & magiſtra vitæ, nuncia veritatis: ſine qua nec* vos antiquitatem veſtri generis comprobare, nec dignitatem tanti muneris ſuſtinere poteſtis. Penes me ſolum omnis literarum memoria, ac

N tem-

Digitized by Google

temporum veritas, tanquam perpetuum hujus univerſi cuſtodem conqueſcit.

Abſit verbo invidia, & vos, qui cæteris Artium patronis benignam aurem præbuiſtis, mihi quoque benevolentiæ veſtræ copiam non inviti concedite. Dicam nibll ultra magni nominis menſuram, & proba verborum fide, veſtræ, ut ſpero, attentionis fidelem operam mihi demerebor. Faxim ego brevi penicillo, ut præſtantiſſimi pictores ſolent, res longè maximas complectar. Vos qui corporibus hîc adeſtis, etiam animis auribuſque paulum quæſo, commoremini.

Si per omnem humanæ vitæ ſcenam, & inprimis veteris ævi præclara monumenta meos oculos circumfero, nihil ab omni parte magis ingenium movet, quàm illa uſque à primis mundi incunabulis ſic infinitarum rerum admiranda commemoratio. Quæ ſi omnia unus è mortalibus ſolus ſua recordatione aſſequatur, non dubium, quin prudentiæ illud faſtigium humanis viribus non ſine miraculo apprehenderit. Sic Ipſa ſententiam nunc ſero quæ ubi in receſſu divinarum mentium me ſemel abdidero, non parvam illis ſui nominis claritatem relinquo. Equidem tanta eſt præteritorum temporum reverentia, tanta rebus præclarè geſtis ſapientiæ ineſt divinitas, ut immane quantum! mentem & cogitationem noſtram planè excedat. Quod cùm oratorum Princeps non ignoraret, me ſpeculum vitæ humanæ appellavit. Atque eâ ratione *Hiſtoria* vocabulum ἀπὸ τῦ ἱςασθαι τὰ ὁρώμενα deductum, quaſi me *ſeuſatam rerum omnium cognitionem* dixeris. Et meritò hoc nomine æternam laudis gloriam ſum aſſecuta: Cum nihil à mundi jactis initiis dictum factumque ſit illuſtre, quod non recente ſemper memoria mecum circumfero. Quod unicum rerum humanarum faſtigium abſolvit, Tempus, meo hoc nutu memoriaque totum poſſideo. Sum pacis ac bellorum

rum Magiſtra, ſum legum ac judiciorum interpres, ſum virtutum & vitiorum vera effigies, omnium rerum ac factorum promptuaria quadam cella. Si optimis conſiliis Reſp. regenda, ſi quoque modo vitæ actiones inſtituendæ, à me opem ac materiam implorate. ſi bellicæ fortitudinis exempla ad æmulationem deſideratis, affatim hæc ſuggero. Si diſponendæ acies, diſtribuendi ordines, præcepta dabo. Si præclaræ virtutis teſtimonium cupitis, in promptu habeo. In quemcumque morem formamque te cogis, ad quæ animum unquam novitius adjungis, dabo in omni rerum genere manum adjutabilem. Præmia & honores virtuti reſervo, ſupplicia malè merentibus. In nulla vitæ functione honeſtè ſapienterque verſari potes, niſi meo exemplo ac manuductione ad omnia præclara te accinxeris. Adſpice tot gentium diverſos mores ſub utroque ſole. *Aſiam & Africam* tua cogitatione pervade. Si non periculoſis pelagi jactationibus illò terrarum te confers, efficiam ego ut levi opera, mundi miracula domi tuæ ſolitarius inſpicias. Quicquid olim vel noviter geſtum mea fideli interpretatione conſequeris. Veterum *Hebræorum* Remp. ſacra pagina te docet. *Aſſyriorum* ſub *Nimbrodo*, ſub *Nino*, & *Belo* fortuna quæ fuerit, commemorat Hiſtoria. Quis ille ſub *Medorum* dominatione *Arbazes*; *Chaldæorum Balthaſar, Babyloniorum Nabugdonoſor, Salmanaſſer*, refert Hiſtoria. Sub *Perſarum Monarchia*, qui Reges Principeſque exſtiterint, ignoras? Chronologus te docebit: ubi de *Cyro*, de *Cambyſe, Dario, Artaxerxe* res olim præclarè geſtas pleno calamo perſcribet. *Antiochos, Demetrios*, in *Syria*: *Artabanos, Mithridatas* inter *Parthos*; *Ottomannos, Bajazethas, Amuratas* inter *Turcas*; *Tamurlanos* inter *Tartaros*; *Oſiridas, Pſammetichos, Pharaones* inter *Ægyptios*. Inde ad *Macedonicum* te confer *imperium*; ubi in occurſum habebis *Archelaos*, *Perdiccas*, *Amyntam, Phi-*

lippos, *Alexandros*. Hinc ad *Romanos* rerum dominos gentemque Togatam oculos converte. illorum originem â Trojanis ſub *Dardano*,, ſub *Ilo*, & *Priamō* videbis. Apud *Latinos* cum imperio fuiſſe *Æneam*, *Sylvium*, *Aſcanium*, *Capyn*, *Remum*, *Æmylios*. Non dicam hoc loco de *ſeptem* Romanæ *infantia regibus*: qui in ducenteſimum annum cum imperii inſignibus fuêre. Taceo de *adoleſcentia*: quæ ſub *Conſulibus* annos quadringentos plus minus exegit. Prætereo *floridam* ac *virilem* illam imperii *Majeſtatem*: quæ ſub *Imperatoribus* totidem penè annos excurrit. Quæ ſingula, multoque uberius, in illuſtrium Hiſtoricorum monumentis tanquam in viva quadam imagine expreſſa videbis. De Græcis *Thucydidem*, *Zenonem*; de Romanis, *Livium*, *Salluſtium*, *Florum*; de Germanis *Tacitum*; de Venetis *Bembum*; de Gallia *Cæſarem*; de Bohemia *Sylvium* percontare. Quos ſi omnes curioſis oculis manibuſque frequentaveris, nihil unquam ad animi tui delicias paſtumque deſiderabis. O planè divinam Hiſtoriæ majeſtatem. O virtutis ingeniiq; admirandam conſervatricem! Dicite, amabo, dicite, quid hujus vitæ communis hic uſus ſine præteritorum temporum fida commemoratione? ſine prudentiæ illo ſacrario; ſine divina Annalium contemplatione? ſine fidei ac veritatis propagatrice Hiſtoria? Fruſtra ad virtutem & fortitudinem acris inſtituitur perſuaſio, niſi majorum exempla huc te vocent. Fruſtra in bellum ac arma deſcendis, ſi non ferrum & aciem, quàm ſubdolam cum hoſtibus pacem retinere, magis commendet antiquitas. Præmia & honores, quos alii virtuti ſerviendo ſunt meriti, ſimili conſtantia ad parem arenam nos ducunt. Cur ſtudiorum acerbitate frangendus animus, niſi aliorum induſtriam perpetuo marmore & nunquam intermoritura fama penſatam ſciremus? Cur utrumque ſolem *Batavus Neptunus* tam cupido animo intendat, ſi non
Typhin

Tiphyn, Iaſonem, Heemskerkos, Hernios, Trompios, cæteroſque per immenſum Oceanum *Palinuros* in exemplum ſibi proponat? Quid poſteri nos omnes Deo & pietati religiosè inſerviamus, qui Chriſtiana fide firmiter innitamur, ad pulcherrimas vitæ actiones tanto cum ſpiritu contendamus, ſi non ſacro utrinque *Codice* & infallibilibus *Annalium* tabulis ad æternam in cœlis ſalutem divinitus invitaremur?

Parum Ego utilitatis ponderiſque *Audd.* in mortale genus conferre vobis videor; & nimis hoc loco pro re mea buccinatricem agere? Facite, & omnium literarum monumenta una de mundo ac medio tollite. Solem in cœlo occidere videbitis, & niſi meram atramque noctem, cum denſiſſimis ignorantiæ nebulis mortalium animos invadere. Iacebit in tenebris veneranda Majorum memoria, nulla lux veritatis, nulla antiquis temporibus fides erit. Omnia juxta calliginoſæ mortis ſilentium æſtimanda. nihil quàm antiquum chaos & Cimmeriam Vandalorum noctem extimeſcentes. Quis rerum teſtimoniis ſuum illuſtre facinus. in tanta ſeculorum ruditate commendet? Quem ulla legum reverentia ab adulteriis, rapinis, furtis, homicidiis & violentia ad jus & æquum revocaret? Quis non ferino ac beſtiali more ad ventris Veneriſque voluptatem omnia conferat? ſi ſublato virtutis exemplo, mea providentia & cura pro nihilo duceretur. Quare non immeritò *Themiſthocles* interroganti, cujus vocem libentiſſime audiret, reſpondit: *Ejus, per quem meæ laudes optimè canerentur.* Neque quiſquam eſt, inquit Cicero, *tam averſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facilè præconium patiatur.* Per me ſolam in ſempiterna, verſantur gloria fortiſſimi *Sciſpiones Martelli, Catones, Fabii. Luculli, Pompeji*, & noſtra patrumque memoria illuſtres *Naſſovii*. Per me æternam memoriam conſequuntur ingenioſi

Poëtæ, Magnifici *Oratores*, *Philoſophi*, *Iuris Conſulti*, *Medici*, *Theologi*. Omnis denique literarum & virtutum immortalitas, niſi meo ingenii alite ad ſeram poſteritatem propagatur.

Sed, quid Ego tam gravem perſonam induco? hoc inprimis Clariſſimorum hominum cætu? qui plenis ſuffragiis in meam quoque ſententiam toti jam dudum deſcendiſtis. Neque unquam quiſquam veſtrum ad illud honoris famæque auſpicium veniſſet, ſi non majorum admonitus memoria; ſi non temporum teſtis Hiſtoria primos vobis igniculos, ad famam & gloriam conſequendam, egregiè ſubjeciſſem.

Facite porro, ut cœpiſtis, *Nobiliſſimi Ampliſſimi* Domini; & veſtro ſinguli exemplo jucundiſſimam gratæ poſteritati laudum ac virtutis recordationem relinquetis.

DIXI.

ORATIO XXXIV.

POËSIS.

ADOLPHUS VENATOR,
Enchuſ. Batt.

TAndem *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi*, *Spectatiſſimi* Viri, quantum ſumma voce ſpirituque valeo, ſalvere *Poëta* vos jubeo. Cujus fama & illuſtre nomen, ſive quadam injuria, ſive induſtria factum, vix apud Collegas meos, a) quam ſi nullum ego laudis doctrinæque punctum attigero, vel in extremis labris aliquam memoriam reliqui. Credo, quadam invidia & indignis oculis gloriam meam metiuntur. Et qui una ſum Aquila inter reliquos artium conſortes, meiſque ingenii radiis ipſorum luminibus planè officio, parva exiſtimatione

a) *Contra Agrippam*.

Digitized by Google

tione me dignantur. Quaſi mea non in aliud inventa ſit ars, quàm ut laſcivientibus rhythmis, nominumque inani ſtrepitu ſtultorum hominum aures demulceam, & ineptis fabularum oblectamentis mendaciorumque centonibus rudes animos decipiam. Quocirca perverſorum dogmatum cultrix, & ad furorem, temulentiam, impudentiam, audaciam una perfectiſſima magiſtra exiſtam. Sunt, qui blandicellam Philomelæ muſicam, qua cæcos mortalium animos quaſi faſcino quodam abripio, inani me titulo venditant. Aliqui meas artes non de pane lucrando, non de ſolido vitæ fundamento conſtituendo, natas eſſe cum ludibrio jactant. æterna mendicitate per omnem ætatis decurſum meos alumnos turpiter me circumferre. Aliquos reperio, qui immoderati vini laudibus me arguant, qui niſi Muſicè vivere me ajunt; nihil quàm Paraſiticam facere; quàm diu ferveat olla, non amicitiam ex vero præſtare, ſed quadam ſpecie & fuco ſimulare. quòd mea unica in vita & morte ſit ſalus, profusè diſſolutéque vivere; per impias libidines animum exercere; in luſtris, popinis, aleis luxuriam ſuſtentare; ad faces & cereos Poëtici ingenii furibundum ſpiritum oblectare. Quô fortaſſis olim judicio *Pythagorei*, a) qui ſuis me Scholis, tanquam inutiles ſordes ejecerunt. Et Stoicorum ille Princeps *Zeno*, qui ad cæteras artium præceptiones nihil commodi me adferre turpi memoria reliquit. Vndiquaque eheu! invidorum tela, & linguæ me lancinant. Propè, neſcio, quo clypeo canini dentis malevolos ictus ſubterfugere queam. Ipſe *Auguſtinus* à civitate Dei exulerare jubet; *Plato* à ſua Rep. me expellit: *Socrates* inimicum Poëtam ne quis habeat, propter animi virulentiam, ſuos admonet; *Democritus* me non artem, ſed inſaniam vocat. Rurſum *Auguſtinus* vulnera mihi facit, & Poëſin vinum erroris

 ab

a) *Poëtarum oſores.*

ab ebriis doctoribus propinatum; *Hieronymus* Dæmonum cibum, artem eſurientem, ſemper famelicam, ſemper murem, alienum panem rodentem appellat. Neſcio miſer Poëta, qui tot maledictis & cavillationibus argumentum præbeam. Iterum mala macula infligitur, & quovis ſub lapide latet ſcorpius. Plurimi nihil quàm nugas, quàm verba mendaciis mixta & fraudibus ab ingenii noſtri incude promanare ſtatuunt. Ille modum *Herculis*, aut ridiculas Hyacinthi literas objicit; hic de *Nioba* filiis, de arboribus, apud quas *Diana* peperit, de *Homeri* patria & ſepulchro me naſo ridiculo ſuſpendit. Centena ſunt improba elogia, quibus temeraria atque impia linguæ bilis innoxium Poëtam inſectatur. Inter alios audio *Campanum* aliquem, qui ſtultis auribus cantillare me inquit, fabularum involucris perſtrepere, & omnia ſuper fumo machinari. Nec ſi ſatis, Poëtam ſine metro & verſibus jugulare, verba & calumniam ad numeros ſic cogit:

Vivunt carmine inſani Poëtæ,
Si nugas adimas, fame peribunt:
Hiis mendacia ſunt opes & aurum;
Fingunt quæque volunt, putantque palmam
Mentiri bene glorioſiorem.

Si quid laude dignum ad concinnos hominum mores, ad virtutis ſapientiæque illuſtrationem argutè cano, illi in ſiniſtrum detorquent. Si animi oblectamenta uſurpo; ſi ſub latente eruditionis veſte, ſub illuſtri allegoria & tropo bonæ mentis veſtigia relinquo, illi omnem prudentiæ ſuccum præſentaneum venenum interpretantur. Fateor Poëtam hîc de *Titanum* pugnis, de *Iovis* incunabulis, de *Promethei* furto, de *Latonis* labore, *Pythonis* cæde, *Iunonis* dolo auribus veſtris blandum occinere. Alibi *Deucalionem, Bacchum, Minervam, Vulcanum, Proſerpinam, Cererem* in tabulam referre. Illic de *Geryone, Tantalo, Centauris, Satiris, Sirenibus* ſuavem

ſuavem lectoribus cogitationem relinquere. Abſit longiſſimè, *Audd.* ſingula ad uſum & civilem modeſtiam, ad humani ingenii monita & exemplum quoque referenda.

Sed tempus me vocat, ut debitam Poëtæ dignitatem nunc aſtruam. Vos, quæſo, aures mihi veſtras in poteſtatem dedite, ut, quam malo interprete infamiam mei generis cumulatam audiviſtis, deinceps de meo honore ac majeſtate tanto melius doctiuſque teſtimonium perhibere poſſitis.

Vnde cupitis *H. A.* meæ dignitatis & laudis initium exordiar? varia undiquaque lux & gloria meam provinciam illuſtrat. Supera atque infera ad nutus meos veniunt. elementa omnia pro meis arbitriis rego dirigoque. Vos *Dii Deæque* conteſtor, ſive aſtrorum vos Numina, ſive lucida in cœlis corpora animaſque appellam. Tibi Rex lucide ſtellarum Coryphæe, *Titan*; Tibi blanda Iovis conjux & Soror *Iuno* nomen tituloſque dedi. Te Deorum nuncie *Mercuri*, Teque Muſarum repertor *Apollo* mortalium ſocietate exemi. Te *Romule, Auguſte, Iule*, inter ſidera collocavi. Per me in cœlitum numero claram diffundis faciem caſtiſſima *Erigone*, Pulcherrima *Ariadne*, tuq: divina *Calliope*. Per me *Fauni Satyrique* immortali laude vivitis; per me montium Sylvarumque jugis templa delubraque poſſidetis *Priapi, Sylvani, Oreades, Hamadryades*, per me alma *Ceres Paleſque* æternùm in ore memoriaque manebitis. Quis te *Saturne*, te *Neptune* ac *Pallas* poſteritati commendavit, ſi non ſacra Poëſis? Quis te *Cupido*, *Fortuna*, *Venus* tantis per orbem terrarum præconiis affecit? *Vos Dii penates, Genii, Genitales, Lares*, tam præclara laude celebravit? vos inferorum *Charontes*, *Acherontes*, *Eumenides*, *Rhadamanthi*, *Plutones* perenni ad poſteros nomine propagavit; ſi non ingeniorum fabrica Poëſis? Poëtas, eorumque divini carminis inſtinctum de mundo ſi tollitis, unà decus Litera-

rum, cum ipſis doctrinæ fontibus turpiter exareſcere videbitis. Brevi intermorietur omnis literatura & maximis ſpoliata ornamentis, intra paucorum annorum decurſum omnem gloriam ſplendoremque amittet. Profectò, non ſine ſingulari providentia de bicipiti *Parnaſſo*, de *Helicono*, *Cytherone* antiquitas fabulata. Non ſine magna authoritate ſanctiſſima Muſarum nomina; *Aonidum*, *Theſpiadum*, *Caſtalidum*, *Sicelidum*. Nihil *Cyrrha*, *Aganippe*, *Pimplea*, undæ *Phocidos*, fons *Caballinus*, *Pegaſeus*, *Bellerophontæus*: ſi non priſtina & ſapiens ætas in Poëtarum admiranda ſolertie ſummi honoris faſtigium collocâſſet. Quare non de nihilo eſt, quòd Regum Principumque cura circa Poëtarum præmia potiſſimum advigilârit. Cùm in omni ſcriptorum genere nihil tam præclarum ac laudabile exiſtat, quòd cum poëtico ſpiritu ſatis unquam magna cum laude conferri ac componi poſſit. Si vultis in rem exempla, prodeat in ſcenam *Alexander* M. qui cum urbem Thebanorum cepiſſet, nonaginta millia occidiſſet, triginta millia ſub haſtam redegiſſet, ſolam *Pindari* Poëtæ familiam ampliſſimis muneribus cohoneſtavit. Qui cùm aliàs, quando lætarum rerum nuncius peregré adveniſſet: *Quid*, inquit, *bone vir magni annunciabis, niſi Homerum revixiſſe?* Tali quoque in *Homerum* animo *Archeſilaus*, in *Pindarum Hiero Syracuſanus*, in *Archilochum Lyſander*, in *Anacreontem Polycrates*, in *Annium Scipio Africanus*, *Geta* & Barbari, in *Naſonem*, *Auguſtus Cæſar* in *Virgilium Maronem*: cui quoque univerſus populus Rom. ſicuti Imperatori, in honorem aſſurgere ſolitus. Hoc olim amore Poëtas amplexi ſunt *Argivi*, qui rem divinam in hoſpitalitiis facturi, *Apollinem* & *Homerum* invocabant, cui reſpondet nobile *Alphonſi R.* exemplum, qui cum inter peregrinandum fortè ad eum locum, unde Sulmo poterat deſpici, perveniſſet, an ea Ovidii patria eſſet interrogavit? Quum

intel-

intellexiſſet, natale Naſonis ſolum eſſe, urbem ſalutavit, gratiaſque Genio loci egit. Neque minùs *Athenienſes*, qui Poëtam, quod bellicos modulos divulgaſſet, in ducem exercitus elegerunt. Quam *Poëtæ Pindaro* eximiè honos fuit habitus à *Crœſo*, cùm tantum auri, quantum vellet, capere juberetur. Cur in ordinem Deorum, Oraculi juſſu, relatus *Euthymus*? Poëta fuit. *Cur Ptolomæus Philopater Homero* templum exſtruxit? Quod Poëta eſſet. Nec inſcite igitur *Buchananus*:

Bella gerunt urbes ſeptem de Patria Homeri,
Nulla domus vivo, Patria nulla fuit.

Si priſcis novitia ſubjungam, quare *Franciſcus Petrarcha* à Romana & Pariſienſi Academia ad Poëticam ſumendam lauream tam cupidè evocatus? quòd, divinâ afflatus mente, Poëta eſſet. Quid eſt, quòd in Belgio, & apud exteras nationes tantum commendet *Scaligeros, Douſas, Baudios*? Quod Anglia, Gallia, Suecia, Venetiæ Clariſſimos *Heinſios, Grotios, Barlæos, Catzios, VVinſemios, Foreſtos, Hugenios* tantâ laude præmiiſque afficiant? doctiſſimi hoc ævo *Poëtæ* ſunt. *Itane Muſa. lepidum & muſicum hoc genus eſt, & quod pauci imitentur, nec niſi quibus pectus imbutum poetica iſta copia & ſtylus factus ad promendum*. Et alibi ſcientiſſimus ille Antiquarius: b) *Poëtas quid loquor? Genium è cœlo advoco, qui eò ducit. Poëtæ oblectamenta auribus animiſque quærunt, & floridæ eruditionis veſte veritatis corpus tegunt, atque unicè ornant. In illam ſententiam pulcherrimè ait Euphormio*, Romam Romano qui docet ore loqui: c) *mihi profectò unquam tot Poëtas dabitis, quot ſæculis Latinitas floruit: nam tantis difficultatibus horret hæc ſemita, ut facilius vel Eloquentiam, vel Iuriſprudentiam demereatur adoleſcens, quàm Nympham verſuum Præſidem.* d) Poëſis *veluti in Hybla aut vernantis Ætnæ vallibus mirabili floſculorum varietate fatigatos Spiritus levat.*

a) *Lipſius.* b) *idem,* c) *Barclaius,* d) *Lipſius.*

levat. Poëſis eſt niſi viva deſcriptio affectionum tui ſaculi. a) illa *polita amoris confeſſio, ac generoſi odii penè irata deſcriptio. Poëſin qui amat, non ego, quin meditullium terrarum obtineat. ita illuſtri fama agnoſcatur ab omnibus gentibus humanitate aliqua politu.* Quare meritò apud Ciceronem *Ennius Poëtas Sanctos* appellat, *quòd quaſi Deorum aliquo dono aut munere commendati nobis eſſe videantur.* b) *Saxa & Solitudines voci reſpondent, beſtia ſapè immanes cantu flectuntur! nos inſtituti rebus optimis non Poëtarum voce moveamur?* Et certè

c) *Eſt Deus in nobis, ſunt & commercia cœli:*
Sedibus athereis Spiritus ille venit.

Et rurſum Pelignus vates:

d) *Vatibus ingenium eſt in multas flexile partes.*
At ſacri vates & divûm cura vocamur:
Sunt etiam qui nos Numen habere putant.

Quanto longius per Poëticæ dignitatis immenſum Oceanum vela circumfero; tanto magis novarum laudum incrementa in decus & gloriam me provocant. Vûltis terrarum orbi poſteriſque inclareſcere? Poëtarum hoc genus ac Genius faciet. Vultis veſtram virtutem æternâ gloriâ afficere? nunquam continget hoc melius, quàm Sophocleo Poëtarum cothurno.

e) *Gaudet enim virtus teſtes ſibi jungere Muſas:*
Carmen amat, quiſquis carmine digna gerit.

Quicquid cæterarum artium magnitudo ſuis luminibus complectitur; quicquid tot ſæculorum vaſtitas immenſo ſuo ambitu circumſcribit: nihil totidem ingeniorum continuatæ vigiliæ, ſive ſubtilium quæſtionum meditationes, ſi ad Poetarum elegantias ac Majeſtatem te convertis. Poetam me inquis? orbem doctrinarum appellas. Poetam amore deperis? omnium ſcientiarum Magiſtrum deprehendis. Poetam legendo pervolvis? in quadam nobili picturâ ipſam quaſi divinitatam intueris.

a) *Lipſius.* b) *Cicero.* c) *Ovid.* d) *Idem.* e) *Claud.*

Digitized by Google

tueris. Si fas *Audd.* de Poëticæ elegantiæ faſtigio ſine adulatione & pigmentis veritatem profiteri: Profectò, ſub illuſtri Poëtarum umbra, cætera omnia, tanquam in pulcherrima humani ingenii tabella depinguntur. Poëta ad unguem *Grammaticus*, Poëta inter *Logicos* Princeps, inter *Rhetores* primus. Poëtam amat Hiſtoricus, veneratur *Theologus*; magnifacit *Cauſidicus*, æſtimat *Medicus*. Quis in *abdita* rerum *natura ſpeculator* acutior? quis *Aſtrorum* ſiderumque ſcrutator excellentior? Quis *Geometra* aut *Coſmographus* peritior? Quis in *futuros* rerum *eventus* videt oculatior? Quis *anima admiranda* examinat ſubtilior? Quàm ille humano generi in ſolatium & ornamentum de cœlo demiſſus Poëta? Quare nunquam ſatis laude digna vox illa *magni Alexandri* ad Achillis tumulum efferenda, *Fortunatum vocantis Adoleſcentem, qui ſuarum laudum praconem Homerum inveniſſet.*

Sed nimis prolixe hæc forent, *Nobiliſſ. Ampliſſ. Audd.* quibus Poëtam veſtris oculis depingere poſſem. Supereſt divina Eloquentia, quæ ſuæ Majeſtatis manu ſilentium injungit, & *Poëtam*, quâ poſſit obſervantiâ ſalvere facit.

DIXI.

ORATIO XXXV.

Ad Juventutem Alcmarienſem, De ELOQUENTIÆ *ſtudio perſequendo.*

BEnè habet, *Chariſſimi Adoleſcentes*, quòd de Re literaria laudabilem quiſque Perſonam ſuſtinuiſtis. Quâ laude & induſtriâ non modò meum erga vos amorem pulcherrimè demeruiſtis; ſed, cum illo, *Nobiliſſimorum Virorum* animos, &, quem hîc coràm videtis, *Optimi & Clariſſimi*

Senatus

Senatus Literarii ordinem, in veſtræ ſedulitatis officiique Mœcenates promoviſtis. Neque aliter res à nobis poſtulare videbatur. præſertim hoc tempore, quando ſplendidiſſimis à vobis ornati muneribus, domi foriſque ampliſſimas vobis gratias deberemus. De me ut nihil hoc loco nunc dicam: cujus erga vos ſingularem cultum affectumque ſine aliqua adulatione, abundè noſtis; univerſam vobis SCHOLAM, Liberoſque veſtros uno hîc intuitu ſub oculos adſpectumque pono. Qui omnes ac ſinguli, pro ſuæ inſtitutionis fideli curâ, pro immensâ beneficiorum largitate, pro tot tantiſque GYMNASII noſtri ornamentis unâ voce votoque totidem vobis gratiſſimas gratias perſolvunt.

Nunc ad vos revertor, *Ornatiſſimi Adoleſcentes*: & quam initio Perſonam huic Theatro promiſiſtis, illam ego, propter aliorum abſentiam, nunc ipſe, quamvis non invitus, in me ſuſcipio. Non tamen, ut in pari vobiſcum arena ad palmam & præmia decurram: quæ veſtro ſudore ac labore maſculè ſatis ipſi promeretis. Adero ad plauſum inſtigator. & ſi quid amplius ad Rei literariæ ornamentum, pro ora & limbo, ut ſic dicam, adjungi attexique poſſit, ponè Magiſter gradum confero. ut Cenſoreæ notationis gravitate veſtros errores & vitia, ſi quid lubrica fortaſſe & inconſulta ætas, ut fieri ſolet, à regia via deſciſcat ad rectitudinem commonſtrem.

Vos, *Ampliſſimi, Nobiliſſimi, Viri*, quæſo, noſtræ Iuventuti à Claſſico, ut ſic loquar, & Tympano parati adeſte. Et de ELOQUENTIA, quæ extrema Eruditionis eſt linea, dum ad Diſcipulos meos verba facio, vos quoque mearum partium conſortes & judices advoco, ut, quantò veſtras mihi aures benigniùs applicetis, tanto majore fiduciâ & obſervantiâ docentem monentemque Magiſtrum noſtra juventus audiat ac imitetur.

Præclara

Digitized by Google

Præclara eſt ſcientia, *Adoleſcens*, in illuſtri Grammaticorum ordine recenſeri; a) juxta primos Literarum natales dextrè eruditéque verſari: ut nihil, quin Latio aut Athenis peculiari inſtituto ſit probatum, Stylo ac ſermone proſequaris. Præclara eſt in animo noſtro facultas, de omnibus rebus benè prudenterque diſſerere; Argumentorum copiis ubicunque locorum ſtare in procinctu. ut cæſim, punctimque ferire adverſarium poſſis. Pulchrum eſt Troporum & Figurarum luminibus artium præcepta tradere, & ad benè dicendum fundamenta fulcrumque ſubſternere. Eſt tibi, vitæ Magiſtra Hiſtoria, admiranda Sapientiæ vis; eſt eximia ad perſuadendum copia; qua dignam tuo nomine immortalitatem conſequeris. Et libens lubenſque, ô Divine Poëta, honorem decuſque tibi gratulor, quo cœlum & ſidera ſuperſcandis. Qui ſane unus cum Oratoriâ Majeſtate, ſolidam Doctrinæ perfectionem conſtituis. b) Hoc uno ſolutâ Eloquentia minor, quòd verborum adſtrictus numeris, intra certas verborum anguſtias ingenium & magnitudinem tuam reſtringas. Libera Eloquentia, quæ Oratorem à Poëta perpetuo diſcrimine officioque diſcernit, ſe quâdam ubertate dicendi per tot populos & ora diffundit. Eſt finitimus Oratori Poëta, numeris adſtrictior paullò, verborum autem licentia liberior, multis verò ornandi generibus ſocius, ac penè par. Vt illa artium Regina Eloquentia omnibus lineamentis plena perfectaque ſubſiſtat, vos reliquæ Artes manum & operas confertis. Non aliter in ſua laude ac decoro, ſi cæterarum ſcientiarum vaſtitates contemplemini, conſpicienda, quàm ſuper ſpatioſo cœli convexo, luminum Pater, Sol, inter minora Sidera. Atque illò, tot artium præcepta & apparâtus, qui ad unam formandæ Eloquentiæ imaginem ſuum adminiculum & conſilia conferunt.

a) *Eloquentia cæteras ſcientias ſuperat.* b) *Cicero.*

ferunt. Neque ille in hominum eloquentiſſimorum numero ponendus, qui per immenſos diſciplinarum canones ætatem & annos circumegit, qui multa legit aut ſcripſit; ſive Philoſophum, ſive Hiſtoricum ſe profeſſus, etſi ſtilo ſatis nitido ac elegante. Iſti potius egregiè Literati, & in quovis rerum genere Scriptores acuti, graves, diſertique appellandi. Aſt Eloquens dici nemo poteſt, niſi plurimâ annorum conſuetudine & exercitatione tot Artium præceptiones ad uſum & Oratoriam praxin deduxerit. Nedum ipſi Rhetores, qui oratori meſſem ac herbam porrigunt, illâ Eloquentiæ laude unquam afficiendi: Si non illa, quæ multâ primùm lucubratione vigiliiſque ac per præcepta didicerint, in forum & roſtra ſæpius agendo perorandoque produxerit.

à) Ne te abripiat, *Adoleſcens*, de tuo ingenio vana & inanis perſuaſio. Et cùm aliquò uſque perventum putas, ac mediocrem in bonis artibus progreſſum feceris, noli mox ampliter de infinito Doctrinarum orbe gloriari, quaſi per omnia Muſarum ſecreta jam dudum te expediveris. Si præſtantia Rhetorices præcepta intelligas; in Tropis & Figuris Vim & Suadam agnoſcas; abſit, te tantillâ plurimùm ad Romanæ Eloquentiæ Capitolium promoviſſe tibi perſuadeas. Si Dialecticæ ſucco, quo modicum eſt, ſias imbutus, ac leviter modò tinctus; ſi collocare ſuis terminis partibuſque Syllogiſmum cognoveris; Cave tenuium rerum notitia magnum tibi ſcientiæ cumulum adſcribas. Aliquam priſci temporis Hiſtoriam & Exemplum illuſtre, Apologum de memoria potes depromere? illa tantùm rudis atque indigeſta Eloquentiæ materies. Si quid Poëtici inſtinctus in ingenio reperiſti, ter & amplius miſer, ſi mox uno beatus ſomnio, ad intimum Ægeriæ Deæ receſſum veniſſe te autumes. Vetus illa apud induſtrios

a) *Vapulat diſcipulorum imaginaria ſcientia.*

ſtrios Præceptores querela, nec non deteſtabilis inter ſciolos Adoleſcentes peſtis, ut cùm aliquantulum ſe profeciſſe intelligant, nihil tamen aut omninò parum ad reconditos doctrinarum ſenſus profecerint. Supra omnes Philoſophos arrogantiâ ſuâ edocti mirum ſibi prudentiæ faſtigium imaginantur. Quâ perperàm de ſe opinione inducti, mox cruda ſtudiorum initia in publicam Academiæ palæſtram magno cum periculo detrudunt. Satis tunc præclarè eloquentes, ſi, quod parum eſt, Tropicam dictionem à triviali vocabulo, aut elocutionis tenuem Figuram à ſimplice loquendi formula diſcernant: O tuam, Adoleſcens, cæcam & inanem prudentiam! O malè ſaginatam Eloquentiam! Neſcis, quibus difficultatibus ſemita hæc horret? quàm ſit invia & ſcopuloſa ad Eloquentiam via?

a) Adi, & audi Ciceronem, Roſcium aliquem: qui Oratoriæ Facultatis Principes exſtiterunt. Qui cùm per omnem vitam ſe in Eloquentiæ ſtudio ſummo labore vigiliiſque exercuiſſent, plurimùm de infinita rerum copia, quæ ad oratoriam Majeſtatem primariò requiritur, in ſcriptis ſuis teſtantur. Cum ex M. *Tulli* ſententia, *nemo poterit eſſe omni laude cumulatus Orator, niſi erit omnium rerum magnarum atque artium ſcientiam conſecutus:* Quam cùm ille difficultatem in ſe agnoſceret, poſt multas in foro contentiones, in Aſiam abiit, & Aſiaticis & Rhodiis Rhetoribus recoquendum ſe dedit. Illud non ignorarunt *Demoſthenes & Pauſanias,* qui cùm primùm concionibus populum continerent, à tanti momenti negotio ſponte deſtiterunt; donec rudem animum melioribus præceptis ad forum & ſcenam confirmaſſent b) *Ex illis enim rebus univerſis Eloquentia conſtat, quibus in ſingulis laborare permagnum eſt.* Natura & cura hic opus, Adoleſcens, ſi nominis immortalitatem & Elo-

a) *Difficultas, & Requiſita Eloquentia.* b) *Cicero.*

Eloquentiæ famam exſpectas. Nullum animi corporiſque inſtrumentum, quod non divinæ iſti particulæ, Oratori, inſerviat. Inprimis prudentia & ingenium primas hîc tenent: unde in inveniendo ſubtilitas, in judicando dexteritas, in actione modeſtia & gravitas proficiſcitur. In quæ ſi aut turpiter impingas, aut minus decorè te geras, mox læſæ Majeſtatis oratoriæ crimen commiſiſti. Poſtquam omnia Rhetoricæ incantationis officia calamo oſtenderis & undique nitidiſſimos dicendi floſculos conquiſiveris. a) *Lepos denique, facetia, eruditio libero digna acceſſerit*; nihil in Latinitatis decentiam, in ſermonis aptitudinem peccaveris, omnia ad aptæ Elocutionis Lydium, ut ſic dicam, lapidem examinaveris: ipſa denique Actio Oratoria, quæ eſt recta vocis geſtuumque in pronunciandâ oratione moderatio, cæteris omnibus ultimam quaſi manum imponit. a) *Sine qua ſummus orator eſſe in numero nullo poteſt: Mediocris hac inſtructus ſummos ſæpè ſuperavit.* Hîc ſeriò providendum, ne ſubmiſſo languidoque nimis murmure attentio debilitetur; c) *ne incondito clamore benevolentia amittatur; ne concitata nimis volubilitate oratio aureis prætervolet; ne effœminata tarditate animis auribuſque faſtidium ſe ingerat.* In primis ad promovendum animos plurimum valet vox clara, dilucida; vox emendata ut ad numerum oratorium verba ſint accommodata; ut concione & gratiâ auribus inflexione dictio modificata; cum rerum natura linguæ ſonus concordet, ut ad omnes animorum motus ipſa pronunciatio fiat compoſita. d) *Et certè infantes actionis dignitate Eloquentiæ ſæpè fructum tulerunt; & diſerti, deformitate agendi, multi infantes putati ſunt.* Nihil agit, quiſquis inverecundâ & incondita vociferatione impudens oblatrat. de quo meritò dici poteſt: *Loquentiæ multum*

a) *Cicero.* b) *Idem.* c) *Parens meus in inſtitut. Rhet.* d) *Cicero.*

multum, Eloquentiæ parum. Et cum *Lipſio* verè de illis: *Quemadmodum qui corpore tenues, veſte ſe diffundunt: Sic, qui rerum inopes, verbis ſe dilatant.* Quid Scenico more in pulpito vocem intendis, ſi rerum inopia te coarctat? Quid toties manum complodis, ſi res & ratio non poſtulat? Quid pectus aut ventrem projicis, ſi morum decentia repugnat? Cave, cum *Curione* oratore *è lintre loquaris*; cum Antiſophiſta *Flavij Virginei multa millia paſſuum* declames; cum *Teſtio Penario* mentum intorqueas; cum *Marco Callido*, cum *Sexto Titio* vultum & vocem nimis remittas; in geſtu mollem, in ſermone loquacem te præſtes. Noli à tergo fiſtulatorem vel tibicinem conducere, qui eburneâ tibiolâ euphoniam inſpiret: ut de *Quincto Hatterio & Graccho* reliquit poſteritas, qui ponè ſe ſervum habebant, qui vel lentiûs vel vehementiùs agentes veſtis contactu moneret.

Tanta eſt Eloquentiæ difficultas, *Adoleſcens*, ut ejus initium aut exitum ubi reperiam, totus ignorem. Benè inquit Cicero: a) *Minima egregiorum Poëtarum eſt copia, multò tamen pauciores Oratores, quàm Poëtæ boni reperiuntur.* Eſt enim Eloquentia rerum plurimarum comprehendendi ſcientia, ſine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt: b) *& ipſa oratio conformanda non ſolum electione, ſed etiam conſtructione verborum, & omnes animorum motus, quos hominum generi natura tribuit, penitus pernoſcendi. Quamobrem mirari deſinamus, quæ cauſa ſit Eloquentium paucitatis.* Anne vides, quanta Eloquentiæ gloria debeatur, poſtquam ejus conſequendæ difficultatem penitiore oculo inſpexiſti? Vt verò magis te cohorter. Adoleſcens, ad præclarum benè dicendi inſtrumentum, Principum Oratorum teſtimonia in tabula tibi depingam. c) *Nemo eſt, qui neſciat initio genus hominum in montibus*

a) *Eloq. præſtantia.* b) *Cicero.* c) *Teſtimonia Ciceronis varia.*

Digitized by Google

tibus ac ſylvis diſſipatum, prudentum conſilio compulſum & diſertorum oratione delinitum. Nihil Eloquentiâ laudabilius vel præſtantius, vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium. *Hæc pacis comes otiique ſocia,* & jam benè conſtitutæ civitatis quaſi alumna quædam ſapientiæ. *Hæc plena dignitatis dicendi facultas, quæ plurimas gratias, firmiſſimas amicitias, maxima ſæpè ſtudia peperit.* Quid enim tam admirabile, quàm ex infinitâ hominum multitudine exiſtere unum, qui id, quod omnibus naturâ ſit datum, vel ſolus vel cum paucis facere poſſit? *Aut tam jucundum cognitu ac auditu, quàm ſapientibus ſententiis gravibuſque verbis ornata oratio & perpolita?* Aut tam potens tamque magnificum, quàm populi motus, judicum religiones, Senatus gravitatem unius oratione convertit? *Quid tam porrò regium, tam liberale, tam magnificum, quàm opem ferre ſupplicibus, excitare afflictos, dare ſalutem, liberare periculis, retinere homines in civitate?* Nihil denique tam incredibile, quod non dicendo fiat probabile; nihil tam horridum & incultum, quod non ſplendeſcat oratione. *Vtque hominis decus eſt ingenium, ſic ingenii lumen eſt Eloquentia, Duæ ſunt artes,* Adoleſcentes, *quæ poſſunt locare homines in ampliſſimo gradu dignitatis, una Imperatoris, altera Oratoris boni.*

Ob hanc cauſam maximo in honore apud Athenienſes *Demoſthenes, Pericles, Plato, Lycurgus, Dinarchus, Thucydides, Hippias, Xenophon, Thraſymachus.* qui propter inſignem Eloquentiæ præſtantiam, non minore apud poſteritatem, quàm Reges Principeſque, veneratione digni fuerunt. Ex horum numero ac ſocietate apud Romanos ſempiternâ memoriâ inclaruerunt *M. T. Cicero, Cato Cenſorius,* a)*Scipio Africanus, Corn. Cethegus, Quintilianus, Metellus, Lentulus, Hortenſius, Craſſus, Sulpicius, Pompejus,* pluresque alii: quorum auguſta fama

a) *Eloquentiæ vis.*

fâma cum ipſis cœli ac ſiderum regionibus determinatur. Refert de *Piſiſtrato* antiquitas, quòd ſuâ oratione capti Athenienſes, regium ipſi imperium permiſerint. De *Themiſtocle*, quòd tantâ fuerit eloquentiâ, ut quodcumque vellet populo perſuaderet. Non minor in *Pericle* laudatur benè dicendi facultas, qui admirabili ſuâ facundiâ in audientium animis nervos aculeoſque relinquebat. Neque minùs in *Thucydide*, quem Atticus linguæ lepos ab exilio in patriam revocavit. Numquid *Demoſthenes* ſuis verborum fulminibus totam Græciam ad pacem, aut bella commovit? Et *Cyneas* Pyrrhi Epirotarum R. legatus, numquid uno linguæ mucrone plures civitates, quàm ipſe Pyrrhus armatâ manu, in deditionem accepit? Hac Eloquentiæ procella *Hiero Syracuſanus*, domi coortâ ſeditione, inermis in forum proceſſit, ac turbam compoſuit. Illâ probè munitus *Menenius Agrippa* Populum Romanum Vejos fugientem in urbe retinuit. Quod cùm non ignoraret *Philippus Macedo*. res non minores oratione, quàm prælio confecit. Hæc illa Ciceronis ſunt tonitrua, quibus populum Romanum in partes & diſcordiam diſtractum mitigavit, Catilinam patria ejecit, cives nefarios fuga, exilio, morte mulctavit. Præclarè Satyricus:

Ergo ubi commota fervet plebecula bile:
Fert animus calidæ feciſſe ſilentia turbæ
Majeſtate manus.

Quod pulchrè expreſſit quoque *Zenobius: Lingua quò vadis? everſura aut erectura civitates.*

Et profectò, quando tam multiplicem Reip. formam hominumque diverſa officia cogitatione expendo, nihil præclarius. a) nihil utilius ad imperii clavum ritè rectéque adminiſtrandum; ad illam tot capitum belluam, rude vulgus, refrœnandam excogitari poteſt, quàm omnibus ſuis numeris

a) *Eloq. utilitas.*

meris perfecta Eloquentia. Quæ ſi ſemel in auxilium & conſilium admiſſa, quid non admirabile efficit! Tanquam Deorum oraculis abditas hominum mentes allicit; cogitationes affectuſque expugnat; animi ſenſa, quocunque velis, tanquam mollem ceram fingit ac refingit. In obeundis judiciis, in condendis legibus, in ferendis ſententiis, in omni negotio domi foriſque agendo, immane quantum! una dominatur benè Dicendi facultas. Vis cum exteris nationibus pacem & fœdera ſtabilire? Regum Principumque amicitias acquirere? faciet Eloquentia. Vis populum in modeſtia & concordia retinere? turbas, ſeditiones componere, pace an bello res longè maximas efficere? faciet Eloquentia. Vis divinæ legationis provinciam in Dei Eccleſia cum fructu ac gratia ſuſtinere? Sacræ ſcripturæ myſteriis audientium animos afficere? ad ſalutis deſiderium, ad cæleſtium rerum meditationem rudem plebeculam inflammare? ad odium impietatis, ad proximi dilectionem, ad amicitias & charitatem inflectere? à profanitatis via & erroribus in tramitem rectum conducere? faciet Eloquentia. Quibus benè dicendi tormentis atque machinis ſi quis infeliciter deſtituatur, ſi nulla in verbis ſit elegantia; nulla in actione dignitas: quàm ille valde parum promovet ad hominum voluntates ineſcandas; ad quamcunque materiam doctè ſubtiliterque tractandam.

a) Sed jam dudum patientia veſtra, *Nobiliſsimi, Ampliſsimi Domini*, abuſus mihi videor. & Vos, mei Adoleſcentes, poſt longi ſemeſtris laborem, amabilem de vacatione ac feriis vocem exſpectatis. Igitur ut uſum benè dicendi omittam, quæ in omni pacata & libera civitate præcipuè dominatur in ſolo ejus oblectamento modeſtè mox deſinam. b) *Tanta in ipſa facultate dicendi eſt OBLECTATIO, ut nihil hominum aut auribus, aut mentibus jucun-*

a) *Eloq. jucunditas.* b) *Cic. de orat. lib. 3.*

jucundius percipi poſſit. Quis enim cantus moderatæ orationis pronunciatione dulcior inveniri? Quod carmen artificioſa verborum concluſione aptius? Qui actor in imitanda, quàm orator in ſuſcipienda veritate jucundior? Quid autem ſubtilius, quàm acutæ crebraque ſententiæ? Quid admirabilius, quàm res verborum ſplendore illuſtrata? Quid plenius, quàm omni rerum genere cumulata oratio? Quis cohortari ad virtutem ardentiùs? Quis à vitiis avocare acriùs? Quis improbos frangere accuſando poteſt vehementiùs, quàm illa fulminantis lingua majeſtas?

a) Quam divinam Eloquentiæ laudem, Adoleſcens, ut aliquando pulchrè demereri tu poſſis, ad laborem & Exercitationem te voco. Et, ex Senecæ præcepto, *non multa, ſed multùm legas*; non curſim, non properanter omnia tranſmittas. b) *Certis ingeniis innutriri oportet, aliquid velis trahere, quod in animo fideliter ſedeat.* Cave, præpoſtera authorum lectione judicium corrumpas; aut prava multorum imitatione novum dicendi genus affectes. Per omnes claſſicos Scriptores, quos Augusti ætas quadam fatali literarum clementia in lucem tulit, ingenium exerce. Quantum per vires vigiliaſque ſufferre vales, inprimis c) *ſtilum, qui optimus & præſtantiſſimus dicendi effector ac magiſter*, teſte *Cicerone*, ad clariſſimorum Artificum exempla & imaginem effingere. Quod etſi initio durum & arduum videbitur, hoc longi temporis uſu ac conſuetudine in naturam convertes. Si ingenii corporiſque vitium præclaram Eloquentiæ ſpem remoretur, Tu tamen haſtam ne abjice. *Demoſthenem* imitare: in quo tantùm labor & ſtudium potuit, ut impedimenta naturæ, diligentia ſuperaret. d) *Cumque ita balbus eſſet, ut ejus artis, cui ſtuderet, primam literam non poſſet dicere, perfecit meditando, ut nemo planiùs eo locutus putaretur. Et cum*

a) *Hortatio ad Exercitationem.* b) *Seneca.* c) *Cicero.* d) *Idem.*

cùm ſpiritus ejus eſſet anguſtior, tantum, continenda anima, lapillis in os conjectu, in dicendo eſt aſſecutus, ut nihil ampliùs ad perfectum oratorem addi poſſet.

a) Hoc quoque unum in animo tuo, *Adoleſcens*, altiſſimis defixum radicibus volo, ut ſi aliquando benignis te oculis illa Artium princeps Eloquentia adſpexerit, niſi pro *Dei Opt. Max. gloria, pro Veritate, pro Fide Orthodoxa, pro Religione, pro Aris & Focis* benè dicendi inſtrumenta uſurpes.

Hoc & nunc, & olim à me audies:

FINIS STUDIORUM, ERUDITA PIETAS.

DIXI.

Recitata ſex præcedentes Alcmariæ CIƆ.IƆ.CXLIII. *Examine autumnali.*

a) *Finis Eloquentiæ Salus publica.*

ORATIO XXXVI.

CHRISTUS in Carne.

CORNELIUS BACKER, Alcm. Batt.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Spectatiſſ. DD. Audd.

Quando mortalium ego in hoc univerſo conſilia apud animum meum mecum reputo, neſcio ſanè, quàm me undique de humanarum rerum pravitate infelix triſtiſque ſententia percellat, ut non immeritò, velut oraculo, cecinerit Poëta: *Mille hominum ſenſus, nec voto vivitur uno.* Quot facies & formas in hoc immenſo magni orbis theatro ſuis ſingulas lineamentis circum me video; quot capita & corpora ſuis variè diſtincta figuris intueor, quàm non idem rebus mortalibus ſit color: non minus de animorum ſenſuumque varietate hujus ſæculi, in ſummum dolorem indignationemque impellor. Invenio in Stoicorum grege, qui ſola ventris cupiditate, ſolo gulæ

gulæ ſervitio, pro pudor! ſuam felicitatem metiuntur. inter Lupercorum ſodales, qui cum ſcortis, cum adulteris optimum vitæ florem conſumunt. inter publici ordinis cedrinos parietes. qui inani luxuria triſtique ambitu diffluentes, peſſimam ſuæ rei rationem & computum ſubducunt. Quàm pleroſque videas inſatiabili divitiarum deſiderio flagrantes; ſuâ Fortunâ minimè contentos, in aliorum opes ſine fronte ac pudore irruentes: quorum non omnes aut Syllæ aut Mydæ theſauri prodigioſam avaritiæ ingluviem expleverint. Quàm multi ad caducam vitæ mortalis graſſantur gloriam, tanquam de lactea cœli via, aut promiſſa cum ſuperis felicitate certamen inſtitueretur. Hic cum *Dario* Perſarum Rege, ultra mali punici grana, immenſos opum theſauros avidiſſimè exoptat. Hic cum *Metello* decem res maximas anxiè deſiderat. Ille cum *Auguſto* Cæſare *Scipionis* fortitudinem, *Pompeji* benevolentiam, *Cæſaris* fortunam per mille vota à Diis exorat. At vereor, ne quàm plurimi, præpoſtera de ſe opinione à verâ prudentiæ abrepti ſemita in ingloriam cum Phaetonte provinciam, aut lubricos alienæ artis currus, ſuo cum periculo, incumbant. Quàm multos peregrini orbis acriter pungit deſiderium, quò ne vivi unquam ſoſpiteſque pervenerint! Quàm Regum Principumque irritus favor ad multa inania mortales extimulat! Quàm cœlum ſolumque faſtidioſè mutamus, ut aliquis lucri odor rei noſtræ accedat! Quid non deliri mortales in vanum ac ventum laboramus! in hoc ſolidè ſoliciti & anhelantes, ut nihil à mundo alienum, omnia pro mundi arbitriis per medios ignes & aquas, ſine aliquâ laſſitudine quæramus.

Multò melius, *Audd.* Divus olim *Auguſtinus*; qui non humano more atque uſibus, ſic terreſtrium rerum deceptus imagine, ut divinæ mentis curam humanis conſiliis determinârit. Illa ſede-

O bat

bat divino Vati ſententia, ut unicum ſuæ ſalutis Reparatorem, CHRISTUM, ſuis oculis intueri liceret. Feliciter feciſti, Auguſtine, noſque omnes, qui momentaneis Fortunæ crepundiis irretimur, ac niſi circa rerum umbras, & minutias divertimus, pulcherrimè in pudorem compuliſti. Tu felix ter & amplius, cui tantæ ſortis dignitas altiſſimè in animum deſedit. Quod meritò omnium votorum ſummam excedit; quò non animi aliqua acies pertingere, non omnis noſtra ratio oratioque penetrare poteſt. Quod in magno opere præſtantes artifices facere ſolent, ſumma tantum votorum capita primoribus quaſi labris digitoque delibabimus. Ego præ omnibus hoc unicè exoptem, tam fauſto me ſidere Sol Opt. Max. adſpexiſſet, ut tua, O CHRISTE, incunabula, tuos illos oculos manuſque coram ſacro intuitu uſurpare, fas fuiſſet. Tu illuſtra mihi mentem, Magne Deus, dum Tui videndi affectus & prurigo me agitat, ut coram, quod nequeo, animo & cogitatione meâ efficere poſſim. Vos etiam atque etiam oro rogoque H. A. pari ſuſpirio ac deſiderio mecum à terris in cœlum nunc ite.

Pudet pigetque humani generis, quando ubique tam uberem vitiorum ſegetem, virtutis meſſem ſic tenuem atque exilem reperio. Cum in flagitioſæ improbitatis commercio nemo laſſitudinem nauſeamque inveniat; in Pietatis curriculo ſemper ad ſcopulos & ſaxa offendat. in illo ſupra modum ac vires homines miſerè ſe frangunt fatigantque, ut ignobiles adglutinare opes, ut agrorum terminos plus ultra protendere nunquam deſinant. Quando extremus terrarum orbis, etſi in abditis naturæ receſſibus, auri argentique laminam promittit, nullas Orci aut Oceani aquas reformidant. Vtroſque Indos, ſicuti Moſam aut Rhenum, navigant, nullâ periculi magnitudine deterriti, nulla omnium elementorum injuria à propoſito abdu-

abducendi, nullis viarum ambagibus moleſtiiſque terra marique inhibendi. Ferrum & oppoſitam aciem res poſcit? Exercitus conſcribunt. Sanguini belliſque fortuna civium ſubjacet? arma citi expediunt. Per fas & nefas in Plutonis regnum deſcenditur? adſunt lucri ſatellites Fraus Dolique. Omnia inſanus Nummorum amor poſſidet. Videas, eheu! pari furore ſtultam mortalitatem ad fluxam caducæ famæ gloriam contendere; pro Curia & Equeſtri ordine Gygantæis conatibus ſtolide bellum gerere; ad breves vitæ redimendos dies; ultra animam polliceri; Dic, miſelle mortalis, quid ad animi tranquillitatem ille è terra evulſus ſplendor, illæ ab ultima America congeſtæ opes conducunt? Neſcis, brevi tempore cuncta interire, quibus ſtulta mortalium opinio precium fecit? Quicquid in cenſu tenes, aut ſolo adjicis, una forſan flamma, aut ruina obruet. Nihil firmum & ſtabile eſt horum, quæ ſol videt. Sola periculi metuſque expers tranquilla VIRTUS. Qualis olim divo Auguſtino mens fuit: qui non fortunæ aliquod ludicrum, aut fluxi temporis ſectatus diſpendium. Sed ſupra omnes Regum Principumque Tiaras, ſupra Alexandros & Scipiones tantò ſublimiorem animum ſpiritumque tulit. Mundana hæc omnia, quæ error & ambitio inani pretio æſtimat, hilo ac nihilo juxta pendens. In eo unicè maximeque beatus, ſi illum humanæ ſalutis Recuperatorem, CHRISTUM IESUM, in carne atque incunabulis ſuis contemplari potuiſſet.

Quo ſi omnes incredibili pietatis amore flagraremus, immane quantum! animæ noſtræ ſolatium accederet. Multo melius ad cœli tunc delicias velis remiſque ituri, quàm nunc ad terreſtres mundi opes ſummis laboribus properamus. Fuit illa in vetere Eccleſia Patrum noſtrorum religio, infallibilibus ſacræ paginæ innixa oraculis. Salutifera Chriſti Ieſu nativitas longinquis terræ fini-

 bus

bus Magos elicuit: quos à ſui Servatoris incunabulis nulla itinerum moleſtia abſterrere, non cœli aërisque prodigioſæ hyemes avertere, non ulla Fatorum temporumque injuria inhibere potuit.

Hoc unum seriò incumbebant, principem ſalutis authorem ſummo cum gaudio ac tripudiis exciperent; illi novum mundi ingreſſum lætiſſimis hymnis acclamarent. Quàm ſupra omnem memoriam & menſuram illa Simeonis exceſſit lætitia! Cum ipſum Immanuelem tetricis triſtibuſque involutum pannis coram in cunis contueretur. Mirum quantum! ſacra Prophetarum deſideria hunc diem crebris ſuſpiriis expetiverunt, ut promiſſam Abramidæ ſobolem ovantibus animis adſpicerent. Quàm vos dulci harmonia humani generis Meſſiam excepiſtis, Sancti in cœlo ANGELI; Quanta vos cum hilaritudine penè fractis afflictiſque mundi rebus, partam hominibus ſalutem annunciaſtis! Vt lætiſonis animis vocibuſque, Vos O fatidici ſparſique per agros Paſtores exultaſtis. Quam vos ô lucidia in cœlo ſidera natam mundo felicitatem profeſſa, humanæ proſapiæ lætum pæana accinuiſtis.

Nec immerito vos, ſanctiſſimi Patres, ad illud ſecreti Numinis aſylum, tanquam ad ſacram ſalutis anchoram ſpe magna confugiſtis. ubi non fragili fluidoque ſanguine miſellum Hominem; ſed illum ab æterno in æternum Dei Opt. Max. unigenitum Filium in conſimili carne conſpexiſtis. illum Θεάνθρωπον IESUM CHRISTUM, qui nulla peccati labe inquinatus, nullis vitiorum ſordibus pollutus, procul omni humanæ pravitatis contagione hoc univerſi theatrum eſt ingreſſus. Illum veſtris oculis eſtis intuiti, qui præter communem naturæ ordinem, divino conceptus Flamine, ac Virgineæ matris emiſſus utero, in hanc fatalem mundi arenam ultrò deſcendit. Vulgus hominum ſi à novo orbe alienum Regem Principemque

pemque viderit; ſi res inſolita uſquam acciderit; quanta feſtivitate & pompa undiquaque accurritur! Quibus inſolentiæ modis Templa ac Theatra perſonant! Illam Æterni Patris æmula Majeſtate Prolem in mortalibus vagientem cunis ſi audias, nonne ſtupenda celeritate, & plus quàm Pegaſeo volatu remigioque feſtinus accurras? Adeſte orbis incolæ, adeſte, Cernite incognita Patribus miracula. Deus, Homo naſcitur, & quem nulla temporum ſpatia ſuis unquam limitibus definiant, Hic nunc puſillam humani corporis compaginem lætus ingreditur. Ille, qui cœlorum decus & gloria, qui ſupra omnes Regum apices imperium tenet, cui nihil ſimile viget ac ſecundum, Ecce, nunc putridæ carnis ergaſtulum ſubit. Ille, qui noctivagas inferni domos ac regna tenebrarum *ſub pedibus premit, ac Stygio dominatur Averno*, Hic nunc, mirabile effatu! coram brutorum præſepibus, in extrema rerum inopia vitæ auſpicium ſumit. Neminem profectò putem, tam profligati pudoris oriſque, quem non tanti ſpectaculi Majeſtas totum commoveat. Cui non ſacer aliquis igniculus jam dudum in pectore efflagret. Qui non præ omnibus mundi ludibriis, libens lubenſque ad Chriſti cunabula accedat; ſacrum illis oſculum impingat, ibique devotæ mentis perennem victimam obtulerit. Nihili ſunt terrarum omnes divitiæ, quas brevis annorum periodus conficit, quas una ætas extinguit, una ſæpe hybernia comminuunt. Hæc incredibilis animi mei oblectatio, gaudiumque, ſi Te, CHRISTE Salutifer, vivum in terris vidiſſem, ſi à tuo ore ſalutis Myſteria percepiſſem; unà cum tuis Apoſtolis ad ſacro ſancti lateris tui cuſtodiam Diſcipulus adſediſſem. Ecquid in omni vita jucundius, quàm à tui oris divina Suada ad Pietatem excitari; quàm tuæ Probitatis exemplo ad pulcherrimorum effigiem commonſtrari; quam tuo ductu ac patrocinio ad Modeſtiam, ad omnem

denique Virtutem promptiſſimè manu duci? Certè, nullam unquam te fideliter colendi occaſionem; nullum debiti cultus obſequium, nullam divino nomini amplificando copiam intermiſſurus. Pudeat nos humanis negotiis ita ex toto devinctos; tanto ſpiritu ad inutiles ſcientias rapi; ſic inani laudum gloria ad ardua quæque niti, quaſi immortalitatis quædam ſpes ingeniorum labores ſequeretur. Tunc demum ter & amplius felicem me arbitror; ſi tuas, ô CHRISTE IESU, virtutis animique ingentes dotes his meis oculis coram luſtraſſem. ubicunque certè lætum Tibi carmen in laudes & gloriam pepigiſſem: quando ſolo manus contactu vitam mortuis reſtitueres; ægris animis vires & robora ſufficeres; multos à ſalutis deſperatione ad ſpem & gaudia reduceres. Cum ſine ullo medicamine & herbarum viribus, ſola verbi tui medicina ſurdis auditum, cæcis oculos viſumque redderes. Cum citra omnem ciborum apparatum, per quadraginta dies; famam ſitimque tolerares, de ſolida vini petra fontes eliceres; ſuper ipſis oceani fluctibus inambulares. Dicite, amabo, quid libentius animo meo oculiſque contuear, quam illud in cœlis caput noſtrum CHRISTUM IESUM; quàm illum Salutis noſtræ Reſtitutorem? Qui ſuo me ſanguine ab omni peccato repurgavit; ſuis miſeriis animam meam ab orci faucibus liberavit; ſua denique morte humano generi æternæ ſalutis poſſeſſionem reſtituit.

O vos terque quaterque beatos, Sancti Apoſtoli, qui cum illo vitæ noſtræ Mediatore, CHRISTO, tot mutuo congreſſus habuiſtis, tam crebris invicem colloquiis diſſeruiſtis, tam frequentibus amicitiis officiorumque neceſſitudinibus, tam pulchrum divini amoris collegium inſtituiſtis. Sed, veniet ille dies, quando & *Ego* REDEMPTOREM *meum his oculis, hac carne coram intuebor.*

DIXI.

ORATIO

ORATIO XXXVII.

PAVLVS in Ore.

ANDR. P. WINCKELIUS;
Monechod. Batt.

MAgna nos omnes admiratio tenet, *A. A. Spectatiſſ. D. D. Audd.* quando aliquem de pace belloque diſertiſſimè perorantem intuemur; ſive de rerum controverſiis ac forenſi negotio ornatiſſimè copioſiſſimeque dicentem. Magna oratori accedit dignitas, quando de arduis Reip. conſiliis ſua voce ad populum loquitur; quando, bene dicendi optimè inſtructus inſtrumentis, audientium animos aureſque pulcherrima oratione demulcet. a) Qua una Eloquentiæ facultate ſi quis ante alios excellit, mox totius civitatis gratiam, hominumque affectus ſibi demeruit. Cum nihil ad amorem concitandum conciliandumque magis idoneum reperiatur, quam pulcherrimis verborum floſculis, & affluente rerum copia pleniſſimè exultans oratio. In qua una tanta eſt vis tantaque majeſtas, ut barbaras quoque gentes ad humanitatis cultum miſericordiamque commoverit; ut leges & jura feris nationibus impoſuerit, ſaxis & ſolitudinibus penè animam & ſenſum addiderit. Tantum illa Ethnicorum quondam valuit Eloquentia: ad quam ſi virtutis & pietatis robur accedat, quid non iſta religioſæ perorationis efficiat procella? Vnus in Eccleſia Vir egregiè diſertus, quos animorum motus fluctuſque excitat? quàm univerſi populi aures in ſtuporem æſtumque rapit? ut dulciſſimæ linguæ lepore admirabiles in auditorum animis aculeos relinquit! Nonne omnes ad unius divini Præconis eloquentem concionem, aut metu quodam exhorreſcimus;

a) *Eloquentiæ vis.*

mus; aut læti ovanteſque exſurgimus? An aliquid univerſo civium cætui optabilius præſtantiuſque accidere poteſt, quàm divino in templis Oratori aurem accommodare? quàm ad illius oracula & os ſacrum vitam moreſque componere? in ipſum, tanquam in vivum virtutis exemplar & ſpeculum, oculos animoſque defigere? Qui ſi horrendo verborum fulmine in peccata noſtra deſæviat, heu! quàm ſub illo vulnifico eloquentiæ ictu triſtes & attoniti ingemiſcimus! Quàm de vita & vitiis noſtris eheu! infandum dolemus! Quàm noſtræ pravitati inſitiſque à natura animorum maculis graviſſimè iraſcimur! At verò cum jacentes proſtrataſque hominum cogitationes blanda mollique oratione Dei legatus attollit; cum nos adverſus mundi hæc ludibria in pugnam & aciem hortatur, quàm prompti paratique Imperatorem ſequimur? Hac divini oris concitati eloquentia in omnes variè formas tranſimus. Si vetuſta legum oracula nos obtorto quaſi collo ad furcam & carceres trahant, lacrymis fletibuſque miſelli diſrumpimur; ſi melior mitiſque Euangelii aura nos adſpirat, ſtatim in læta gaudia plauſumque commovemur. Hæc vos manet, Clariſſimi Oratores, admiranda perſuadendi felicitas; hæc, ô divini Paſtores, veſtra eſt Eloquentiæ gloria & amplitudo. At vero, ſi te, ô beatiſſime PAULE, meis oculis uſurpem, quàm Tu multo melleoque verborum nectare atque ambroſia meas aures animumque expleres! Qui unus omnium Oratorum ſummus atque princeps exſtitiſti; non ad blandicella fucati ſermonis verba molliter compoſitus; ſed ad divinæ facundiæ Majeſtatem pleno ore ingenioque, cumulatiſſimè perpolitus. non inertibus Scholarum præſcriptionibus, non Academiarum frivolis altercationibus ad tantum ſapientiæ doctrinæque faſtigium provectus. Supra omnes Græcorum *Solones & Lycurgos*; ſupra Romanorum

Catones

Catones ac *Scipiones*; ſupra *Metellos*, *Lentulos*, *Craſſos*, *Scævolas*, *Cethegos*, pluſquam Attica dicendi ſuavitate atq; elegantia emicuiſti. Nihil ad tui oris flexanimum leporem *Demoſthenis* aureum verborum flumen; nihil *Periclis* & *Pompei* in agendo oris fulmen; nihil *Sulpicii*, *Antonii* & *Ciceronis* auguſta oratio. Tu divino uſus Magiſtro, Spirituſque Sancti ore atque inſtitutione, ad omnia præclara edoctus, ſalutiferam hominibus conſolationem admirabili eloquio explicuiſti. Tu illo cœleſtis Eloquentiæ rore non leviter tinctus, non niſi fatidica Numinis oracula generi humano prætuliſti. Te, PAULE, ſapientiſſimi doctoris divina adminiculatio ad omnem Pietatis normam & officia perpoliverat. Tibi noſtræ ſalutis myſteria ab arcano Dei conſilio quaſi in tabulam deſcripta. O felicem illum diem, quo Te coràm intueri fas fuit; quo tui oris diſertiſſimo artificio ad divinæ majeſtatis deprædicandam gloriam, immane quantum! proficere licuiſſet. Plurimi facio, veſtram, ô divini Legati, cœleſtem orationem: quando veſtro me exemplo ad meliorem vitam virtutemque informatis; contra feroces Satanæ aſſultus ſeptemplicem Fortitudinis clypeum in manus mihi traditis, ad ſpem & ſacra viam lucemque aperitis. Nunquam à ſacro Templorum limine pedem ſubduco, quin me multo meliorem efficitis, quin contra hujus ſæculi profana atque luxum egregio me robore communitis. Et ſanè nulli mortalium majores debemus gratias pro ſedula animarum cura almæque pietatis profeſſione, quàm vobis vigilantiſſimi Chriſtiani gregis, Reverendi Paſtores. Sed ubi, Te; O diviniſſime PAULE, animo meo contemplor, quàm tuæ admirandæ Eloquentiæ alumnus eſſe deſiderem! Cujus Propheticam Oratoriam nulla humanæ infirmitatis labes conſpurcat; nulla peccati origo contagioque ſuis ſordibus contaminat. Cæteri mortales ſæpè magna

litium contentione ac diſſidiis correpti, non niſi peſſimo vitæ exemplo rem ſacram profitentur, niſi odio jurgiiſque inter ſe turpiter diſſidentes, pleno ſpiritu ſtomachoque fœdiſſimè invicem deſciſcunt. Prô pudor! quanta macula Religioni admiſcetur! quanto luxu atque ambitu mutuò diſſolvimur! Quam multis erroribus miſeriiſque ſacra pulvinaria inquinantur! Penè Cœleſtium obliti, firma in terris domicilia ſectamur. Et hoc malè nos habet, quod non omnem ab Eoo mari, purpuram ſericumque intra noſtras arcas & ſcrinia concludimus. Dic, ſodes ubi non gentium ſacrorum Religio jam vapulet? Fas & fides incorrupta non lateat? Priſca Simplicitas & Modeſtia fugam non quærat? Longè Tu aliter, ô PAULE, divinæ veritatis Anteſignanum egiſti: qui non adulterini ſenſus rabie unquam laceſſitus, aliquam maligni dentis injuriam in vulgus diſſeminaſti. Tu cœlico plenus ſpiritu; contra omnem vitiorum turbam felix fortiterque dimicaſti. Tu pro gloria æterni Numinis ferrum & ignes maſculè ſuſtinuiſti; invidiam, injuriam facili animo toleraſti. Tu in vita continentiam, in lingua modeſtiam, in omnibus animi corporiſque functionibus germanæ Pietatis veſtigia oſtendiſti. non aliter voce ac doctrina, quàm vita & exemplo Chriſtiani nominis ſanctitate ſtabilita. Quid eſt, ô PAULE, quod prius: quod poſterius in Te collaudem? Si *Hippiam aut Xenophontem* ſupra hominem ob Eloquentiæ claritatem in cœlum attollo; ſi *Ciceronem, Piſiſtratum*, *Thraſymachum* immortali dignos gloria deprædico. Tu ultra Latium & Athenas, ô PAULE, omni doctrinarum laude cumulatior, perfecti Oratoris omne punctum attigiſti. Quo uno nemo mortalium orationis Suada politior, nemo ingenii præſtantia major, nemo rerum verborumque copia inſtructior. Illum verò Heroicæ virtutis acrem zelum ſi ſeriò conſiderem, quis te, ô Paule,

ô Paule, Religionis ſanctitate modeſtior; quis vita moribuſque emendatior; adverſus improbam peccandi licentiam quis vindex cenſorque animoſior? Qui non ô Paule, piiſſimo *Davide* & *Salomone* probitatis laude inferior; qui non *Abrahamo* aut *Moſe* divino cultu remiſſior; qui non *Iobo*, non *Ieremia*, fortiter tolerandis humanæ vitæ miſeriis, infirmior.

Quàm Te libens lubenſque, ô Dive PAULE, meis oculis adſpiciam! Quàm de tuis, ô Fatidice Apoſtole, labris eloquioque pendulus eſſe percupiam! Quàm nunc tecum in tertium illud cœlum adſcendere deſiderem!

Tu faxis, ô Æternæ Veritatis Magiſter, quod in terreſtri hac mole corporique fœdo contubernio contingere eſt nefas, aliquando poſt hunc fluentis ævi terminum, à facie ad faciem tanto luculentius feliciuſque in cœlis contemplemur.

DIXI.

ORATIO XXXVIII.

ROMA in Flore.

ÆGIDIUS ab OUDESTEYN, Alcm. Batt.

Ad imitationem Lipſianam: cujus Magnitudo Romana hic in compendium contrahitur.

EGo, quod miremini H.A. nihil unquam tanto cum animi affectu videre deſiderem, quam illam,

Terrarum Deam Gentiumque Romam,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Romanos, inquam, rerum Dominos Gentemque Togatam; illud mundi compendium; illam Arcem nationum ac Regum, lumen Gentium, orbiſque miraculum, ROMAM:

a) *Qua nihil in terris complectitur altius æther,*
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox ulla capit. Qua luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris,
Armorum legumque Parens.

b) *Qua nulla unquam Reſpublica nec major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit*; quam jure meritoque *Imperii virtutumque omnium larem* appelles; quæ apud Græcos à *Fortitudine*, apud Hebræos à *Sublimitate*, apud Germanos à *Gloria* & *Fama* nomen accepit.

Vos, *Nobiliſſ. Ampliſſ. Cl.DD. Audd.*, quando nunc Romam, ſed extra Italiæ fines, ingredior, quæſo, paulisper ſpectatores adeſte. Quantum erit, compendioſa utemur via, & vobis, quaſi de ſummo Tarpei aut Capitolini montis jugo, antiquam illam Romam ſub oculos adſpectumque dabimus. Et niſi ſub umbra, tantæ molis opus in anguſta tabella faſciculoque oſtendemus. Hic nunc locus Amphitheatrum erit: ubi Principis populi facta coram oculis intueri licebit.

c) Imperii Romani fines limiteſque olim quam diffusè per orbem terrarum ſe extenderint, nedum cogitatione, aut diſertiſſima oratione comprendere poſſum. Cum magno *Cicerone* loquor: *nulla eſt gens, quæ non aut ita ſubacta ſit, ut vix exſtet; aut ita domita, ut quieſcat; aut ita pacata, ut victoria noſtra imperioque lætetur.* Et paſſim de Romanis mundi dominis Fama ac Fides teſtatur: *Solem utrumque eorum imperio currere.* Nec inſcitè Poëta.

d) *Orbem jam totum victor Romanus habebat,*
Qua mare, qua terra, qua ſidus currit utrumque.

Quanquam tamen multa inacceſſa & non cognita adhuc loca, ad Orientem ſub Parthorum imperio, ad meridiem & ſeptentrionem ſub variis liberiſq; Regi-

a) *Claud.* b) *Liv.* c) *Limites Imp. Rom.*
d) *Petronius.*

Regibus ſuêre, quæ nunquam à Romanis armorum vi ſubacta. Illud fide dignis conſtat teſtibus, quod florentiſſima terrarum regna devicerit; quod pulcherrimas Aſiæ & Africæ regiones; quod totius Europæ nobiliſſimas Provincias ſub ditionem ſuam coëgerit. Termini fineſque imperii ſub Auguſto erant, ab oriente a) *Euphrates*; à meridie *Nili cataracta & deſerta Africa & mons Atlas*, ab occidente *Oceanus*, à Septentrione *Danubius* & *Rhenus*. His limitibus Pop. Romanus ſuæ urbis mœnia potentiamque circumſepſit, quibus natura rerum ſui robur ac præſidium definire potuit.

Subdidit Oceanum ſceptris, & margine cœli
Clauſit opes. quantum diſtant à Tigride Gades,
Inter ſe Tanais quantum Niluſque relinquunt.

In *Aſia* Romani Colchidem, Iberiam, Cappadociam, Bithyniam, Galatiam, Armeniam, Syriam, Arabiam, Palæſtinam ſuis finibus adjecere; In *Africa* Ægyptum, Getuliam, Numidiam, Mauritaniam ſub jugum miſere; In *Europa* Italiam, Hiſpaniam, Gallias, Macedoniam, Epiron, Græciam, Thraciam, Pannoniam, Daciam ſuæ poteſtatis fecerunt. Multa volens prætereo, quæ glorioſus Quiritum exercitus ſuis armis ad deditionem coegit. Adeo ut nemo dubitet, b) *quin ad conſtituendum ejus imperium Virtus & Fortuna contendiſſe videantur.*

Ad tanti imperii conſervationem & tutelam, immane! quantis militum claſſiumque copiis Rei Romanæ ſemper opus! Sub c) *Auguſto* & *Tiberio* viginti quinque legiones militiam adminiſtrabant. Sub *Trajano* & *Hadriano* plus quàm triginta per varias provincias ac regna diſperſæ fuerunt. Quid dicam de uno *Auguſto* Cæſare, ad cujus corporis cuſtodiam decem hominum millia excubabant? Quid de *Claudio Imp.* qui vigilum & urbanis Tribunis decem & ultrà cohortes ad corporis defenſionem

a) *Claud.* b) *Florus.* c) *Copia militares.*

ſionem attribuit. Neque minus Romanis cura fuit vaſtiſſimos Imperii fines mari quàm terra variis Legionibus claſſibuſque fortiſſimè communire. Apud *Miſenum & Ravennam*, ait Vegetius, *ſingulæ legiones cum claſſibus ſtabant, ne longius à tutela urbis abſcederent, & cum ratio poſtulaſſet, ſine mora, ſine circuitu ad omnes mundi partes pervenirent. Nam Miſenatium claſſis Galliam, Hiſpanias, Africam, Ægyptum, Siciliam in proximo habebat. Ravenatium claſſis Epiron, Macedoniam, Achaiam, Cretam, Cyprum, Orientem & Pontum directa ſemper navigatione petebat.* a) At verò Coloniarum deductio, optimum nobiliſſimumque Romuli inventum domeſticam imperii quietem tuebatur. Quodque extra urbis pomœria latè diſperſus miles, hoc aliunde deducti coloni evocatique intra proximos fines expediebant. Legimus de *Iulio Cæſare*, quod in pace & conſulatu agrum Campanum & Stellatem viginti millibus civium, colonia Capuam deducta, diviſerit: quod idem Dictator in tranſmarinas colonias octoginta millia diſtribuerit. Optimè igitur Seneca: *Populus Romanus quot colonias in omnes provincias miſit? Vbicunque vicit Romanus, habitat.*

Quis non meritò admiretur unius Populi magnitudinem, quando ad tenera imperii initia, & anguſtam Romuli caſam cogitationes ſuas intendat? Sed non diu in obſcuro atque tenebris nova imperii virtus latere potuit: b) Quæ cum primum extra humiles tugurii cancellos egreſſa, ad inſtar diu ſopiti ignis in clariſſimum incendium flammamque prorupit. Cum in incunabulis ſuis jam primùm Reſpublica naſceretur, & ad militiam gradus ſterneretur, *vix terna peditum millia, &* Equitum trecenti in cenſu fuêre. Quorum numerus una cum Romuli maturitate atque annis eo uſque pervaſit, ut plus quam *quadraginta peditum millia, & Equitum mille* in centurias legioneſque adſcri-

a) *Colonia Rom.* b) *Tenera initia Rom. Imp.*

adſcriberentur. Hujus multitudinis hominumque incrementi cauſa, apertio ASYLI fuit: quod cum exteris nationibus ſpem magnæ libertatis faceret, infinitas hominum copias ad novæ urbis mœnia elicuit. Cum jam ad mediam ferme adoleſcentiam Romana ætas deflexerat, cenſa ſunt civium *ducenta & ſexaginta millia*. Et paulo poſt, ſociis in civitatem receptis, circiter *nongenta millia*. Auguſti tempore in tantum P. Romani cenſus adauctus, ut cenſa ſint Civium Romanorum capita a) *Quadragies centum millia & ſexaginta tria*. Nedum in illo humani generis felix ſubſtitit acceſſio. ſed una cum fatalis imperii magnitudine, mirum quantum excrevit! Teſtis eſt Tacitus, quod ſub *Claudio Imp. Sexagies novies centena Sexaginta quatuor millia populo* acceſſerint. Adeò à teneris initiis, ſic olim puſilla Roma ad tam admirandæ potentiæ faſtigium feliciſſimis auſpiciis aſcendit. Quam unius populi multitudinem cætera omnia pari gloria ac dignitate comitabantur. Quod inprimis liquet, quando priſca Romanorum vectigalia & b) *Tributa* conſideramus; quando *Triumphales Manubias*, *Liberalitates*, *Erogationes* principum paulo exactius intuemur. Quantum è *Decumis*, *Vigeſimis*, *Quadrageſimis*; è *paſtione* & *Portoriis* ad publicum Cenſum & æraria, tanquam perenni fonte affluxit! unius Siciliæ Decumas, vix centeſimæ partis Romani orbis, ait Cicero, *nonagies Seſtertiorum æſtimatos fuiſſe*. Amplius, *Corn. Sylla*, qui ex ſolâ Aſiâ *duodecim milliones* ab agris vectigalibus percepit. *M. Antonius* Triumvir, ſed iterum ex Aſiâ *ducenta millia talentûm*. Quàm immenſæ magnitudinis vectigalia à Phœnicibus, à Pamphiliis, ex Ponto & Bithinia exacta! Quanta portoria ex portu Syracuſano collecta! Quanta pependit Italia & India! Quid non reliquæ Provinciæ

a) *Robur Imp. Rom. Auguſti tempore.* b) *Vectigalia.*

vinciæ atque inſulæ in tributum detulêre! Sola, inquam, Vectigalia, ſola Tributa exteris Gentibus impoſita *centum & quinquaginta milliones annuos in ærarium conferebant*.

Vberius fuſiuſque ſub oculos hæc deducam vultis? Arrigite aures, quæſo, & nunc mecum ad Publicas divitias & rem nummariam accedite, ſingulas civium opes atque reditus ſumma cum voluptate exploraturi. Populus Romanus, ut pace & bello optimis Reſp. conſiliis uteretur, *Ærarium militare* inſtituit: unde ſtipendia ac præmia in bellicos uſus ſumptuſque erogabantur. Cujus tam ſtupendæ opes, ut non omnes hodie Europæ Reges tantis pecuniarum acervis ſuffecerint. De quo nemo illorum dubitet, qui Provinciarum Tributa, & factas in bellum impenſas, cum privatorum facultatibus expenderit; qui auri argentique fodinas exploraverit. Cum aliquando apud Romanos, ut inquit *Polybius*, non minus *quadraginta millia hominum* in quotidiano opere ac fodinis occuparentur.

a) nunc verò ſi ad opes è Præda & Manubiis conflatas me conferam, vah! quàm noſtræ Fortunæ ac tenuitati indignor. *A Rege Romulo uſque ad Auguſti tempora circiter trecentos & duodecim triumphos commemorat hiſtoria*: quorum ſi prætiaponduſque expendas, nullâ id unquam ratione aut calculo aſſequâre. Exemplo eſt *Tarquinii Superbi* triumphus, qui victâ Sueſſâ Pometiâ tantum prædæ ærario intulit, ut ſacratæ Diis Decimæ quadringentorum talentorum ſummam explerent. *Papyrii Curſoris* de Samnitibus Triumphus, qui vicies centum millia æris & quingenta triginta millia ex captivis, argenti pondo mille trecenta triginta ex victis civitatibus congeſſit. *Pub. Scipionis* in Hiſpaniâ triumphus, qui ſignati argenti magnum numerum, argenti quatuordecim millia pondo

a) *Opes ex prædis.*

pondo quadraginta duo in ærarium tulit, victâ Carthagine argenti pondo centum millia triginta tria. Taceo de altero *Scipione*, de *Paulo Æmylio*; de *Corn. Sylla*; de Cn. *Pompejo*, *Paullo Catone*, *Cæſare*: qui admirandis quiſque opibus P. Romani facultates auxerunt. Nihil nunc dicam de Coronis aureis ducentis duodecim *Cn. Manlio* oblatis, de centum quatuordecim *Quinctio Flaminio*; de bis mille octingentis viginti duabus Cæſari. Prætereo *Auguſtum*, qui una donatione ſedecim millia pondo auri in cellam Iovis Capitolini intulit; Et *Syllam*, cui in funebri pompâ ſupra bis mille aureas Coronas prætulêre.

a) Ad Populi Romani impenſas ſi venio, & publicè privatimque factas effusè Largitiones, vereor, ſupra fidem noſtri ſæculi multa ſim dicturus. Tanta olim veterum Imperatorum fuit liberalitas, tanta in omnibus rebus profundendi cupido. Clarum hoc ex *Cicerone*, qui Piſoni Proconſuli in Macedoniam eunti objecit, quod ſeſtertiûm centies octogies in ſolam vaſariam ſupellectilem deprompſiſſet. Quid non pecuniarum in variorum munerum Curatores impenſum? in Dictatores, in Conſules, Cenſores, Equites, Tribunos, in Legatorum ampla ſtipendia, in annonæ præfectos, in Frumentationem denique ac pauperes? Fuit magna liberalitas *Auguſti* tempore, cum ex Ægypto annua ducenties centena millia frumenti urbi inferrentur. Et *Conſtantini* Imperio, qui octo Myriadas medimnorum frumenti quotannis in plebem erogavit. Laudem quidem meretur illa in pauperes munificentia. Quæ verò in ludos & Spectacula facta pecuniarum dilapidatio, odio non indigna. b) Vapulat hoc nomine *Auguſtus*, qui quater & vicies quingenties aut millies ſeſtertiis ſingulos ludos apparavit. Non minus *Nero*, qui auro argentoque theatrum toties obduxit; vela, quæ supernè contra

a) *Largitiones.* b) *Sumptus Ludorum.*

Digitized by Google

contra ſolem obumbrabant, purpura aureiſque ſtellis interſtinxit. Item *Antonius*, qui ſcenam argenteam inſtruxit; *L. Muræna*, & *Cajus* Princeps, qui in circo pegma duxit, in quo argenti pondo centum & viginti quatuor millia. Quid verò helluonem Imperator *Heliogabalus*, qui in Euripis vino repletis Circenſes navalium pugnas exhibuit? Sed metuo, aurium veſtrarum patientia abutar AA. Domini AA. ſi tot *Gladiatorum* millia; tot *feras* ex altero orbe in caveam deductas, tot *Sparſiones* in Populum ac *miſſilia* in ſcenam proferrem. Non ſilere tamen me patitur *Auguſti* iterum majeſtas, qui ad decem millia Evocatis, quos metu Antonii contraxerat, ſingulis quingentas drachmas donavit. Et cum à Mutina motis ſignis urbem intraret, bis mille quingentas drachmas in illos, qui ſe deduxerant, largiter diſtribuit. Cupiat ſe aliquis illi ex aſſe heredem, qui viritim populo Romano trecentos ſeſtertios legavit; aut in Dodrantem ſuccedere *Tiberio*, qui vicies ſepties millia Seſtertios Caligulæ in gulam reliquit. Ita parum attentus ad rem fuit *Nero*, qui pecuniarum nullum uſum fructumque putavit, quàm ad profuſionem ac abuſum. Sic Imperator *Severus*, *Octavianus*, *Commodus*, *Claudius* nunquam melius magnitudinem ſui imperii, quàm in impiis voluptatibus ac commeſſationibus oſtentârunt.

a) Satis in publicum Ærarium & Imperatorum triclinia Spectatores egiſtis. Ad Privatorum nunc opes vos deduco. ubi primum agmen meritò ducit M. *Craſſus*, qui neminem divitem exiſtimavit, niſi ſuis fructibus integram Legionem ſuſtentare poſſet; qui in agris quinquagies centena millia Coronatorum poſſedit, in ſervis quingentos Fabros & Architectos, quorum operam Reip. elocabat. Quâ tamen opum ſtupendarum gloria non inferior *Pompejus*, qui multa flumina in ſuo orien-

tia,

a) *Privatorum opes.*

tia, in ſuo cadentia vidit. Non *C. Antoninus*, Ciceronis Collega, qui totam inſulam & oppida in ſuo patrimonio habuit. Non illi, de quibus Seneca: *Beneficium eſt donare regiones, per quas magna flumina & navigabilia decurrant.* Quorum fundos nec milvi, ut ait Poëta, oberraverint. *L. Corn. Balbum* intueamini, qui moriens P. Romano viritim denarios viginti quinque legavit. *L. Lucullum*, qui ſuis ſumptibus claſſem trecentarum navium contra Mithridatem inſtruxit. *Tullium Ciceronem*, qui ex pauculis agris annuo proventu centum ſeſtertios percepit. Anne dignus quoque *Seneca*, quem non ſolum virtus, ſed & Fortuna benignis oculis adſpexerit? Et *Plinius* ille Iunior, qui ſeptuagies quinquies centena millia Philippæorum in ære agriſque habuit?

a) Pudeat vos, Fortiſſimi Romani, quod in tanta Fortunæ opimitate, tanto luxu & voluptatibus veſtri nominis gloriam contamináſtis. Qui peregrini aëris volucres & remotorum littorum piſces tanto ſtudio pecuniiſque conquiſiviſtis. qui gemmis & unionibus edulia condiviſtis, humum croco, ſcalarum gradus balſamo perfudiſtis; parietes oſtro & aulæis obvelaſtis. Vah! amentiam tuam, ô *Cleopatra*, quæ uni Antonio cœnam inſtrueres, in qua ducenta quinquaginta aureorum millia conſumeres. Quid venit in mentem, Tibi, ò *Xerxes*, quod novæ voluptatis inventori præmia conſtitueres? Tibi, *Caligula*, quod pretioſiſſimas gemmas aceto liquefactas ſorbillares? Tibi *Mithridates* Ponti Rex, quod plus bibentibus lucra & honores proponeres? Quanta in *Tiberio Cæſare* voluptatum fuit cupiditas! qui mille menſarum convivia populo exhibuit. Quanta in *Titellio!* qui fornacem in campo extrui juſſit, ex lactibus, cerebellis, linguis; jecinoribus, inde uſque à Parthia collectis. Quanta in *Heliogabalo!* qui ut ipſe ſibi & uxori

a) *Luxus Rom.*

& uxori hæres exiſteret, prius univerſum imperii patrimonium in ſuum ventrem demergere voluit. Quorum omnium *Convivia*, *Natalitia*, *Funebres Commeſſationes, Viſcerationes, Epulationes, Ingurgitationes* pertexere ad unguem ſi pergam, dubito, an quicquam de virtute viribuſque Romanis dicere nunc amplius auſim.

a) Multo magis me afficiat ille admirandus Romanæ civitatis conſpectus: *Cujus* (Camilli verba ſunt) *non ſine cauſa Dii Homineſque condendæ locum elegerunt, ſaluberrimos colles, Flumen opportunum, quo ex Mediterraneis locis fruges devehebantur, quo maritimi conventus accipiebantur, mare vicinum ad commoditates, nec expoſitum nimia propinquitate ad pericula claſſium externarum, regionum Italiæ medium.* Te tamen videre in tuo Flore, ô alma virorum virtutumque nutrix ROMA. Tua delubra quàm inire geſtiam; Tuum Capitolium triumphali curru ut libens conſcendam! Hæc una mihi voluptas atque anima foret, ſi ſacram *Iovis Tonantis Ædem*; ſi *Iani Martiſque* templum, ſi Deæ *Ægeriæ* ſimulacrum, *Ancilia*, illud ſempiterni Imperii, *Palladium*, meis oculis coram intuerer! Quid non tuo, ſepticollis Roma, quindecim milliarium ambitu olim complexa, quod nunc animi tantum oculis, heu miſer! adſpicio. Nunc ruina vos tegit *Decora* urbis æternæ, vos in modum Provinciarum exſtructa *Lavacra*. Non *Fora*, non *Baſilicæ*, non *Curia*, non *Palatium* uſquam in aliqua luce apparetis. Vbi nunc illud in quadringentarum ſexaginta columnarum *M. Scauri* Theatrum: Cujus cavea ſeptuaginta hominum millia capiebat? Vbi nunc *Caji Caligulæ Pons*, quem ad tria Milliaria, à Puteolis ad Baulos, in ipſo mari ad convivandum exſtruxit? Iſta *Caracallæ* Prætoria & diverſoria? Rudera nunc eſtis, inſanæ ſubſtructionum moles, *Titiani*, *Tauriani*, *Curionis*, *Pompeji*,

a) *Situs urbis Romæ.*

Pompeji, *Auguſti Amphitheatra*. Et in cineribus jam longum deſidetis, vos ô Clariſſimi *Palatini*, *Aventini*, *Capitolini*, *Viminales*, *Eſquilini*, *Tarpeji* montes, voſque Splendidiſſimæ *Thermarum* ſtructuræ, *moles Hadriani*, *Auguſti Mauſolaum*, *Aquaductuum* miracula.

At vos, ô Bellicoſiſſimi Romanæ militiæ Heroes, quam vos, inquam, in illo Imperii flore meis oculis auribuſque uſurpare deſiderem! Te inprimis tanti generis Gentiſque conditor, *Romule*, Te patriæ liberator, *Camille*, Te Epirotarum adſperſe ſanguine, *Papyri Curſor*. Quantæ animorum deliciæ ac gaudia, ſi cum *Claudio Marcello*, cum *Fabio Maximo*; cum *Scipionibus*, cum *I. Caſare*, *Mario*, *Pompejo*, de victis exterarum gentium nationibus luculentâ ratione liceat nunc mihi diſſerere! Dicerent illa Deorum Simulachra, quæ Provinciæ à Romanis Ducibus expugnatæ; quæ civitates ſubverſæ, quæ regiones ferro flammiſque devaſtatæ; dicerent ſuis edocti exemplis, quantum in *Italia*, in *Hetruria*, in *Campania* ſanguinis, effuderint. Quomodo *Sabinis*, *Samnitibus*, *Tarentinis* jugum impoſuerint; Quomodo *Epirotas*, *Pyrrhum* & *Gallos* Romanis ſubjecerint; Quomodo *Siciliam*, *Sardiniam*, *Africam* humani ſanguinis fluminibus inundarint; Quæ facies *Carthagini* in pulveris habitum converſæ; *Macedonia* victrici ferro ſubactæ; *Græcia*, *Syria*, *Aſiaque* populis ſub imperium receptis. De Diſciplina militari, tenaciſſimo Reip. vinculo, *Manlius Torquatus*, *Papyrius*, *Poſthumius Tiburtus*, clariſſimum exemplum præberent. De priſca in patriam fide, contra communem Libertatis hoſtem Catilinam, *Cicero* teſtaretur; contra *Tarquinium Superbum* ac civium tyrannicidam *Brutus* & *Collatinus*. Illi, inquam, Romani nominis Atlantes, immanè quantum! glorioſa ſua voce aures animumque oblectarent.

a) Vos

a) Vos nunc, *Patres Conſcripti*, appello: quorum non minus facie atque intuitu, quam olim *Pyrrhi* legatus in ſummam admirationem ſtuporiſque æſtum rapiar. *Qui; quid de hoſtium urbe ſentiret*, interrogatus; *urbem ſibi templum viſam. Senatum verò Regum conſeſſum, reſpondit.* Quorum ordinem tanti fecit *Auguſtus*, ut ſingulos nominatim ſalutaret, & diſcedens illis valediceret, nullo Senatorum loco ſe dimovente. At Cæſar *Tiberius* tanto hos honore affecit, ut illis aſſurrexerit, & de via deceſſerit. *Hadrianus Imp.* quo cultu Senatorium ordinem proſequutus? ille cum Libertum ſuum inter duos Senatores ambulantem conſpiceret, colaphum ipſi inflixit, quod indignus illis honorem præriperet, quorum ſervus vix eſſe queat. O me terque quaterque infelicem, quod vos, *Togati Iudices*, in *Purpura*, in *Lato clavo ac Trabeis* non viderim; vobis, *Patres Patrati, Verbenarii, Flamines, Feciales*, non devoti animi cultum obtulerim. Quanto olim in honore ſub *Romulo* fuiſtis, vos Regii corporis cuſtodes Nobiliſſimi *Celeres, Troſſuli, Statores, Curiones, Maximi*, ſub Numa *Pontifices, Veſtales, Salii, Augures, Aruſpices*, ſacrorum ritibus venerandi Patres, ſub *Tullo Hoſtilio Albani, Curiatii, Horatii* bellica virtute inſignes. Quos nunc, heu! me miſerum, niſi aliena fide oculiſque in tanti honoris eminentia intueor.

Fateor tamen, præ cæteris omnibus priſca Romanorum b) VIRTUS in maximam admirationem ſuique deſiderium me trahat ſive illorum in bellis *Iuſtitiam, Fortitudinem, Clementiam* conſiderem in alto Reip. otio *Fidem, Pietatem, Continentiam*, in liberalium Artium Doctores *Studium, Favorem, Benevolentiam.* Quod ad Bellicas laudes attinet, nulla unquam gens conſiliis circumſpectior, in hoſtibus ad arma provocandis, in finibus Imperii terminiſque producendis accuratior.

a) *Patrum & Senatorum dignitas.* b) *Virtus Romana.*

tior. Quare, ſi arma, *Livio* teſte, piè movenda, prius res repetebantur. Romani ne quid injurii viderentur. Et prohibentibus Fecialibus, nec Conſuli nec Senatui arma in hoſtem ſuſcipere fas fuit. Mittebantur unà ſolenni ritu quatuor *Verbenarii*, qui res repeterent. ac Deos fœderum ultores teſtes facerent. Quod Pulcherrimè oſtendit Dionyſius: *Quibus ignota*, inquit, *hactenùs Romanorum in bellis Relligio, mirari deſinant, felices eventus plerumque habuiſſe: nam omnium bellorum initia & cauſas, apparebit, juſtas fuiſſe; atque ideo Deos meritò propitios ſenſiſſe & faventes.* Quam in rem non minus eleganter de Roma Rutilius:

Iſtis bellorum cauſis, nec pace ſuperbâ
Nobilis ad ſummas gloria venit opes.

Numquid Carthaginenſibus, Philippo, Antiocho, Tigrani pacem Romanus indulſit; quos cum pellere ac perdere poſſet, ad exitium & ruinam cogere tamen minime voluit. De Romana autem Fortitudine Livius audiatur: *abſit invidia verbo*, inquit, *& civilia bella ſileant, nunquam ab Equite hoſte, nunquam à pedite, nunquam aperta acie, nunquam æquis utique locis laboravimus.* Vera dictio, ait *Lipſius* & Trophæa victarum gentium adſtipulantur. Græcos aut Macedonas aliquos mihi compones? Pyrrhus ipſe Macedo refutabit, & cùm Romanæ militiæ periculum, ſed cum ſuo periculo, feciſſet, vocem è pectore emiſit: *ò quam facile erat orbis imperium occupare, aut mihi Romanis militibus, aut Romanis me Rege.* Non de tua laude ac intrepido in bellis animo nunc tacere poſſum *L. Sicini*, qui centies & vicies in aciem deſcendiſti, ſex & triginta ſpolia ex hoſtibus retuliſti, octo ex provocatione occidiſti, quinque & quadraginta vulnera pectore excepiſti, tergo nullum. Nec te præterire debeo, *Caſſi Sceva*, qui ſolus adverſus hoſtem impetum ſuſtinuiſti, plurimos obtruncaſti, denique armis onuſtus, ſcuto ſolùm abjecto, ad

ad Cæſarem enataſti, ſtupuit ad viri virtutem Cæſar, noſque meritò admiramur dignam annalibus vocem: *Da veniam*, inquit, *Imperator*; *quod ſcutum reliqui*. Quid de illo in Cannenſi prælio milite ſatis unquam ad gloriam decuſque deprædicem Qui plenus vulneribus, truncatus manibus, ſuis brachiis, ubi arma deficerent, Numidam aggreſſus, fœdo aſpectu, naribus auribuſque corroſis, mirum circumſtantibus ſpectaculum reliquit. Hæc militum in arena virtus: quæ ipſos quoque Imperatores ad æternam nominis ſui memoriam promovit. Inter quos facilè primas agis tu *Romule*, *Camille*, *Marcelle*, *Scipio Africane*, *Fabi Maxime*, *I. Cæſar*: qui omnes amorum virtute ac robore ſempiternum famæ nominiſque monumentum cum cœli ſoliſque regionibus determinaſtis. Quod rarum in Martio illo pulvere ac bellorum tumultibus, *Pietatem* tamen, *Probitatem*, *Conſtantiam* omni ſemper loco, tempore ſartam tectamque conſervaſtis. multò prius à vita & fortunis, quàm à Religione atque aris demigraturi. Cum ne ipſis olim Regibus & ampliſſimi honoris Viris unquam Pietas in vitium ac pudorem ceſſerit. Cujus exemplum *Numa Pompilius*, Rex & Sacrorum præſes, non minus ſacerdotali vitta, atque Inſulis, quàm imperii majeſtate venerabilis. Quibus, ut ait Dionyſius, *etſi ſexcentæ nationes penè in urbem fluxerant, ſingulis ſacra ſua rituſque patrii eſſent, tamen ad ſuum ævum nulla peregrina Religio publicè ſuſcepta; aut ſi qua oraculorum monitu introducta, ea ipſa Romano more culta, abdicatis fœdis vanitatibus aut fabularum portentis*. Pietati affinis eſt Probitas, illa animi morumque pura integritas, & aperti oris pectoriſque Romana Simplicitas. Hanc non minus verè quàm artificiosè Polybius depingit. *Apud nos*, inquit, *eſt cui talentum concreditum ſit, & exſtent decem ſyngraphæ, decem ſigna, bis totidem teſtes, tamen fidem vix eſt ſervare: apud Romanos autem, cùm*

in

in imperiis aut legationibus plurimum pecuniæ in manibus habeant & diſpenſent, tamen officium & fides conſtant, ſolâ jurisjurandi religione inductis. Cum illa Romani ingenii ſimplicitate ac fide, totum virtutis agmen occurrit. In quo præ cæteris Continentia & Frugalitas me blando ſui amore valde percutiunt. Prô hominum fidem; quàm noſtræ rei morumque meritò pudeat, ad priſci ævi exempla. Prodite in theatrum, vos animoſi virtutum cuſtodes *Curii, Fabricii, Catones, Scipiones, Æmilii*, ut noſtri temporis, vah! prodigioſam ingluviem, veſtra parſimonia & exemplis ad pudorem & verecundiam commoveatis. Quàm, ô *Auguſte*, publicæ innocentiæ clarum indicium poſteris reliquiſti, cùm ſumptuariam & cibarias leges populo injungeres. Et tu, *Fanni*, cùm feſtis diebus æris centenos, cæteris denos tantum permitteres. Tu *Plini* ac *Plaute* teſtaris, quod Pop. Romanus per aliquot ſæcula non niſi farre & pulte ac cibis inanimis vulgo ſit uſus. O meum delicium, mea voluptas ac deſiderium.

Terrarum Dea, Gentiumque Roma:
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

DIXI.

Recitata tres antecedentes Alcmariæ CIↃ IↃCXXXIX. *Examine vernali.*

ORATIO XXXIX.

De Miſeria & perſequutione Chriſtianæ Eccleſiæ.

JOANNES STEENHUYSEN, *Alcm. Bat.*

MEritò omnes Boni de Chriſtiana Rep. & terra marique, profuga Eccleſia acerbiſſimè dolemus. Cùm univerſum penè orbem flagrare incendiis; tot provincias ferro ac rapinis

pinis exhauſtas, tot urbes in cinerem redactas, tot animas inſontes carceribus damnatas, aut crudeli mortis genere exſtinctas videmus. Meritò, inquam de afflictiſſimâ Chriſtianorum conditione dolemus. Qui per, omnem Europam profugi ac errantes, nuſquam tuto loco ſubſiſtunt, hinc Hiſpanorum cogente tyrannide; illinc Cæſaris impellente immani crudelitate. Inter quos inhumanæ truculentiæ carnifices conſtituta eſt miſerrima Eccleſia. Qui uterque hoc unum ſperant ac moliuntur, ut Chriſtianorum memoriam planè exſcindant, & falſi Numinis Idololatriam inſonti populo obtrudant. Quorum ea eſt indoles, ut in merita & laudes ſuas ducant, quando piorum memoriam de medio tollere; innocentium ſanguinem profundere, bonas leges evertere, orbem terrarum odiis litibuſque replere poſſint. Hiſpanus leges à majoribus ſanctiſſimè rogatas prorſus à tabulâ animiſque hominum delevit; libertatem, quam nemo ſapiens cum Perſarum opibus permutârit, noſtris manibus extorſit. Hiſpanus Rex, in rapinis atque inſidiis, quo non alter violentior callidiorque, noſtrum hunc orbem ad cædem & incendia deſcripſit; cuivis noſtrûm penè animam & vitæ hujus ſpiritum definivit. ô Chriſtianorum conditionem deplorandam! cui non ſolum cum armis, ſed etiam inſidiis eſt dimicandum; quæ jam per tot annos fraudulentiſſimæ Tarpejæ meretricis crudelitati obnoxia. Vbi es ô alma nationum Gentiumque nutrix, Germania? Parum abeſt; quin in pulveris habitum converſa, tota in cineres & favillas deflagraveris. Numquid Hiſpanus florentiſſimas civitates, maxima potentiſſimaque imperia in perniciem & ruinam egit? antiquiſſimos cives civiumque jura in cladem exitiumque compulit? Quos partim ſecuri percuſſit, partim in carceribus & vinculis necavit, partim ſacra libertatis ſuſpirantes in infelices arbores ſuſpendit.

pendit. Accuſant Hiſpanos immanitatis barbaræ infantes: quos è matrum complexu ad furcas & rogos damnarunt. Accuſant Parentes, qui, immane dictu! pretium pro ſepulturâ liberorum obtulerunt. Innocentium Belgarum ſanguis, caſorum inhumata oſſa & cadavera de tanto parricidio, ſcelerum ultorem vindicemque Deum appellant. Execratur Hiſpanum tot ærumnis deformata Bohemia; deteſtantur fidelium latronem divulſæ vexatæque per tot annos civitates. cœlum & terra de tam immani latrocinio miſerrimè conqueruntur.

Quæ tam dira & acerba H.A. etſi magno dolore pectus mihi perfodiant, non tamen partibus meis hic deëro, ut, quàm poſſum diligentiſſimè, de tyrannorum perfidiâ & ſceleribus verba nunc faciam, hoc inprimis tempore, quando ſolennem iſtius memoriam in civitate noſtra propediem celebrabimus. Qui & dudum Tartareo huic hiatui pabulum fuiſſemus, ſi intra hæc noſtra mœnia & parietes ſuæ crudelitatis ſicam nefariam hoſtes expedivissent. De quâ materiâ dum ad vos H.A. verba ſum facturus, etiam atque etiam oro rogoq; aures mihi veſtras animoſque benevolè præbeatis.

Nemo inter omnes mortales tam ſcelerato eſt animo, tamque improbâ vitâ, qui non in virtutis apud alios exiſtimatione verſari cupiat. Alii frontis integumento nequitiam tacito cum ſcelere involvunt; alii abditam ingenii crudelitatem Pietatis velo obumbrant; multi præclara Reip. gerendæ munia affectant. quibus, diſſeminata magnæ virtutis de ſe fama, aliquam gloriam ſibi conciliant. Quam nequitiæ indolem *Philippus Caroli Quinti* F. imitatus, Catholicum ſeſe regem nominari voluit. non ut collapſæ Religionis reparatorem; ſed ex adnatâ naturæ indole, communem orbis terrarum devaſtatorem ſe exhiberet. a) *Nulli reformata religionis*

a) *Tatens p.m. in Fatid. lib.* I.

ligionis profeſſori ingenuam vocem edere, nulli ſuæ ſalutis mentionem facere; nulli poſt crudeliſſimum Inquiſitionis edictum, ſpiritum mittere, non inquirere in veritatem, non expendere mandata religionis certitudinem integrum fuit, illo inprimis tempore, cum Albanus, laxatis tyrannidis ſuæ habenis, orbem terrarum ſanguine inundaret. Iacebat in pulvere & ſordibus contrita Adverſariorum fœditate Eccleſia; omnia in apertam ruinam labi videbantur. Per omnes ætatum gradus ſquallor, luctus, lacrymæ, ſuſpiria perſonabant. domi, foris miſerrima rerum facies. Multa viri ſapientes meminerint; plura ex majoribus ſuis audiverint: plurima ex antiquiſſimis ad noſtrum uſque ævum annalibus legerint: nihil ex omni ſeculorum memoriâ eruent, quod iſtius temporis memoriam æquabit. Sic ſe nefariis flagitiis commovit horrendum illud monſtrum Albanus, ardens odio pietatis, cruentus ſanguine Civium Belgarum. Nulla provincia, nulla orbis ora, nullus in Belgio locus, quem non ille ſua crudelitate funeſtavit; aut ad cædem ſuis oculis deſignavit. Ejiciebantur ſuis fortunis miſerrimi homines; verſabantur in fuga, in ferro, in ſanguine. Alii reſectis gladio cervicibus, aut eliſis laqueo faucibus à vitæ ſuæ poſſeſſione abdicabantur. Alii ſubjectis ignibus per acerbiſſimos cruciatus & lamentationes exſpirabant. Multi in carcere, in vinculis, ad extremam redacti famem, in propria viſcera & carnes ſæviebant.

Quis talia fando
Myrmidonum Dolopumve, aut duri miles Vlyſſei
Temperet à lacrymis?

Vos teſtor, Bataviæ flumina: quæ effuſo piorum ſanguine pleno curſu in maria vos exonerâſtis. Vos Patriæ florentiſſimæ urbes, quæ cælorum manibus ſæpè intra alveum conſtitiſtis. Te, truculentiſſime Dux Albane, qui non minùs, ac Nero olim de Romanis, Belgii cives unam cervicem habere

habere exoptaſti; quam uno quoque ictu reſecare potuiſſes. Qui virginum caſtiſſimarum corpora latronibus polluenda ſubjeciſti; qui Nardenam tuis partibus jam ſubditam mira crudelitate incolarum commerciis ſpoliaſti; cives in templum vocatos ad unum flammis ſuffocaſti. qui Zutphaniam belluina feritate ad fundum uſque diripuiſti, inermes homines pluſquam Turcica diritate ad pedes ſuſpendiſti. Quid dicam de pueris matroniſque, in quibus jugulandis carnificum exhauſta crudelitas, in glaciem præterfluentis Iſalæ magnis copiis immerſis? Hæc paulò ante noſtram ætatem contigêre. Iam cæſorum per Germaniam Chriſti teſtium inire numerum quis poſſit? tot cædes, parricidia ſtupra quis recenſere?

a) *Ut qui ſcire velit, Lybici velit æquoris idem*
Diſcere, quàm multa Zephyro turbentur arenæ;
Aut ubi navigiis violentior incidit Eurus
Noſſe, quot Ionii veniant ad littora fluctus.

Vah! crudeliſſime tyranne: quàm te manet apud omnem poſteritatem juſta execratio. Scilicet parum eſt, tot ſæculorum memoriam importunitate ſceleris ſibi periiſſe. Nulla unquam ætas obliviſcetur parricidii tui. Poſterorum poſteri tuam immanitatem æternis convitiis inſectabuntur, b) *Quid eſt*, tyranne, *quòd te jam in hoc orbe delectare poſſit? ubi nemo, qui te non metuat, nullus, qui non oderit?* Sed digna te manet pœna, perfide, lueſque ſcelerum tuorum meritum ſupplicium. Novit de cœlo Deus, quantum innocui ſanguinis profuderis. videt lacrymas, videt prava libidine ac rapinis tot regna urbeſque everſas. Non impunè feres hanc tantæ rei injuriam. Tu ſacra polluiſti, ut profanum idolorum cultum inſtituiſti, tu nullam divino Numini obſervantiam præſtitiſti: Nunquid juſta Talionis lege afficiendus? Tyrannum te appello, qui ardens libidine, præceps furore, legum

a) *Virg.* b) *Cicero.*

poteſtatem, Senatus ſanctitatem; divina & humana jura tuis pedibus conculcaſti. Teſtis hæc noſtra eſt Belgica; ut nihil de vetere India, nihil de Luſitania, nihil de Bohemia hic loquar, quam per viginti annos ita veſtavit, vexavit, ut nemo tantæ Crudelitatis memoriam ſua unquam cogitatione exſtinguere poſſit. *Cùm alios lentis ignibus excoqueres; alios aquarum fluctibus, manibus poſt terga revinctis, vivos demergeres, denique publicum humanæ carnis mercenarium inſtituiſti. Adeo, ut in vaſtiſſimis regionibus vix ulla ſpes generandæ ſobolis reliqua eſſet.* Qui brevi tempore, de India nunc loquor, centies & quinquagies centena hominum millia per carnificum manus necanda dediſti. Sed. Deus ille ter Optimus Maximus, qui Iſraëlitas, qui Ioſephum, qui Davidem toties ſuo clypeo defendit, nos, ut ſpero, ab Harpyiarum manibus, adverſus omnem malitiam atque improbitatem tutos tectoſque protegit. Hic eſt ille Latro & carnifex, mei Belgæ, qui vos truculentiſſimis armis oppugnat, qui Indiam pene totam, magnam Africæ, magnam Aſiæ, multò maximam Europæ partem in cinerem & flammam redegit. Igitur; quod ratio ſuadet, quod periculi magnitudo, quod neceſſitas cogit, vires omnes conjungamus; ut aut glorioſè vincamus, aut honeſtè moriamur. *Miſerum eſt exturbari fortunis: magis miſerum, ſi injuriâ. Acerbum eſt ab aliquo inſidiis circumveniri, magis, ſi à capitali tyranno. Calamitoſum eſt, amiſſa libertate, ſervitutem ſubire; magis, ſi cum dedecore. Funeſtum eſt, à forti & honeſto viro jugulari, magis ſi ab eo, cujus vox, manus, lingua: animus, neces & rogos eructat; cujus leges & conſuetudo ſanguine ac parricidiis fundata.* Res nobis eſt cum nefario hominis prodigio, cum immani teterrimaque bellua: quæ hoc unum aſſiduè molitur, hoc nocte dieque intendit, ut noſtrum hoc Belgium intra ſuos ungues concluſum fruſtulatim diſcerpat; ut nos totos, cum omnibus

Digitized by Google

omnibus noſtris fortunis in exitialem peſtem perniciemque præcipitet. O miſeram & deplorandam Eccleſiæ conditionem! in quantis tu anguſtiis animique cruciatibus verſaris! Quàm te undique fatorum injuria perturpat & excruciat! Nunquam à dolore & perſequutionibus vacas. Quoquò terrarum te vertis, miſeriarum catervas incurris; tela & enſes tuo paſſim paratos jugulo offendis. Circumſtat te undique violenta carnificum acies; inhiat in tuum ſanguinem inexplebilis Latronum ingluvies, prædam te exſpectat effrænis Lupercalium ſociorum immanitas. Hoc nequam hoſtibus unicum ſolatium, ut te patria profugam & exterrem malis omnibus perſequantur. Heu! miſera Eccleſia, quàm tu terra marique periculosè jactaris; quàm varias in Syrtes ſcopuloſque impingis, conjurat in tuum naufragium Idololatra Antichriſtus; ſperat tuum excidium impia Babylon; exultat in tuis querimoniis ferox Hiſpanus; gratulatur ſibi de tuo interitu tot Cæſar victoriis inſolens ac glorioſus. Tu quo doleas acerbiùs, ſuſpires acriùs, catenis ac vinculis premaris arctiùs; hoc majorem tui de te hoſtes lætitiam capient. Tunc ex animi ſententia cum illis agitur, ubi tuo ſe ſanguine paſcant, tuas lacrymas in delicias epulaſque ſibi apponant. Age, tot cæſa fortium virorum corpora, tot neces humani generis contemplare: viden' ut terra ſanguinem ſorbeat; ut ſparſa per agros membra jaceant, ut Albis & Odera tabificum cruorem eructet, ubi nunc ille in piis armis FREDERICUS, ille divino obfirmatus animo GUSTAVUS: qui Romæ hoſtiumque terror fatalem Babyloni ruinam minabatur? Quis ille, qui auſit verum de Deo ſenſum publicè fateri; fana ac delubra frequentare; aris templiſque honorem deferre? Deſtrictum capiti tuo enſem extimeſcas, ſi liberam de Deo ſententiam profiteare. a) Sed ſi omnes de Eccefia miſerias ora-

a) *Profanitas hominum,*

tione mea complecti velim, tutos in dicendo dies, magno cum aurium veſtrarum tædio, conſumerem. Sunt, qui ad humani ingenii perpendiculum, ad nudæ rationis intellectum ſuique ſenſus menſuram ſalutis illa myſteria examinant. Qui de infinita Dei eſſentia, tanquam de re terreſtri: de ſupremi Numinis Immenſitate, de ſapientiſſimi Iudicis Æquitate, Juſtitia, tanquam de Foro & Tribunalibus ſentire ac loqui non erubeſcant. Quantum deſipitis, miſerrimi mortales, qui æternam Dei providentiam ad humilem humani ingenii captum libratis; qui inexhauſtæ Bonitatis magnitudinem ad fluxæ voluntatis nutum dirigitis. Pudet aliquos, qui de cœleſtibus tam profundè ſapere ſe exiſtimant, ut illam incomprehenſibilem Trinitatis divinæ Majeſtatem, tanquam primas artium ſuarum regulas, teneant, comprehendant. Vtinam! non plurimi exiſtant, qui aut turpiter Chriſto Servatori illudant, aut potiſſimum illi honorem decuſque detrahant. Qui ſub fucatæ Religionis ſimplicitate, ſi à ſecreto mentem aperirent, vah! quàm prodigioſæ opinionis monſtra in medium proſiliant. Eò penè deventum, ut quicquid in oculum manifeſtè non influat, manum de meridie quaſi non intret, vix ullam veritatis fidem conſequatur. Ita ad omne ſcelus & turpitudinem multi inclinant, & animos ad fœdam incrudelitatem propendent, ut ſacram de Deo hiſtoriam, & divina Prophetarum volumina, tanquam anicularum fabulas, ac humani ingenii commenta contemnant rejiciantque. Si communem vulgi ſenſum de Religione inquiras, pauciſſimos inveneris, quorum conſcientia rectè de Deo judicet ſentiatque. Audiunt ſuis auribus manifeſta de divinis operibus teſtimonia; vident ſuis oculis indubitata Fidei ſigilla: indurati animo, credunt nequicquam. Inter parietem & auditorem ſi judices, parum diſcriminis. Si foris blanda

pecunio-

pecuniolæ ſpes: domi quàm in templo pars commodi luculentior: quis ille, qui non opes ante aras, Numen poſt nummos, vilem terræ particulam poſt animæ ſuæ ſalutem collocet? Heu miſeram conditionem bene meremur, ô Deus! ad ſulphureos inferni lacus damnari, omnique ſalutis noſtræ deſtituti ſpe, ad perpetuum Plutonis carcerem orcique tenebras regulari.

Quod, *Tu ter Opt. Max. Deus*, pro tua in nos ſingulari curâ & caritate, feliciter, ſpero, prohibebis.

DIXI.

ORATIO XL.

Conſolatoria ad Exulantem Eccleſiam.

HENRICUS DRUYF,
Alcm. Batt.

QUid eſt, dilectiſſima Dei Sponſa ECCLESIA, quòd tam miſeris modis afflicta, in tantos lacrymarum imbres prorumpas? Quid adverſæ Fortunæ violentiam ſic irata coarguis? Quid turpi ſquallore luctuque ſordida, teſtes tuæ infelicitatis, cœlum & ſidera inclamas? Siccine miſeriarum omnium oppreſſa mole, ut niſi per acerba ſuſpiria, per mœſtiſſimos ejulatus diem ex die ducas? Nulla uſquam tibi ſolatia, nulla in anguſtis rebus ſpes, nullum tantæ acerbitatis remedium? Nuſquam ærumnarum Aſylum vides? Quid eſt, ſacroſancta Dei Eccleſia, quòd tam immani dolore te frangas? tot lacrymis gremium irrores? quòd luctu tam immodico rerum naturam, primoſque vitæ natales accuſes? ita omni deſtituta ſolatio, ut nullius opem manumque adjutricem exſpectes?

Sic Tu Fatorum ſævo concuſſa tumultu,
Bellorum quaſſata malis: Ut nulla ſalutis
Spes ſuperet; ſit nulla tuis fiducia rebus?

 Erras,

Erras, beata Eccleſia, erras; ſi divina benignitate deſtitutam te putes; ſi nulla in rebus afflictis opem, nullum in adverſis levamen attendas. Itane animum deſpondeas, ubi aliqua ſiniſtræ ſortis procella intonat; ubi horrida tempeſtas cœlum contraxit, quando aut Mavors truculentus omnia ferro flammiſque devaſtat? Deleas omnem ex animo metum ac formidinem, ſancta Eccleſia. noli haſtam & ſpem bonam abjicere. Eluceſcet ille aliquando dies, quo omni abſterſo mœrore, clariſſimos in hac vita ludos plauſuſque inſtitues. Quando triumphalibus invecta quadrigis de ſceleſtâ Babylone, de ſubactâ hoſtium tyrannide victrix ovanſque incedes. Erit brevi calamitatum tuarum finis. deſæviet importuna malorum procella; nec ſemper cum fortunæ viciſſitudine miſera infelixque luctaberis. Si nunc terrâ marique profuga, nullum requieſcendi locum habes. ſi cunctis ludibrio, nemini grata, omnibus faſtidio fias: age, meliores rerum eventus exſpecta; aliam mox faciem videbis.

a) *Valet ima ſummis*
Mutare, & inſignem attenuat Deus,
Obſcura promens, Hinc apicem rapax
Fortuna cum ſtridore acuto
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

In melius te differ, ac in ſpem animoſior, exſurge. nec te pœniteat, alma Fides, ſub Chriſtiani nominis vexillo aliquod calamitatis tyrocinium depoſuiſſe. Viden', quæ mala & amara Tuus ille Immanuël perpeſſus? quo non capitis ſui diſcrimine per omnem vitam circumactus? quo miſeriarum afflictiſſimo genere per omne ætatis ſpatium ignominioſè affectus? Quid eſt, ſacra Religio, quòd ab omni patientia tam longè recedas? Tuus, inquam, ille Imperator, quando ſub improbis ac nefariis mortalibus diverſaretur, quibus non contumeliis

a) *Horat.*

tumeliis convitiiſque oneratus! Quis ab injuria Phariſæus, à calumnis Scriba, à turpitudine Latro manum abſtinuit? omnes immanitate feri, crudelitate Barbari: quando illi Domino Dominantium vim nefariam cum extremo exitio inferrent. Pudet dicere, ipſe Orci ſatelles, quâ protervitate, quibus inſidiis hoc unum egerit, ut virtutis illum Solem de mundo tolleret, almæ fidei ac Religioni meras tenebras affunderet. Tu miſella Eccleſia, hoc capite & Anteſignano meliorem in terris ſortem exſpectes? Non tua hæc palæſtra, ut læta & incolumis per omnes mundi delicias incedas: quæ purpuratorum ſola eſt & inanis gloria.

Alibi tua regna reſurgunt,
In cælo tibi parta ſalus. hic præmia vitæ
Æternamque feres poſt hæc mundana quietem.

Quemadmodum poſt graves procellas lux aliquando benignior ſolet relucere; poſt glacialis brumæ frigora & gelidas hyemes ſerenior tempeſtas læto deſcendit Olympo, non aliter, ô Diva Eccleſia, poſt tot bellorum incendia atque ignes defæcato cum gaudio eluctaberis.

a)*Sub pedibuſque premes Satanam, ſcelerumque maniplos*
Tartarea de fauce domus.

Hoc divino Numini uſitatiſſimum eſt, tunc primùm ſolatia & auxilia præſtare, quando ſumma remediorum eſt deſperatio. Numquid ille *Iſraëlitas* tot annorum ſervitute oppreſſos in libertatem aſſeruit? Numquid ille redactum ad extrema *Davidem* ad regiam dignitatem promovit? Num quid ille *Ioſephum*, fratribus ſuis ludibrium, ad ſummos honores delegit? Non dicam de *Daniële*, de *Samuëlo*, de *Iephte*: quos omnes poſt multa Fatorum incommoda, ad ampliſſimas dignitates evexit. Veniat in mentem abjectiſſimus *Moſes*, admirabili Dei præſidio in vita ſervatus. Alios mediis

a) *Deus pios non deſerit.*

in ignibus illæſos, contra hoſtium minas intrepidos, nullo fortunæ periculo dejectos intuere. Potens ille Deus, præter omnem opinionem hominis, flammam inhibuit, maria compreſſit, tempeſtates ſedavit. Vertat in omnes ſe formas trux Satanas, ut cœlo nos ſecludat, nihil ſuâ ſævitie impediet. Tu victrix, nullo vulnere ſaucia, non viribus deſtituta, tamen glorioſa erumpes. Et neſcis, chara Deo Religio, hanc tibi miſeriarum palæſtram eſſe propoſitam, in qua ad robur & patientiam te exerceas? Hæc eſt piorum fideliumque fortuna; cum miſeriis atque ærumnis conflictari, acerba multa perpeti, cum dolore animi, cum cruciatu maximo confligere. Non alia magis nota & ſymbolum, quo ſacra Dei Eccleſia à mundi inquinamentis dignoſcitur, quæ ſemper ſub jugo perſequutionis afflicta hæret, ſemper à tyrannis injuria & contumeliis afficitur. Hæc ſub *Nerone*, ſub *Antiocho*, *Diocletiano*, quàm miſerrimis modis vexata; hæc à *Caligula*, *à Saulo* immaniter flagellata. Tu tamen animum & conſtantiam ne remitte, ſacra Religio; nec ſupra modum ærumnis & doloribus te affige, ſi impium inſolenter jactare ſe videris, quando vix umbra Chriſtiano nomini relinquatur. Tandem ultor vindexque Deus, ubi deſiit patientia, fulmen in ipſos vibrabit, omnemque iræ inundationem totis in illos cataractis effundet. Neque ſic dextro ſemper alite res Iberorum procedet; non tam feliciter bellum adminiſtrabit Cæſar; non tantâ ſecuritate, & inſolentia Eccleſiæ ſectatores efferveſcent. Manet illos à tergo juſtiſſima Nemeſis, & quàm nunc lento gradu ad vindictam itur, tantò acerbiùs ab ilis ſupplicium ſumetur. Jactet ſe dominam impia Babylon, fremat ore triſulco ſepticollis Roma: *Potens eſt Dominus, qui judicabit eam.* Tunc tu, alma Fides, conciſâ Meretrice magnâ, læta ovanſque incedes. Hoc jurejurando Sponſo Sponſa addicta, hoc illi vinculo

vinculo nexuque obligata. Miraris, cur improbis Eccleſiæ adverſariis omnia ſic proſperè eveniant? Cur ſecundo Marte toties victores triumphent, piorum verô Fortuna tantâ viciſſitudine circumagatur? Scilicet, ut divini furoris vis, tanto maturior ſe in totam Antichriſti ruinam effundat. at electum à Deo populum, poſt tot vitæ calamitates & terrarum exilia tanto beniguior benevolentia gratiaque comitetur.

Ne igitur bonæ ſpei diffide, alma Eccleſia, Deus rem tuam tuetur. Tu ne deſperes nimium ſiniſtris, Deus improbos conatus de cœlo adſpicit. abſtine lacrymis, compeſce dolorem, comprime ſuſpiria, Deus à latere propinquus excubat: qui te tot tantiſque malis & longævâ ſervitute eximet; hoſtium verò pœnas pro merito conduplicabit. Age, ter inclyta Germania, duc omnes in campum acies, exſurge generoſis animis in Fidelium carnificem Antichriſtum; pari conſtantia bellum ſuſcipite Fœderati Principes, juſta eſt cauſa. Expedite Chriſtianum enſem fortiter; glomerate in campum profugas exulum turmas, prendite cum Davide fundam in manus.

Nulli unquam Romam tentanti Fortuna defuit.

DIXI.

ORATIO XLI.

De non ineundâ Pace cum Hiſpano Rege.

Quod nunc in melius vertit DEVS.

ÆGIDIUS ab OUDESTEYN,
Alcm. Batt.

QUando apud animum meum reputo H. A. quàm multis calamitatibus miſera redundet Eccleſia, non poſſum ego non, quin vulgi illam vocem, de ineunda cum Chriſtiani nominis

minis capitali hoſte, hiſpano, pace, ſummopere deteſter. Inprimis ſi fortem ac florentem Belgarum populum, ſi tot ſancitam legibus optimam Remp. paulò altiusconſidero. Quæ duo quodam quaſi jure nos ad bellum inflammare videntur. Cùm & turpe ſit amicorum ſocietatem in adverſis deſerere, & ſuæ tantùm incolumitati atque otio inſervire. Non, illatam Eccleſiæ injuriam vi potius armiſque vindicare, non vacillantem Religionis cauſam quoquo modo tueri; quàm cum Chriſtiani nominis perduelle Hiſpano pacem fidemque ſtabilire. Quod non dignum modò admiratione ſummâ, ſed deteſtationem quàm maximam meretur, ſi illa unquam Batavis mens & ſententia. Bello Reſp. noſtra incrementum ſumpſit, ſub armis triumphos duximus, copias hoſtiles profligavimus, longè latéque imperium extendimus. Vbi inducias cum perfido Rege fecimus, res noſtræ retrò ivêre. Quando non aperta vigebat vis, non publica eſſet dimicatio, tamen dolus & clandeſtinæ inſidiæ in publico fervebant. Domi, foris omnia tumultu, civitas diſcordiis, omnia inteſtinis inimicitiis convellebantur. Non domus ab injuriâ, non forum â perfidia, non ipſa templa ac delubra ſuâ peſte ac pernicie vacabant. Vbi ferrum in manu, & ſub clypeo res acta tutiſſimè ſemper viximus, & ne volentibus quidem optimam in bellis pacem extorſimus.

Quare, ut ego meam ſententiam in libera Rep. nunc liberè profitear; quoniam nulla pax tam firma cum Hiſpanis iniri poſſit, quæ non aliquando per ſcelus aut dolos interrumpatur, nunquam arma de manibus deponenda exiſtimo. Bellum, quod hactenus fortiſſimè à nobis geſtum, cum ſpe & fiduciâ propagandæ libertatis continuandum judico.

Si nobis poſteriſque cum bonæ fidei Regibus bellum intercederet, ſanè pro pace & induciis verba

verba facerem: cùm nihil humanæ naturæ magis contrarium, quàm in mutua vulnera & diſcordias omne ſtudium conferre. Equidem,

Pax optima rerum,
Quas homini noviſſe datum: Pax una triumphis
Innumeris potior.

Quam ſi firmare cum Hiſpaniarum Rege poſſemus, quàm civium ſaluti, & Rerump. quieti præclarè conſuleremus! Quando cuique noſtrûm, ſub lætâ pacis umbrâ, in alto otio & tranquillitate vitam liceret producere. Cùm nihil pugnet magis cum ratione humani ingenii, quàm armorum ſe invicem rabie & bellorum fulminibus deterrere, quàm provincias per cædem & ſanguinem evertere, regnorum quietem perturbare, omnia ferro flammiſque commiſcere. Divina, inquam, res, ſi a barbarâ feritate, ſi ab inhumanâ regnandi cupiditate abſtinere poſſimus. Quod difficile non foret, niſi cum ipſa tyrannide & populorum infidelitate graviſſimæ inimicitiæ intervenirent. Qui hoc unicum ſubdolè moliuntur, ut ſub larvatæ pacis ſpecie nos oportunè illudant, aut armorum crudelitate noſtram fortunam laceſſant. Libertatem cum Religione nobis eripere, univerſum Belgium funeſto Marte cruentare, aras & templa in prædam convertere, Iuſtitiam, Fidem de foro deturbare, literas, lucem vitæ mortalis de mundo tollere per fas & nefas conatur. Non eſt nobis cum tali hoſte bellum, cum quo poſſit pacis aliqua eſſe ratio. qui non modò ſervitutem, quæ generoſis pectoribus ipſa morte eſt gravior, ſtudet imponere; ſed vitam, ſanguinem, atque interitum innocentium Belgarum concupiſcit. Qui poſtquam ex latebris in lucem prorupit, ſtatim humani ſanguinis fontes fluere inceperunt. Ille fidem & jusjurandum homini Chriſtiano cum fide datum violavit, ſocietatis fœdera pervertit, ex ſua utilitate pactiones finxit & refinxit. O impudentiam

dentiam deteſtandam! ô perfidiam execrandam! Non peregrinantur veſtræ hîc aures H. A. Non vos prætèrit, quot contra promiſſi fidem ſtrages dux Albanus ediderit, illud funeſtum & importunum animal, ex omni ſcelerum colluvione conglobatum: Qui

a) Quodcunque ſuperfuit olim
Sanguinis exhauſit; nec jam plebeja placebant
Funera, ſed Proceres detruſi in carceris umbram
Heroumque genus.

Eſtque nova adhuc recenſque Iberorum improbitas, & plena inſidiis audacia. Teſtatur hoc in proximo Harlemum, ubi crudelitate plus quàm barbara cives confecit, alios palo alligatos combuſſit; alios rotis ſubjectos in fruſta ſecuit; quoſdam capitis exitio mulctavit; plurimos aquis ſubmerſit, fumo & inedia multis gulam interſtrinxit. Hic præceps in cloacam miſſus, ille lancea percuſſus, iſte in ludum & jocum mucroni præfixus. Vidiſſes uxores in conjugum complexu necari; liberos ante ora parentum jugulari: infantes in matrum ſuarum gremio immaniſſimè trucidari. Audiviſſes per totam civitatem funeſtiſſimos ejulatus, in ſanguine ac cæde ſe volutantium horrendas voces. Flumina cæſa virorum corpora volvebant, ſtrata viarum cadaveribus ſquallebant. Hanc ſtragem, intra noſtra hæc mœnia quàm lubens lubenſque Dux Albanus cumulaſſet! quos jam dudum ſpe ſuâ devoraverat; quorum aras & focos ſuæ crudelitati & flagitiis deſignaverat. Meminiſtis illa Majores noſtri, quando vos latro ille crudelis ſuo hiatu concluſerat, & hæc ipſa mœnia ſuis tunc manibus penè oppreſſa teneret. Nos ab illa periculi magnitudine primi Nepotes tantæ injuriæ memoriam favore ac pace compenſemus? Deo hominibuſque bellum intulit. Templa, Religionem evertit; bonas leges de foro ſuſtulit; fas, fidem viola-

a) *H. Grotius.*

violavit; ſanguine ac cæde ſuperbus intumuit. Quod nulla unquam memoria exſtinguet, fundatorem libertatis Belgicæ AURIACUM parricidio ſuſtulit. Nos tam animo vecordes, ut cum teterrimo tyranno cum maximo mortalium monſtro Hiſpano pacem amicitiaſque conglutinemus? Fateor, ſi ſub pacis aut induciarum non falſo fœdere reſpirare Reſp. poſſet, non ita terrarum orbem fuſo ſanguine cædibuſque inundari debere. Quod pii omnes ardentiſſimè exſpectant, quod tot ab annis afflicta Germania deſiderat, quod omnis denique Europa cum exteris nationibus jam dudum tacita exoptat. Sed meritò, ſi arma de manibus deponant, ſi à militiæ exercitiis deſueſcant, ſi veteranum militem ſacramento exſolvant, ſi infidæ paci imperium univerſum concredant, in quanta pericula & metum malorum incurrunt! Quis tam animo improvidus & imprudens, qui initá cum Hiſpanis ſocietate, non judicet, hoc Belgis perpetuò inimicum Regem aſſiduè moliri, ut nobis evertendis atque eradicandis ab imâ ſtirpe omnes dolos aſtutiamque intendat. a) Credite A. non noſtro emolumento pacem promittit Hiſpanus: quam etſi firmiſſimè Belgis polliceretur, ſuo hanc ſanguine conſignet, rerum teſtimoniis ratam affirmet, nunquam tamen ſua fide ſartam tectamque conſervabit. Hoc agent in ſuis clauſtris impii Romuli nepotes, ut blandis verbis & ſub amica ſocietatis ſpecie pacem offerant, illam pro tempore ſtabiliant atque exequantur; prima tamen opportunitate, nectendo lites & controverſias, hoc ad incudem ſuam machinabuntur, ut nos inermes ad arma impellant. Tantò viribus potentiores, quantò plus ſpatii ad recolligendos exercitus à nobis indultum. Ponite de manu arma, mei Belgæ, ſecludite omnes belli curas, militem diſcingite, Principem exarmate, non terra marique rem agite. Compu-

treſcant

a) *Nunc de Amicis meliora.*

treſcant in ſuis navalibus bellatrices machinæ; rubigine exedatur enſis, in aratra & ſuppellectilem commutetur ferrum, non exaudiatur claſſicum, ſileant tubæ ac tympana; non in palæſtra, in arena ad pugnam miles exerceatur, telum aut haſtam ne quis vibret. Qua pacis ſecuritate ſi in Hiſpanos affecti ſimus, vah! quàm miſeram, quàm funeſtam Remp. brevi tempore habituri; Pudeat ſeros Nepotes, pudeat cum iſthoc amicitias ac neceſſitudines contrahere: qui vitæ majorum turpiter inſidiatus, illis nefarias manus injecit. Ex quorum umero, unius anni decurſu octodecim virorum millia ſola carnificis manu confecta. O miſeram ſqualentemque Remp. O pacem infirmam & infidam: quam ſub tali patrono portentoque ſociaremus; Qui nunc cum univerſi terrarum orbis admiratione libertatem noſtris armis aſſerimus; qui Religionem ab omni macula puram impollutamque conſervamus; qui leges & jura majorum cum laude, contra nefas omne protegimus; qui Solem ad utrumque non uno elemento victores pugnamus, numquid paucorum annorum intervallo, omnem militiæ ſplendorem, omnem bellicæ laudis claritatem amitteremus? Exercitâtiſſimi in armis duces aut ſenectute aut ignavia effœminarentur; cum Hannibalis, milite in Campania ad otium & deſidiam dilaberentur, bonæ leges ad nihilum reciderent; reformatæ Religionis cultus puritaſque diris ſchiſmatibus tenebriſque involveretur. Palam invidia & ambitio graſſaretur. Pro dolor, inteſtina Civium bella, quæ tantò graviora ſunt Reip. quantò minus aperta ac in publico geruntur, quàm per omnes Belgii oras longiſſimè proſerperent; Mille ſunt mala H. A. quæ ſtabilito cum Hiſpanis fœdere Remp. obruant, nobis poſteriſque in irritamentum & ludibrium cedant. *Faxit Opt. Max. de cœlo Deus! ut nos, qui ſub cœleſti ſemper præſidio Bellum contra Hiſpa-*

Hiſpanum, tam fortiter quàm feliciter, adminiſtravimus, porrò Remp. & Religionem victrici Marte indelibatam conſervemus.

DIXI.

Tres antecedentes recitatæ Alcmariæ Examine Autumnali. CIↃ. IↃCXXXIIX.

ORATIO XLII.

In quâ ſub perſona Sardanapali commendatur Voluptas.

ÆGIDIUS ab OUDESTEIN, *Alcm. Batt.*

EGo H. A. capitali dignos odio proſequor illud hominum genus, quod vitam per otium & inertiem traducit. quod ita Genium ſuum omni voluptate defraudat, ut nullo in hac mortali vita gaudiorum ſenſu & jucunditate afficiatur. Miſerrimi mortales; qui illa æterna ſic falsò ſibi imaginantur, ut nullo unquam liberioris vitæ gaudio delibuti, ſolas umbras & ſolitudinem, tanquam certiſſimum vitæ humanæ portum eligant ac deſiderent. Neſcitis, vitam hanc fluxam ac caducam? cuncta mortalia brevi tempore evaneſcere? nihil hîc firmum ac ſtabile, quod lucis uſuram ſemel hauſit? Quare præ cæteris inprimis optem rerum humanarum caducitatem dulci aliquo voluptatum commercio permutare. Non fatigare imbellem ſpiritum magnarum rerum tractatione; Non per ſudores & labores illud ætatis lubricum tranſigere. Dic, ſodes, quid jucundius, quàm inexpertem eſſe miſeriarum, non dejici ſollicitudine; non frangi negotiis? Illud vivendi genus, opinor, optimum tutiſſimumque, quod omni calamitatum guſtu vacat; quòd nulla rerum difficultate interrumpitur; quod in animi corporiſque paſtu

paſtu verſatur. a) Illam vitæ conſuetudinem optimo jure ſectatus Sardanapalus, qui totus vino deliciiſque madens, in ſolida voluptatum fruitione, in omni curarum vacuitate vitam egit. Hæc illa *Mileſiorum* in vita fuit felicitas, ut in amplis patrimoniis helluarentur, omneſque ſuas facultates prandiorum gurgitibus proluerent. Quare non contemnendus *Xerxes*, qui præmium ei propoſuit, qui voluptatis novum genus inveniſſet. Meritò veſtram ego, Mortales, ſententiam probo amplectorque; ut cum optimum vitæ genus inſtituturi, omnem à vobis moleſtiam exterminetis; at verò Voluptatem, deliciarum illam matrem, intra ſenſus & animos veſtros admittatis. Ridere mecum ſoleo illorum de ſummo bono opinionem; qui virtutem tanquam ſpecioſa quædam nomina tam ſeriò venantur; qui nihil de ſolido die detrahere audent, quo perturbatum ſtudiis animum & fractum negotiis ſpiritum reſtaurent ac refocillent. In ærumnis, in extrema rerum miſeria, id quod vitæ exiguum ſupereſt, miſerè traducunt. Tunc rem magnam feciſſe arbitrati, quando cochlearum vitam agunt, & tanquam claudi ſutores nuſquam proſerpant, ſemper domi intra limites tenebraſque latitent. O vitam verè miſeram, plenam ſollicitudine, deſtitutam omni felicitate, meris futilium rerum occupationibus redundantem! Quare vobis malè conſulitis, qui vitam hoc modo inſtituitis, illam ſic miſerè ad curas adſtringitis, ut nulla unquam amœnitas ad levationem veſtræ ægritudinis accedat.

Hæc mea ſententia: Voluptatem inſtar ſummi boni æſtimare; illam ſeriò deligere, in illius gremium, cum Sardanapalo, cæteriſq; ab omni ævo voluptatum ſatellitibus, mentem mentumque deponere. Etſi videar ſupra vires rem dubiam & periculoſam urgere, illamque provinciam laudare, quam multa

a) *Intemperantes & guloſi.*

multa hominum caterva deſpicit ac odit, non deſinam tamen viva voce hoc ipſum deprædicare, quod apud animum meum plurimi momenti eſſe judico. Gravem Voluptatis Perſonam ſuſtineo, & quantum queo, adverſus invidiam & oppoſitas inimicorum acies pectus obfirmabo. Vos, quæſo, rem utilem atque egregiam deprædicanti & commendanti veſtras aures animoſque attentos præbete. Ita tamen, ut ſub avâ, ac ſub alienâ me veſte in ſcenam prodeuntem ſpectetis.

Equidem non video, quid aliquem mortalium illò dementiæ poſſit perducere, ut meam ſententiam, & quam maſculè ſuſcipio provinciam, tantis onerari calumniis, tam crebris inſectari convitiis audeat. Quæ etſi parum ego curem, & facile illam rabiem à me amoveam; tamen magnopere doleo de multorum ſic perverſis judiciis, ut, quod meritò à ſingulis expetendum, hoc in me tam ſevera cenſionis nota perſtringant. Dicite, amabo, vos, qui totos dies domi tanquam in carcere ſedetis, quæ vitæ humanæ ſolatia, quæ in amicorum familiaritatibus ſunt poſita, tanquam Scyllas & ſcopulos vitatis. Dicite, inquam, quid in ærumnoſa hac vita gaudiorum intercurrat. An aliqua lætarum rerum perfruitio illic in clauſtris ac latebris animos veſtros afficit? ubi vix aliquis à ſole radius oculos illuſtrat. Pura, putaque eſt moleſtia, miſelli homines, quam tanti facitis. Vmbra inanis eſt, quam diligitis. Si quid de meliore judicio ſaperetis, parumque exactius ad æquitatis trutinam res veſtras examinaretis, quàm meliora edocti, in compoſitam magis viam & ſtationem vitæ curſum dirigeretis. Nunquam perſuadere mihi poſſum de veſtrâ felicitate, quam ultrò profitemini. Studiorum exercitatio, quæ tam aſpera & ſalebroſa, quid cum illa vitæ libertate conferri poſſit, nequicquam video. a) Illa meris moleſtiis, hæc plenis

a) *Labor & voluptas non eadem in ſede morantur.*

Digitized by Google

plenis voluptatibus redundat. Studiorum ratio difficilis, Voluptatum perfruitio amica & facilis. Siſyphi labores toleras, qui ſemel in Muſarum illa caſtra te confers; Voluptas ſuum alumnum mero melle ac gaudiis perfundit. Scilicet res illa libero homine digna, noctes dieſque laboribus & ingenii meditationibus ſe frangere; nunquam liberum vitæ ſpiritum ducere; ſemper in negotio, nunquam in otio verſari. Quid dicam, ſi non amabilis illa Inſania, meliorem ævi florem in ſtudiis, nullum diem in delitiis ac voluptatibus conterere? Poſſum ego hoc loco plauſtra malorum recenſere, quæ jugi labore & aſſiduâ lucubratione comparantur. Aliqui ſtudiorum vigilantiâ vitæ ac rationis diſpendium fecère; aliqui ætatis immaturæ filum miſerè acciderunt; nonnulli fata ſua præcipitarunt; multi ægritudinem ac morbos ſibi accelerarunt. Hic carnifice calculo affligitur, ille melancholiâ ad rugas & vitæ tædium totus dejicitur; iſte, neſcio, quo non miſeriarum genere undiquaque opprimitur. Rideo ſplendidè laborantium nomina ſtultos *Demoſthenes*, veſanos *Antiſthenes*, dementes *Tullios*, qui omnem animi corporiſque exercitationem in ſolo ſordidoque literarum fœtore ac ſudore tranſegerunt.

Ideoque in commendatione meritò maximâ verſantur Epicurei, qui ſolidam ſalutis metam meo judicio contingere videntur, quando hujus vitæ brevitatem voluptatum ſola perfruitione metiuntur. Corporis, quam animi cura illis major, & plus in gulæ ventriſque ſtudia, quam in operoſos ingenii labores incubuerunt. Maluêre in pingui abdomine, in adipoſo ventre gloriari, quàm diſſolutis corporum nervis, per vitæ humanæ ærumnas hoc tantillum ævi tranſigere. Si ſeriò ſingula expendam, quid alienum magis à caducitate noſtrâ, & brevis vitæ gaudio, quàm rebus ſupervacuis, quæ aliqua ſuperſtitio in Deum falſo commento

mento conjecit, tantum temporis impendere. Libera mihi perſona impoſita eſt, *Audd.* auſimque de cunctis liberè diſſerere. *Voluptas* ego ſum, gentis humanæ delicium. Hæc meo honori potiſſimum duco, omnia ad ventris vitæque voluptatem conferre: quæ miſello homini tot tædia & angores ſollicitè adjungunt, cane pejus & angue fugere. Quid me fruſtra fatigem, illo inani Myſteriorum ſecreto? quis mortalium illo ſenſum & a■em dimittat, ut aliquem in nube Deum credat, quem ſic metuat & formidet? ſcilicet! vaſtum hoc mundi opus non ex ſe ipſo pendeat, non ab æterno ſubſiſtat. Meo judicio, cuncta fortunæ caſu rotantur; nulla uſquam cogit neceſſitas: quâ humana omnia ad metam ſuam & terminos contendunt. unicum temerariæ fortunæ arbitrium in rebus mortalibus dominatur. Ideo ne vitam & genium dolore macerem, hoc me miſerum humi adeo dejiciat, ut nihil voluptatis in hoc mundo mediter, ut me totum ludicris & lubricis Theologorum inventis ſubmittam. Proſequamini veſtram illam ſententiam, Collegæ. meum eſt magnificis ſemper verbis de voluptate ſentire. *Sybaritarum*, *Myleſiorum*, ego vitam & ſtudia ſemper uſque in cœlum attollam: qui in ventrem ſuum congeſſère, quicquid peregrina littora, quidquid extremus terrarum orbis deliciarum potuit invenire. Malo cum *Cleopatrâ* opulentis ciborum ſumptibus Antonium excipere, cum *Vitellio* inter Tiberii cupidines educari; cum *Siculis*, Saturitati templum dedicare, cum *Philoxeno*, collum gruinum habere, quàm tenui ciborum apparatu famem Milonianam affectare, & cum inopia ac rerum omnium egeſtate perpetuo conflictari.

Dicite, vos Virtutum Alumni, quid eſt quod tam inani virtutem laude cumuletis? quem fructum adfert ſuis cultoribus ſpecioſum hoc nomen? an pretium & præmia? an opes & honores confert,

confert, pecunias & gratiam conciliat? Non video quid tanti fiat glorioſa, ſed inanis virtutum purpura. Quamdiu mores & ingenium illius venerabar, præter malorum meſſem, nihil uſquam inde comperi. Hæc pecunias, quæ unicum hominis ornamentum, turpiter faſtidit, inutiles ſarcinas & onera appellat. Hilaritatem ac liberalius ſumptum Falernum, quo curæ graviores diſſolvuntur, ſicut peſtem & venena deteſtatur. Quis te, amens *Crate*, laudandum putet, quod fortunam ac divitias repudiaveris? Quis ullâ gloriâ dignum te exiſtimet, qui ituris ad bonam mentem divitias oneri putabas? Pudeat te *Plato*, dicere, neminem bonis artibus navare operam in magnis divitiis. Te, *Anacreon*, qui munus hoc oderas, quod vigilare cogeret. Quam plane à mente aberras ô *Chilon*, qui calamitatis viaticum, qui malorum theſaurum divitias appellas. a) Neſciviſtis, boni viri, quid voluptatum pariat pingue marſupium (quas cœnas & prandia apparet larga fortunæ manus; quid magnarum rerum moliatur ille liberalis pecuniarum uſus? Vis Maſſici montis optimum laticem, Lybici liquoris delicatiſſimum florem? dabit pecunia. Vis ab altero orbe conquiſitas dapes, fercula, ſcitamentorum egregia condimenta? habebis pecuniâ. Vis purpuram aut ebur? ſuppeditat pecunia. Vt largius lætiuſque edam aut bibam, ut acceptus omnibus, gravis nulli, hic auro honos debetur. Stulti mortales, qui vitæ humanæ felicitatem non plurima ex parte pecuniis tribuitis, Cum ſine illo curarum remedio, vix homini ulla ſpes aut ſalus. Patior, alme Iupiter, me aureo à te imbre perplui, ut, quam præ me fero, voluptatis perſonam maſculè porrò ſuſtineam. puto, ad exercendæ voluptatis perfectionem nihil magis deſiderari, quàm præſidia hæc argentarea. Nunquam melius cum libidine, cum ſtomacho convenit, quàm ſi diſtento folle

a) *Pecunia laus.*

Digitized by Google

folle ad Bacchum Cereremque divertas. O verè auream pecuniarum poſſeſſionem! ô ſpem gulæ irritandæ incredibilem! at nihil turpius, nihil deteſtabilius ſub ſole invenias, quam humanæ ſocietatis pabulum, divitias, negligere.

a) Miſeram vero paupertatem, quæ ubi pedem ponat, non habet; cui indormiat, nuſquam reperit. Magnum pauperies opprobrium, magna calamitas, cui ad infimum ventrem fames adhæret. Qui horrido pane vitam oblectat, in pannis & inopia miſerè vivit. Non ſum ille *Ariſtides*, qui paupertatem tanti facio, ut illam in laude mea duxero. Non *Epaminondas*, qui domum & rem familiarem ſic negligam, ut funeri curando vix ſumptus ſuperet. Non *Phocion* aut *Lyſander* qui nullam argenti drachmam poſt vitam relinquam.

Te amem, dives ac alma Voluptas, tibi manum injicio; Te noctes & dies deſidero, in te decus, honorem, gloriam meam repono. Nihil cum virtute, cum negotio colluctabor, non ad prærupta artium faſtigia operoſo labore annitar. Plana eundum via cenſeo, quam non labor impediat, non moleſtia occupet, non aliqua difficultatis latebra involvat. Quanto poſſum ſtudio æmulam imperii fortunam, cenſum ac opes veſtigabo.

b) *Sapiens finire memento*
Triſtitiam vitaque labores, molli, Plance, mero.
Quid ſit futurum cras, fuge quærere! &
Quemſors dierum cunque dabit lucro
Appone, nec dulces amores
Sperne Puer, neque tu choreas.
Vina liques & ſpatio brevi
Spem longam reſeces
Nunc innocentis pocula Lesbii
Ducas ſub umbra.

Q *Siccis*

a) *Paupertatis mala.* b) *Horatius variis locis.*

Siccis omnia, nam dura propoſuit Deus; neque
Mordaces aliter diffugiunt ſollicitudines.
Hinc tibi copia manabit ad plenum benigno ruris
Honorum opulenta cornu.

DIXI.

ORATIO XLIII.

In qua commendatur Virtus.

JOHANNES STEENHUYSEN,
Alcm. Batt.

OMninò Reip. intereſt H. A. ut virtus & præclara factorum memoria in debito honore ac pretio habeatur. Cum ipſa Virtus bonorum omnium judicio pro ſummo ſemper bono æſtimanda. Opes aliæque res non aliter in bonis habenda, niſi quod ad Virtutem ſua ſæpè organa & inſtrumenta ſuppeditent. Et certè, honore maximo afficienda eſt virtus, quæ tota friget rigetque, ubi juſtis debitiſque præmiis privari ſe ſentit, illos odit quam maximè, qui honores, *quos quieta Rep. deſperant , perturbata poſſe conſequi arbitrantur.* Qui id ſumma ope ſtudioque nituntur, ut nihil ad virtutem promoveant, omnia ad libidinem & execrabiles voluptates conferant. Inter quos , Tu mi Collega , primas facile tenes. Qui non modò in fœdiſſimum vitiorum gurgitem præcipitatus ipſe; ſed & plurimos illò malorum tecum trahis. Quare ſedulò te hortor , ne callem illum vitiorum ſequaris. De vera autem virtute & gloria paranda ætatem cogites. Dic, quo te rapit, Collega , hæc effrænata tua cupiditas ? Quæ te intemperiæ agitant ? ut vitæ humanæ dominam, Virtutem, quæ omni laudum genere cumulatiſſima , ſic infra decorum æſtimes ? Voluptatem , quam malorum omnium eſcam divinus *Plato* vocavit , tu omnis Felicitatis contubernium appelles ? Quam ipſe Elo-

Eloquentiæ parens *Cicero* peſtem & venenum Reip. dixit.

Quare, cum te videam, mi Collega, tam ſeriò Virtutis arcem invadere, Veritatem adeò pertinaciter oppugnare, Ego, pro modulo mei ingenii, hoc illam loco defendendam ſuſcipio. Vos H. A. aures mihi veſtras acres & attentas præbete: ut, quâ gratiâ voluptatis antea præconium audiviſtis, tanto majore honore atque obſervantia virtutis nunc præconem audiatis.

Virtus *Audd.* merito in honore & pretio eſt habenda. quæ non nudo nomine aut fucata nobis facie obtruditur; ſed ex ipſa ſua origine, quam cœlitus eſt nacta tantùm, commendationem meretur. a) Germana hæc Dei ſoboles, quam nulla turpitudinis nota adulterat, quæ ab omni malo & macula aliena, nihil terreſtre, nihil humile ſapit. Hæc ſui natalis authorem, Deum, vivis coloribus repræſentat. Hæc verum illud Palladium ac Ancile, quod in hominis ſolatium de cœlo dimiſſum. Quo clypeo ſi ſarti tectique ſimus, nulla nobis vis, nulla ruina extimeſcenda. Voluptas verò quem ſui Parentem ſortita? quibus natalibus hoc infelix monſtrum originem debet? Cerberus illi pater, mater peperit Proſerpina. Cujus vel ſolum genus, & pernicioſa incunabula ſui meritò terrorem mortalibus incutiant. At ſi intus venenatum illum fœtum examinemus, & magis à propinquo illius fœditatem & ſordes excutiamus, quis tam à virtute alienus, qui non teterrimum illum Satanæ infantem oderit & metuat? Quare non immeritò illos ridere mecum ſoleo, qui ignari humanitatis, rudes rerum divinarum, ſummum bonum, Virtutem, in turpi voluptatum contubernio collocant. Erras, erras, mi Collega, vehementer erras, ſi ad hunc ordinem, & nequam ſocietatem animum tuum adjunxeris. Nam voluptate nihil

a) *Virtus origine cœleſtis, Voluptas infernalis.*

eſt turpius, nihil fœdius, nihil deteſtabilius. Hæc tua mille mortalibus flagitia, mille dedecora peſteſque attulit. Dic, ſodes quid illud eſt, quod humanæ rationi lumen præfert? quod animos noſtros invicto labore ſuſtinet? quod ad cultum divini Numinis tam fortiter nos inſtruit? quod ex omni parte humanam hanc vitam beatam & tranquillam efficit? Nonne virtus? Tibi, alma virtus, ſolidam in terris felicitatem; tibi honores, gloriam, beatam denique vitam acceptam ferimus. Non poſſum non, divina Chriſti imago, blanda Virtus, quin ſedulò te collaudem, quin omni ſtudio conſtantiaque contra improbum voluptatis defenſorem tuas laudes parteſque ſuſtineam; tuum decus & libertatem ſtrenuo Marte calamoque defendam. Tua, ô diva virtus, plurima & maxima ſunt ornamenta, quæ non inimicorum inſidiis, non tyrannorum minis, non Fatorum arbitriis obnoxia. Tu viros ſapientia doctrinaque illuſtres propinqua cum Deo cognatione conjungis; tibi nobilitatis, tibi ſalutis palmam merito tribuimus; Tu laudes honoreſque ſummo jure tibi vendicas. Quicquid circa hominem proſperè geritur, totum, inquam, eſt tuum, nihil ſibi ex iſta laude divitiæ, nihil nobilitas, nihil Avorum fumoſæ imagines decerpunt. Non purpura, non diſtincta gemmis auroque atria aliquem ex communi miſeria eximunt; non opes diſtinctos natales faciunt. In virtutis poſitum excellentia, ut melior, ut nobilior fias. *Optimus quiſque nobiliſsimus.* Quid priſcos Heroes in cœlum ſuſtulit, & extra humanæ ſortis conditionem poſuit? Nonne virtus? Virtus olim *Iſraëlitarum* principes ad tanti imperii faſtigium evexit; Virtus *Alexandros, Scipiones, Marcellos*, noſtro ævo *Naſſovios* immortali laude affecit. Quantum tu, mi Collega, dominam rerum voluptatem ſublimi oratione commendas; tantum ego glorioſæ virtutis laudem ſuper æthera extollo. Non illa in te-

nuium

nium rerum cognitione verſatur; non de ventre aut gula ſolicita; ſed plena religionis, plena Majeſtatis divinæ, nihil humile, nihil abjectum cogitat. In pietatis agone robur ſuum exercet, adverſus improbitatem arma ſumit, cum mundi flagitiis fortiſſimè bellum adminiſtrat. Secus, quàm tu, mi Collega, de Deo & ſummo bono ex æquo judicat, ut æterno Numini obſequium præſtet, ut præſcriptam ſibi naturæ legem obſervet; in nullo modum & metam honeſtatis tranſiliat, hoc totis viribus omnique robore molitur. Age, radicitùs ex animo exſtirpemus omnem ferocitatem, libidines, voluptates ad virtutis aſylum ſedulò gradum inferamus. At lumen columenque cæterarum virtutum eſt, *Pietas*, quæ religionem ab omni macula puram ac integram conſervat, divinum Numen agnoſcere, illi meritum tribuere cultum docet. Immenſa H. A. virtutis vis, inexhauſtæ cumulatæque beatitudinis fons. Hæc nos terris exemptos cœlo locat, mentes ergaſtulo humani corporis concluſas tenebris pluſquam Cimmeriis exſolvit. Neſcitis, quantas habeat vires virtus? Virtus res omnes caducas longeque infra ſe poſitas autumat; Virtus temporum fortunæque vices neſcit; Virtus tempeſtate concutitur, inimicis non cedit, ſemper violentior in illos inſurgit. Tu, alma virtus, vitiorum fibras evellis; tu fœdas libidinum flammas exſtinguis; tu impuri oris pectoriſque laſciviem coerces. Tantò magis tu, mi Collega, ab æquo & boni regula aberras; cùm virtutem ſolida laude condecorare oporteat, tu vitiorum teterrimam colluvionem omni laudum deprædicatione proſequeris. Quid iſto turpius & deteſtabilius, ut cum communi ſapientium ſenſu, cum ipſa ratione & naturæ ductu bellum geras? Hoccine humanum factum gloriari de teterrimis vitiis, de turpitudine, de bonæ mentis naufragio? Tu ebrietatem, luxuriam, quæ tot mortalibus de-

dere incommoda, tanquam rem magnam atque egregiam protegis ac defendis. Nihil prius, nihil poſterius amas, quàm impia libidinum incendia; quàm ſcortationes illicitas, quàm profana adulterorum ac ebrioſorum collegia. Hæc ſumma tibi voluptas, laticum honores libare, ingenti cratere manus coronare; in deliciis epuliſque, inter Scortorum greges ætatis illud lubricum deterere. Vah! quam malè tibi conſulis, quàm aliena, quàm præpoſtera cogitas! Parſimonia, Temperantia, Modeſtia, Frugalitas ſummo hominibus ſunt ornamento. Qui fieri unquam poteſt, ut quid utile aut præclarum faciat, qui ſe voluptatum & libidinum cœno involvit? *Labori, aſsiduitati, diligentiæ multa Deus præmia propoſuit, quæ negavit inertiæ.* Ubi te ſocordiæ atque ignaviæ tradideris, famam & exiſtimationem deperdis & proſtituis. Quicquid agas in vita, Adoleſcens, bonorum morum modeſtiæque memento, virtutes ambabus ulnis amplectere. Cum nihil in hac vita boni ſine virtute; nulla gloria, atque ornamenta extra virtutis confinia reperiantur. Hæc *Ioſuam* ab humili famulatu ad principem populi promovit. Hæc *Calebum* à tenui conditione ad ſuæ gentis imperium evexit. Hæc *Iephten* natalibus infamem, *Servium Tullium* ſerva natum, ad ſummam imperii Majeſtatem admovit. Voluptas ſui cultores quamvis blandè primùm decipiat, omnibus poſtremùm ærumnis onerat afficitque. Quorum ſi hoc loco exempla recenſeam, immane quantum! illa nos percellunt. Illi libido & voluptas mortem attulit; illum ebrietas in ſcelus omne impulit; iſtum infamia, alium carcere & extrema ignominia mulctavit. Nemo non ſacrilegæ turbæ pœnam ſuis voluptatibus perſolvit. Quid dicam de *Alexandro* Clytum per ebrietatem interficiente, opulentiſſimam Perſepolin flammis adolente? Quid de *Xerxe*, de *Caligula*, de *Nerone*, cæteriſque vitiorum Coryphæis? pudeat vos hoc

loco

loco recenſere ebrioſi *Bicongii, Tricongii, Tiberii, Biberii, Bonoſi, Sardanapali*: qui omnes meritò per gulam & inopiam, aut fata veſtra præcipitaſtis, aut ad miſerrimam vivendi conditionem prolapſi eſtis. Agape à ſobriis Muſarum commerciis fœda hæc hominum proſtibula qui in ventrem & gulam tanto cum ſtudio incumbunt, meliorem animi cultum, Virtutes negligunt, & deſpiciunt.

Te, alma VIRTUS, ſupra omnes mundi poſſeſſiones diligo. Te in pretio & honore habeo. In te omnes opes & facultates meas tanquam in immobili aliqua rupe colloco.

Hic murus aheneus eſto,
Nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa.

Hoc te oro & adoro, *Optime, ter Maxime Deus, quamdiu in hac mortali vita hoſpes ago, non me ſegnem virtutis cultorem profitear; omnem animi meditationem in liberalium artium exercitiis, in omni honeſtate & reverentia divini æternique Numinis ſumma cum cura induſtriaque conſumam.*

DIXI.

ORATIO XLIV.

Arbitri, Voluptatis Perſonam rejicientis.

HENRICUS DRUYF,
Alcm. Bat.

Rectè, inquit Philoſophus H. A. Virum ſapientem, & verâ virtute præditum, tantum præſtare cæteris hominibus, *quantum vivus mortuo, quantum Medicus ægroto.* Quotieſcunque Ego ſapientiam intueor, animique oculos per virtutis decora & ornamenta circumfero, totus tunc pendeo animi, quid primum, quid poſtremum mirari in illis debeam. Bonarum Artium virtutumque ſtudiis ſi quis egregiè operam dederit, ille me-

rito bonorum omnium ſibi theſauros comparavit; ille opima atque optima rebus humanis ſpolia detraxit, quæ nulla ætas, nulla vetuſtas ſubigere unquam valet. At quàm deploranda noſtri ſeculi eſt conditio, quæ improbis voluptatibus inquinata, lubricam juventutem impii Sardanapali præceptis, à primis unguibus informat. Quaſi in Edendo, Bidendo, Ludendo ſumma conſiſtat felicitas, poſt mortem nulla miſeris mortalibus ſuperet voluptas. O ter & amplius miſeri! quos illa vanitatis umbra tam blanda facie decepit. Quos impia ſacrilegæ turbæ contagio de recto ſemel tramite abduxit. In te, alma Virtus, oculos meos converto. *Nulla vis major Pietate vera eſt.* In te ſpem omnem pono, omne ſalutis meæ Palladium colloco. Feram non fortiter ſolùm, ſed etiam libenter, quicquid ſors aſpera immiſerit, ſi modò meis miſeriis virtutis aliqua merces & dignitas paretur.

In illorum numero, Tu mi Collega, te Principem & Anteſignanum præbes, qui longè aliter, quàm Collega tuus, qui indignam voluptate commendationem inſtituit, pro honore & reverentia divinæ virtutis depugnas. (a Utriuſque ratio etſi ſuo ſatis pondere nitatur; Ego tamen hoc loco æquiſſimi judicis officium libens in me ſuſcipio, & contra fœdiſſimam Epicuri ſententiam, ſervata incolumi virtute, graviſſimum S. Conſultum nunc proloquar. Vos H. A. adeſte animis, qui corporibus adeſtis, & mihi de virtute diſſerenti benigniſſimis auribus, quæſo, attendite.

O infelicem Remp.! in qua teterrima voluptas radices egit: in qua virtutis locum libido & immodeſtia tenet. Nam profectò, nulla exitialior peſtis vitam hominis occupavit, quàm quæ honeſtum ab utili diſtraxit. Quid enim mali aut ſceleris fingi aut excogitari poteſt, quod non à voluptuoſo

a) *Vide Virtutis commendationem Oratione xx.*

Digitized by Google

luptuoſo proficiſcitur. a) *Quis in toto orbe veneficus? quis adulter? quis corruptor juventutis? quis corruptus? quis perditus nebulo inveniri poteſt, qui ſe cum voluptate non familiariſſimè vixiſſe fateatur? Nemo eſt in ludo gladiatorio paulo ad facinus audacior, qui ſe non intimum voluptati fateatur; nemo in ſcena levior & nequior, qui ſe non ejuſdem ſodalem & amicum affirmet.* Quid enim eſt, voluptuoſe, quod aliquantulum delectare te poſſit? poteſt ne hujus vitæ uſura aliquam jucunditatem tibi adferre? Cùm nemo extra illam vitiorum ſocietatem inveniri queat, qui te non ſummo odio perſequatur. Quæ infamiæ nota, quod turpitudinis dedecus à tuis unquam manibus oculiſque abfuit? Quouſque tandem virtutis Majeſtatem tuis convitiis inſectaberis? Quam diu tuus ille furor bonis omnibus illudet? Quem ad finem malevolentia tua noſtros oculos ſua turpitudine perſtringet? Spero, cum ſcelerum tuorum fœdiſſima corona citò in perniciem & caſum devergas; cum monſtro humani generis Sardanapalo in juſtam exitii labem te conjicias. Quare, voluptuoſe, muta illam mentem, patriæ bonum intende; tibi fortuniſque tuis maturè conſule. Ni aliam cogitationem in animum induxeris, brevi te, inquam omni infortunio miſeriaque confectum videbis.

Age, ad virtutem pudicos oculos convertamus; cujus amplitudinem non mens noſtra emetiri, non ingenii acumen capere, non pennæ remigium aſſequi poteſt. Quantum alius ad feſtos ludorum dies, ad Bacchi Orgia, ad Saliares & Pontificum cœnas temporis impendit! quantum improbis commeſſationibus tribuit; tantum tu, diligens virtutum cultor, ad colendam virtutem honeſti otii inſumis. Pudeat te! voluptatis Studioſe, ſic vitæ rationem inire, ut ab omni decoro animum abſtineas; ad inertiem & otia totum te componas.

a) *Ciceronem imitatus Adoleſcens.*

Te æterna laude dignum deprædico, Virtutis Amator, qui ad meliorem animi cultum ſummo ſtudio diligentiaque contendis; qui vitiorum illum fomitem fontemque totis animi corporiſque viribus faſtidis & contemnis. Te amem atque diligam, perſuadet omnis ratio: nec induci poſſum, ut voluptati obediam, ut illi me commilitonem adſcribam. a) *Virtus non recipit ſordidum amatorem, ſoluto ad illam ſinu veniendum eſt. Virtus ſola temporum fortunæque vices neſcit: cætera omnia caduca ſunt & mobilia.* Non eſt naturæ ambitio, ut ad bene vivendum magno apparatu indigeat. *Qui immodicas ſæpè ſectantur, immodicis ſæpè excidunt, & dum omnem felicitatis ſpem pelago ac ventis credunt;* ut magnarum Voluptatum inſtrumenta ſibi colligant, ſæpè avaritiam ſumma paupertate, intemperantiam ignominia maxima compenſant. Dum alios luxuria, alios ambitio in malum præcipitat; illos inconſulta temeritas & voluptatum cupiditas in ſcopulos abripit. Virtus ſui cultorem infinitis beneficiis beatum reddit. *Quid refert, quantum in ærario quis poſſidet, quantum in arca ſervat, ſi ipſe virtutis meſſem & honeſti reditus computat?* Satis evadet opulentus; qui voluptatum fuerit inops. Aliqui dum orientem pariter ac occidentem animo devorant, beatitudinem ſibi fingunt miſelli, quam aſſequuntur nunquam. b) *Ille ex magno auri acervo vivat ſumptuosè; tectis laqueatis, veſte ſuperba, famulis decem, ſupellectile ad invidiam exquiſita: mihi illa ſupervacua contemnenti ad ſumptum ſufficiunt ſeſtertia centum.* Tu ſummæ felicitatis modum tenes, qui mediocritatem amas; qui minimo voluptatem deſiderio circumſcribis. Non inhias in aliena, non petis adventitia. Noverat illam aureæ mediocritatis præſtantiam *Solon*, cui cùm *Crœſus* regiam ſupellectilem, menſas inauratas oſtenderet: non ideò felicem

ſe

a) *Seneca variis locis.* b) *Seneca.*

ſe prædicavit, quòd prædives videretur, *non certam eſſe*, inquit *felicitatem è funibus pendentem*. Virtus ſapientiæ divitiis, pro ratione, non pro libidine uti monet. Virtutis divinum eſt opus, locupletem eſſe ſine ullius injuria, magnificum ſine luxu, liberalem ſine oſtentatione, gravem ſine moroſitate, religioſum ſine ſuperſtitione, & cùm Crœſos viceris, Numa eſſe non deſinas. Quod optimè *Antiſthenes*: *qui virtutem eſſe armaturam* dixit, *qua detrahi non poſſit*, *& nulla re opus habere niſi robore Socratico*. Et Phocion Athenienſis, *quid divinam hanc legem eſſe dicebat: ut unica virtus ſit potens, reliqua autem cuncta nugæ*. Nec dubium eſt, quin major futura materies animum firmandi in virtute, quàm voluptatibus. Cum in hoc ſumma virtutis vis ſit, non inclinari ſecundis, non deprimi adverſis. Voluptuoſi è contrario provincias depopulantur, civitates devaſtant, domos exinaniunt, fana ſpoliant, ad occidendum ferrum igneſque præbent. Scio, mi Collega, quàm graviter feras, quòd propoſitum tuum ſic aculeata oratione perſtringam, quod vitia, quibus abundè ſcatet tuus animus, in lucem protraham; quòd tuis inhoneſtis cupiditatibus frœnum injiciam. Equidem ſententiam rogare, legemque interponere Prætor juſſit, ut quo quiſque jure, aut injuria dignus videatur, Ego acri oratione hic demonſtrem. Tu, fateor, mi Collega, pro voluptatis regno ſatis maſculè in certamen iviſti, ut munitiſſimam Virtutis arcem ſive tacitâ proditione invaderes; ſive ad tuas partes aperto Marte inclinares. Uterque pro virili in aciem deſcendiſtis; ſpe magna conatuque eximio bellum expediviſtis. Sed, meum nunc eſt, in dubio atque ancipiti rerum. Arbitrii perſonam ſuſcipere. Ut inclytam virtutem fœdis voluptatibus anteponam, illamque ſua laude & ornamentis meritò afficiam. Tibi, inquam, alma Virtus, palma debitur, tibi laurus

& victoria feliciter cedit. Tu nunc ſecundo Marte triumphum agis, totaque opimis ſpoliis onuſta, victrix regina incedis. Tu verò iners inermiſque Voluptatum defenſor, ad infamem pudorem atque carceres meâ ſententiâ meritò conſtringendus. a) *Nam nullum per tot annos, facinus exſtitit, niſi per te, nullum flagitium ſine te; tibi uni multorum civium neces, tibi vexatio direptioque ſociorum debetur. Tu non ſolùm ad negligendas leges, verùm etiam ad evertendas ſtuduiſti.* Adductus ſum H. A. fide, officio, miſericordia, veteri conſuetudine inſtitutoque majorum, ut hunc laborem & ex meâ laude & neceſſariorum exſpectatione ſuſceperim. O terque quaterque beatos! qui ſummum illud bonum Virtutem ſectamini. Qui omnes animi corporiſque dotes ad propagandam virtutis nobilitatem intenditis. Cùm nihil tam ſit arduum, quod non tranſcendat Virtus; nihil tam potens & excelſum, quod non facili labore aſſequatur; nihil tam magnificum, quod non ſuâ majeſtate poſſideat. Virtus eximiis honoribus nos afficit, ſummis præmiis nos condecorat, ad amplas dignitates nos promovet. Fuit clarus virtute *Moſes*, cujus conſilio Iſraëlitæ in terram Cananæam deducti. Fuit virtutis laude inſignis *David*, qui Goliathum divino Marte ſuperavit. Fuit, propter virtutem, ſummo in honore *Ioſephus*, quem tantâ dignitate affecit Pharao.

Virtus H. A. virtus, inquam, omnia omnibus attulit. b) *Virtus Adoleſcentiam alit, ſenectutem oblectat, ſecundas res ornat, adverſis ſolatium ac perfugium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat nobiſcum, peregrinatur, ruſticatur.* Voluptas humano generi exitialem perniciem adfert; voluptas rationes omnes conturbat; voluptas publica & privata multis calamitatibus onerat ac dedecorat.

Domi,

a) *Ciceronem imitatus Adoleſcens.*
b) *Cicero.*

Domi, foris cuncta miſeriis & ærumnis contri-ſtat.

Dii talem terris avertite peſtem.

DIXI.

Tres antecedentes recitatæ Alcmariæ CIↃ IↃCXXXIIX.

ORATIO XLV.

Ad Prudentiſſimum Senatum & Scholarchas Alcmarianum, coram corona eximia Iuventutis, in Promotionem Diſcipulorum.

ÆGIDI ab OUDESTEYN,

Et

AND. PET. WINCKELII.

Lectiſſimi Adoleſcentes,

ETſi, Vos, Ambo, nunc à noſtrâ manu & diſciplinâ ab publicam Academiæ palæſtram tranſitis: non patitur tamen mea erga vos æterna paternaque affectio, ut ſimul cum veſtro diſceſſu, etiam ego omnem de vobis curam & cogitationem hoc loco penitus deponam. Sicut hactenus in veſtris formandis moribus ſtudiiſque pro virili operam dedimus, ita & nunc, quando ab inſtitutione noſtrâ, ad aliena caſtra commigratis, ſalutem veſtram ſingulari deſiderio precibuſque porrò proſequimur. Tantoque magis, cum oculatus ipſe in hac re teſtis & author vobis ſufficiam, quid non monſtrorum atque mali, apud inconſultam juventutem illa Academiarum periculoſa deſignet libertas. Lubrica puerorum ætas quoad diſciplinæ vinculis arctiſſimè coërcetur, honeſtoque reverentiæ metu ad officia & functiones ſuas compellitur, non ita facilè in vitia & errores deflectit. Sed quando licentiæ illud frœnum pleno curſu, ſubactâ jam ſervitute, pueris illis, tanquam

equis

equis indomitis, laxatur, per varia rerum præcipitia, & medium quaſi profundum, perque ignes ſuppoſitos cineri doloſo, magno cum periculo circumaguntur. *Vos Ampliſſimi, Spectatiſſimi, Prudentiſſimi Viri, Auditores honorandi*, dum de variis Scholarum vitiis moribuſque nunc diſſero, aures mihi acres attentaſque, quæſo, præbete.

Theſeum hîc agam, qui per implexum ſtudiorum Labyrinthum Liberos veſtros manuducam non fabuloſæ Ariadnes filo, ſed præviâ quadam ſapientiæ face. Cujus lucem ductumque ſi impigris animis, & preſſo, quod ajunt, veſtigio, noſtri Adoleſcentes ſequantur, non dubium, quin facili & compendioſa via ad Honoris Ædem pervenient.

Quod ut cum proſpero ſtudiorum ſucceſſu contingat, pro dolor! multa impedimenta & ſcopulos in Literario illo Æquore reperio. a) Hinc in vitio Parentum erga ſuos Liberos nimia Indulgentiâ; inde Liberorum ex illo malorum fonte, obſtinatâ in res ſuas negligentiâ. Quæ una maxima eſt hydra & peſtis omnium officiorum. quo fit, ut Diſciplinæ authoritas plurimùm evileſcat; ut admonitionibus præceptiſque non ſua conſtet fides ac veritas; ut tota docendi provincia in turpem deſpectum ac contemptum eat. b) Cùm illa Scholarum & præceptorum ſit dignitas atque exiſtimatio, ut omnis erudiendæ juventutis cura & rectura à teneris mollibuſque matercularum affectibus ac blandimentis longiſſimè abeſſe debeat: illa in ſola & ſolida benè Docentium authoritate conſtituta. Equidem prudentis Magiſtri norma & ratio ſic dictat, ut nihil à Pietate & commodo concreditæ ſibi juventutis alienum præcipiat. In illo diurnis nocturniſque laboribus deſudans, ut omni experimento adverſus vitia depugnet; illiſque remediis

a) *Indulgentia parentum.* b) *Auditores præcepta requiritur.*

mediis tutiſſimè ſemper utatur, quibus diſciplinæ & juventutis integritas quàm maximè ſtabiliatur. Nam certum eſt, quando ſemel noſtræ curæ fideique Filios veſtros commiſiſtis, mox unà cum ſuſcepta illorum tutela morumque emendatione, in ſui amorem ac deſideria nos tacito quodam animorum inſtinctu pertrahunt, & quaſi quibuſdam beneficiis pelliciunt. Aut profectò! neceſſe eſt, omnem diſciplinæ authoritatem mox corruere, nihilque nos cum idoneo fructu in diſcipulos tranſfundere, quando primæ ætatis artiumque fundamina, Conſcientia & Charitas, è Docentium animis radicitus exſtirpantur. Cùm & noſtræ rationi nihil pertinaciùs obluctetur, quàm ſalutaria in aliquem bona & monita conferre: quem, aut propter vitia perditoſque mores planè odimus, aut alia de cauſa, non ſerio amore noſtro ſtudioque complectimur. Tollenda igitur eruendaque è Diſciplinæ Sanctuario præpoſtera omnis opinio: quæ docentem à recto Inſtitutionis ſcopo deterreat; Diſcentem niſi vanâ ac inani ſtudiorum ſpe & meſſe fruſtra deludat. Authoritas, inquam, & obſervantia, præcipuum Scholaſtici regni adminiculum, omni conſilio prudentiaque Præceptoribus adſtruenda. Quæ in publico docendi ratio ſi majore cum curâ & induſtriâ obſervaretur, ac ſua Eruditorum laboribus præmia & immunitates magis ſuppeterent, non ita fortaſſe Scholarum dignitas, tanquam vile ſcortum, profanato pudore, pro nihilo abjectoque haberetur. Cùm potiſſimùm hujus ſeculi ſit vitium, opes & fortunas plurimi ſemper facere, deſtitutam facultatibus virtutem juxta forenſem fabulam, aut inanem quandam ſarcinam æſtimare. Quo vitio nimiumque, prô dolor! inveterata ævi noſtri conſuetudine non parum detrimenti gloriæ Scholaſticæ accedit: & apud juventutem Præceptoris vilipendium, firmo, ut ſic dicam, charactere exprimitur. Multa hujuſ-

modi

modi malorum in tabula recenſere poſſem, ſi non lippis & tonſoribus nunc notum, quàm docendi Provincia, & illa, Baſilio teſte, παιδευτήρια θεογνωσίας, pene in vulgi ludibrio, infimæque ſortis ſubſellio ponantur. Quod nonnunquam in ſutrinis aut piſtrinis abjectiſſima ſervitus digniore titulo pendatur, quàm illa veſtræ juventutis liberorumque laudabilis in Schola inſtitutio. Merito poëta:

a) *Hos populus ridet, multumque toroſa juventus.*
Ingeminat, tremulos naſo criſpante cachinnos.

b) *Tam obſcura, tam ſordida, tamque ignobilis* paſſim eſt *illa docendi provincia, ut infauſto nati ſidere putentur, qui divinam informandæ juventuti operam locant. Hinc adeo eſt, quòd multi cum* Leonidâ Alexandri Magni *Pædagogo, non ſuſtinentes ſui contemptum, neceſſariam inſtituendi functionem, tanquam ſordidum & liberale aliquod miniſterium fugiant ac averſentur. Et tantùm quidem iſta invaluit perſuaſio, ut vix quiſquam ingenio* doctrinaque *præſtantior tractare rem Scholaſticam & erudire pubem dignetur: Qui verò ad alios Reip. uſus fuerit ineptus, vita infamis, moribus inelegans, ſemidoctus, barbarus, neſcius excolendæ juventutis, cum æterno Reip. damno ſcholis præficitur.*

Cui malo morboque ſi utili Medicina, à vobis, illuſtres DOMINI, obviam eatur, plurimum ſanè, ſapientum omnium judicio, ad Muſarum incolumitatem ponderis pretiique adferetis. c) Floruit illa, heu quondam! Scholarum Majeſtas: cùm ipſa quoque Virtus & Pietas magis ſancta ac religioſa haberetur; cùm animorum ingenuæ dotes magis in ambitum venirent, quàm nunc illa inanis. & pluſquam inſana pecuniarum honoriſque cupido. Quo Doctrinæ promovendæ illuſtri nomine *Græci* & *Romani* ſempiternum ſibi decus glo-

a) *Perſius.* b) *Parent. p. m. in Gymn.* c) *Scholarum fundatio.*

gloriamque apud poſteros immortalem acquiſiverunt. Qui hoc Reip. rati maximum ſtabilimentum, quando in literariis illis ludis ac Gymnaſiis optima juventutis cura adhiberetur. In Græcia immane quantum! Solas *Athenas* admiramur, verè Ἑλλάδος μουσεῖον, ex quo, tanquam ex equo Trojano, Philoſophorum & Oratorum innumeri Principes prodierunt. Vetus autem Italia *Gabios* habuit, domicilium artium, tot ingeniorum ac ſcientiarum Aſylum; ubi ipſe *Romulus* & *Remus*, tantæ gentis primi conditores, literarum ſacris initiati. *Roma* verò, cui Latialis Eloquentia nomen & palmam debet, bello Punico ſecundo, pluſquam viginti Scholæ & Gymnaſia illuſtri in fama viguerunt. Quis ignorat in Græcia celeberrimam *Antiochenam*, *Laodiceam*, *Byzantinam* Academiam? In Africa *Carthaginenſem*? In Hetruria *Bononienſem*? In Italia *Patavienſem*? In Hiſpania Scholam *Salamanticam*: in qua uno eodemque tempore ſtudioſorum VII. millia humanioribus ſtudiis operam navarunt. Nonne magna in laude verſatur *Alexandria*, illi prima Chriſtianorum palæſtra; in qua *Polycarpus* & *Origenes* publicè religionem profeſſi? Taceo de *Iaponia* apud Indos; de *Zoroaſtre* & *Magis* apud Perſas; de Poëtis & Medicis apud *Arabas*; de *Druidarum* diſciplina apud Gallos. Nihil nunc dicam de *Pragenſi Bohemorum*, de *Heydelbergenſi Germanorum*, de *Cantabrigenſi* & *Oxonienſi* Anglorum. Illa, inquam, illuſtrium Academiarum Scholarumque fundamina ſola Regum Principumque munificentia, ad illum conſpicui honoris gradum pervenerunt. Quam nutritiam & obſtetricantem Procerum benignam manum ſi pulchro formandæ juventutis operi, velut ſolidas columnas, ſubtrahas, omnia in fatalem ruinam impingant, jure meritoque metuendum. Igitur præclarè Seneca: a) *Non is ſolus Reip. prodeſt, qui candi-*

a) *Præſtantia inſtitutionis.*

Digitized by Google

candidatos extrahit, & tuetur reos, & de pace belloque cenſet: Sed qui juventutem exhortatur, & in tanta bonorum Præceptorum inopia, virtute inſtruit animos, qui ad pecuniam luxuriamque ruentes prenſat ac retrahit, & ſi nihil aliud, certè moratur: in privato publicum negotium agit. Et alibi divina voce Philoſophus: *Zeno & Chryſippus majora egerunt, quàm ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent: quas non uni civitati; ſed toti generi humano tulerunt.* Quod cùm perſpectum ſibi haberent, Parricidæ literarum *Mitylenenſes*, ſociis qui deſciverant, hanc pœnam impoſuerunt, ne liberos ſuos ſapientiæ præceptis imbuerent hoſtem ſe tum maximè ſub poteſtatem redacturos; ſi deſtituta literarum præſidiis juventus Reip. clavum teneret. Simili modo ac tyrannide uſus in Chriſtianos *Iulianus Apoſtata*, qui generis humani verè Thyeſtes ac Lycaon, Scholaſticam docendæ juventutis functionem penitus abrogavit. Non aliter, quàm olim *Philiſtæi*, qui, devictis Iſraëlitis, illis fabros ferrarios ademerunt, ne armorum tractandorum uſi peritia, arrepta melius occaſione, bellum reſtaurarent. Dicite, amabo, quid in tali Republica, in qua literarum nullus ſplendor coruſcat, nulla ſapientiæ ſtudia excoluntur, uſquam reperias, quàm monſtroſis aſini auribus *Midas*, quàm mentis veterno infames *Therſitas*; Doctrinæ infeſtiſſimos hoſtes *Caracallas, Licinios, Domitios, Syllanos, Domitianos?* quorum ductu & auſpiciis maxima miſerrimaque orbi terrarum pernicies acceleretur, non momento opus. Illa demum Rerump. veneranda majeſtas, perfectæque felicitatis murus aheneus: quando Viri dignitate eminentes, ſapientia inſignes, doctrina admirabiles, rerum habenas moderantur. Si *Craſſos, Catones, Lælios*, in Senatorio Conſulumque conſeſſu connumeres, in quorum conſiliis ſententiiſque civium ſalus ſarta tectaque ſubſiſtere videtur. Ac tum quidem meritò excla-

man-

Digitized by Google

mandum! *Felicem Remp. in qua aut Philoſophi regnant, aut Reges Philoſophantur.* Quod cùm omnis ævi Rectores Principeſque exploratum ſibi haberent, omnem in illo curam adhibuerunt, ut Præceptorum divina merita & labores non tantùm magni fecerint, illos in cœlum uſque laudibus ſuſtulerint; ſed ampliſſimis quoque muneribus præmiiſque perpetuò condecorarint. a) Quorum in numero primas teneat Macedoniæ Rex *Philippus*: qui filio Alexandro non æquè de regno regioque honore congratulatus, quàm de inſtitutione Præceptoris ſui Ariſtotelis. Proximas ab illo *M. Antonius Imp.* qui aureas præceptorum ſuorum imagines in curia poſuit, Proculo Magiſtratum obtulit, Apollonium domi ipſius frequentavit. Non illis inferior fuit *Q. Fulvius Nobilior*, qui Ennium Poëtam Civitate Romana donavit; Non *Octavius Auguſtus*, *Gratianus Imp.* qui mirifico ſuos præceptores amore ſunt complexi. Non *Dionyſius*, qui Platoni ſuo vittatam navem obviam miſit, ipſe quadrigis albis in littore egredientem excepit. Ita ſui quoque præceptoris merito amans magnus ille *Pompejus*; qui Poſidonio Lictoreos faſces ſubmiſit. Et *Theodoſius Imp.* qui docentem Arſenium conſidere juſſit, Filioſque acriter admonuit, ſuo præceptori debitum cultum & reverentiam promptiſſimè exhiberent. a) *Igitur Athenienſibus de Rep. ſollicitis non aliud edixit Oraculum, quàm ut rem omnium præſtantiſſimam liberorum ſuorum auribus inſererent: ſcilicet, non unionibus aurove illigandas puerorum aures; ſed ſanctiſſimis virtutum ſapientiæque præceptis imbuendas, & Scholaſticæ inſtitutionis rationem habendam Apollo monebat.* Quare Socrates, qui cùm ex cultu corporis ſummæ improbitatis argueretur, *Talem* inquit *me natura formavit, at emendavit correxitque diſciplina.* Nec

a) *Præmia præcept.* b) *Parens p.m. in Gymn. Eloquent.*

Digitized by Google

Nec immerito a) ad Athenienſes olim *Crates: Quorſum ruitis cives, qui omne ſtudium in pecuniis collocatis, liberorum veſtrorum curam nullam ſuſcipitis?* b) *Et ſanè, quòd mentem à Barbaria cultu deflexìmus; quòd ex Cimmeriis Superſtitionum tenebris emerſimus; quòd inſtituti bonis artibus, imbuti bonis moribus ſumus; quòd legum hactenus & diſciplina authoritas ſtetit, illis optimarum diſciplinarum nutritiis & officinis debemus.* Quam primæ inſtitutionis utilitatem cum *Mecœnas* cognoſceret, Auguſtum Imp. monuit, ut ludos literarios aperiret: quos nobiliſſimi ordinis homines frequentarent. Et magnam meritò meretur laudem divini *Platonis* ſententia: qui in ſua Rep. peculiarem juventuti magiſtratum præfecit; qui ſingulorum mores obſervaret, vitam & vitia emendaret, *Laconum* verò patrius mos erat, cibi potioniſque modum liberis præfiniri, humili cultu & ſobrio cum æqualibus convictu illos educare: horrida diſciplina ſæviſſimis moribus aſſueſacere: ne qua rudem mentem improbitas inficeret. *Naſci, vivere, valere, cum brutis animantibus commune habemus: ea demum vera hominis vita eſt, qua quis ad virtutē ſapientiamque inſtitutus rectè ſapit & honeſtè agit.* Qua de cauſa Socrates juventutis inſtitutionē τὸν τόπον ἐν καλῷ dixit. *Neque ullum*, ait Cicero, *munus Reip. afferri majus meliuſve poteſt, quàm ſi doceamus atque erudiamus juventutem, iis præſertim moribus atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrænanda ſit atque coërcenda.* Igitur omnium Gentium ac Nationum exemplo, rectiſſimis moribus, ſtudiiſque juventutem formare debemus: ne, illo animorum cultu neglecto, fœdam ignominiæ maculam Reſp. ſuſtineat. Quod tunc demum ſingulari fato conſilioque præveniemus, quando omnem ad nequitiam aditum licentiæque feneſtram arctiſſimis catenis peſſuliſque claudimus. c) In qua lubricæ ætatis coërcenda petulantia,

a) *Parens p. m.* b) *ibidem.* c) *Ieſuitarum inſtitutio.*

tia, non me pudet hoc loco divinum *Ieſuitarum* inſtitutum, ac collegia ſuo quoque merito & laudibus celebrare. Quibus illa in Diſcipulos ſuos diſciplina & authoritas, ut vel ſolo ſuo nutu ac ſupercilio apud imbellem turbam hoc agant, quod ne ipſi parentes ulla unquam ſeveritate verborumque fulminibus efficiant. Oculatus in hoc pulvere ſum teſtis, & ſæpè animum oculoſque meos tam pulchrè docendi ſpectaculo oblectavi. Quando in egregia juventutis corona Magiſter Ieſuita conſederat, jam docendo dicendoque intentus, mox altum & Pythagoricum undiquaque ſilentium. ubi nemo mutire aut hiſcere; omnes tacita quadam religione ac pudore ad virtutem modeſtiamque compoſiti, ſuos Præceptores tanquam Deos aliquos venerabantur. Quæ parendi obſequendique promptitudo Diſcipulis non pœna aut flagris incutiebatur; ſed pulcherrimæ inſtitutionis tacito quodam metu ac reverentia, apud ſingulos religione quadam ſancita. Quod ſi noſtræ juventuti illa à parentibus ſuis injungeretur obſervantia; ſi iſte Præceptoribus tribueretur honos & dignitas, multò ſanè felicius de Scholarum fructibus Reip. noſtræ gratulari poſſem. Nunc, pro dolor! ita ratio & uſus invaluit; ſi aut mollis matercula, levicula de cauſa abſentiæ copiam præſcripſerit, utraque Magiſter manu applaudat, neceſſe eſt. a) Sin aliter, contumelia & vindicta in promptu; iræ liteſque parantur. Domi amicus hoſpeſve liberaliuſculè excipiendus? Adſit diſcipulus noſter, oportet. Convivium cœnamque accedes? ni parvus Aſcanius lateri patinæque inhæreat, nullus cibo ſapor. Aliquò iter inſtituendum; aut per diem otioſè obambulandum? ut juxtà Adoleſcens, ac ſtudia ſuſpendit. Æſtate aut hyeme cœlum ſi ſudum ac defæcatum; religio eſt, ſuam prolem Divæ Vacunæ ſacra non rite coluiſſe. A Foro, à Bal-

a) *Diſciplina corruptio.*

à Balneis, à Mimis & Satyris ſi ſtudioſum avellas, vim ſibi & injuriam illatam clamitat. Si acriùs ad ſuum penſum & labores cogatur, periculum eſt, transfugam aut deſertorem Diſciplinæ facias. Nemo igitur in Rep. admiretur, quòd ſæpè tam parum emolumenti ad ſcholarum induſtriam accedat: quando Parentum indulgentiam, Liberorum protervia m, & communem ſeculi noſtri inertiem rectâ apud animum ſuum cogitatione expendat. Quod ſi verò de priſca *Gymnoſophiſtarum* apud Indos diſciplina hoc loco mentionem fecero, quàm malè turpiterque factum juventus noſtra communi ſuffragio obloquetur! a) Illic menſa poſita, priuſquam potiora fercula adponerentur, omnes hinc inde Adoleſcentes à penſo & officio in unum convenire ſoliti. Magiſtri ſingulos de ratione ſtudiorum percunctari; vitæ factorumque ſeriem perveſtigare; cuncta ad unguem officio diligenter perquirere. Quid à primo diluculo ad ſerum diei crepuſculum ad virtutem ſingulariter inſtitutum; quid in aliqua re & negotio laude dignum promoviſſent. Hic, qui certis rerum teſtimoniis vitæ integritatem oſtendiſſet, ad epulas ciboſque, velut ad laborum mercedem & præmia admittebatur. Ille, qui nullo honeſti indicio frugalitatem ſuam ſignificaſſet, tanquam putidus aliquis fungus aut canis, impranſus foras extrudebatur. Non minus apud *Lacedamonios* Puerorum Diſciplina in magno pretio ac honoribus eſt habita. Apud quos nefas erat Diſcipulo, ſi fortè ob commiſſum delictum meritò pœnas dediſſet, querelam ad parentes deferre. Quod ubi factum, non impunè Patri fuit, ſi non iterum pari ſupplicio delinquentem Filium mactaſſet.

Pudeat, vos Adoleſcentes, tam obſtinatæ erga Præceptores contumaciæ; in virtutem & bonos mores ſocordiæ; in literarum ſtudia officiumque veſtrum

a) *Gymnoſophiſtarum inſtitutio.*

veſtrum diris omnibus devovendæ negligentiæ. Pudeat veſtris ingeniis impenſam toties operam fruſtra eludere; benè monentium vota preceſque tanta beneficiorum prô pudor! ingratitudine remunerari. Vos ſi aliqua ex parte boni Magiſtri ſollicitudinem animi oculis inſpiceretis; quantoque doloris cruciatu ſæpenumero veſtri cauſa miſelli conficiantur: longè aliter in animorum illos nutritios ſalutiſque veſtræ cuſtodes fide affectuque propenderetis. a) *Scholarum Magiſtri, animorum generatione Deum æmulantur, pubis formatione naturam perficiunt, amoris ſtudio parentes æquant, virtutis ſapientiæque præceptis Remp. conſervant: quod ut præſtent, ô Herculea virtutis animoſa pectora!* Vos, ingrati Adoleſcentes, tantæ dignitatis officiorumque patronos tam parvo pretio præmiiſque afficitis? Annon cum brutis animantibus vitam vobis Natura vulgavit? Sed ut ſapientiæ ingeniique dotibus optimè aliquando inſtructi ſitis, Præceptorum laboribus beneficiiſque debetis. Agite igitur pro virili, pigrum veternum veſtris animis excutite; ac Regum Principumque pulcherrimo ſtimulati exemplo, dignam veſtris Præceptoribus laudem, honorem, gratiamque tribuite. Ita fiet, ut magnum virtutis doctrinæque apparatum, cum ampliſſimis in omni vita honoribus, feliciter conſequemini. Hoc enim ſummis apud vos precibus Parentes veſtri contendunt; hoc fideli ſua inſtitutione ac ſudoribus paterrimi Præceptores à vobis expectant; hoc demum univerſa Reſpublica ſanctiſſimis ſuſpiriis gemitibuſque obnixè vos rogat. Etenim remunerandis veſtris laboribus publicæ liberalitatis præmia quotannis patent; privilegia, immunitates, beneficia toties impertiuntur; Templa ac delubra Muſarum ſacris dedicantur. Quantoque Diligentia veſtra magis in faſtigium aſſurgit, tantò & præmiorum & laudum materies ſemper major cumulatiorque naſcetur.

a) *Parent p. 30. in Theatro Hum. Ingenii.*

Sed

a) Sed, ne veſtra ego humanitate benevolentiaque, *Ampliſsimi Domini*, abuti nunc videar, atque in una Parentum erga liberos profliganda Indulgentia Oratio mea ſubſiſtat, levi nunc tramite, ad alteram corruptæ juventutis Peſtem, ſtudiorum Præcipitantiam, devenio. Pergite, *Nobiliſſ. Domini*, qua cœpiſtis attentione & alacritate: quantumque Ego ſumma nunc voce juventutis noſtræ peccata & vitia perſtringo; tantùm, Vos Domini, tacito linguæ ſilentio, ſtimuloque authoritatis veſtræ, Pubem noſtram ad officium ſuum gloriæque curriculum incitate.

LIBERTAS, fateor, *res eſt inæſtimabilis: Quam bonus quiſque niſi cum anima ſimul amittit.* Quam ex Laconum ſententia nemo ſanæ mentis cum Perſarum regno commutat. Pro qua perpetuò tuenda conſervandaque ſuccum omnem ſanguinemque exhaurias potiùs, quàm vel minimum de illius Majeſtate apicem ſpeciemve deperdas. E contrario *Servitus, qua quis alieno dominio contra naturam ſubjicitur*, merito omnium Calamitatum eſt ſumma perfectio. Quæ, teſtante *Ariſtotele*, nihil aliud eſt, quàm ingenii quædam imbecillitas; *Ciceronis* judicio, una ſtultis imaginaria felicitas. Et certè, b) *miſerrima illorum eſt conditio, qui ad alienum ſemper dormiunt, ad alienum ambulant gradum, ad alienum comedunt appetitum, amare & odiſſe, res omnium liberrimas, jubentur.* Qua fortaſſis præpoſteræ libertatis opinione noſtri Adoleſcentes excæcati, ſiniſtram de Scholis cogitationem animis ſuis induerunt. Quaſi publica Muſarum Domicilia & Gymnaſia, in quibus ad bonam frugem ac pietatem inſtituuntur, rectiſque diſciplinis rudes illorum mentes à tenera ætate excoluntur, lictorum obſcuri carceres, mactandæque ſupplicio juventutis quædam cataſtrophe ac carnificina ſiat. Namque ita hoc à Scholis divortium & fuga

a) *Studiorum præcipitantia.* b) *Seneca.*

ſuga miſellis perplacet, ut tum demum in libertatis immiſſi atrium videantur, quando Academiarum Albo recepti, Ferulæ, ut dicitur, manum ſubduxerint. Cùm jam omni diſciplina ſoluti, nulliuſque ſupercilium amplius exhorreſcentes, illam ſuæ licentiæ Amaſiam ambabus ulnis complectuntur. Non eſt ea libertas, Adoleſcentes, in qua tam bellè ac jucundè vobis placetis. a) Non eſt ſervitutis aliqua ratio, ſi ſub Præceptorum ductu & auſpiciis teneræ ætatis tyrocinia deponitis; ingeniorum hebetudinem ſalubri inſtitutione diſcutitis; animos menteſque veſtras à tanta labe ac dedecore repurgatis. Quamdiu ætas veſtra monitoribus haud aſpera, Rectorem facillimè patitur, vos Adoleſcentes, Scholarum religione atque vinculis probè aſſervari, pene publico Senatus conſulto mandari deſiderem: ne priuſquam idoneis ſtudiorum fructibus palam in cenſum allatis, crudas atque immaturas Muſarum primitias, in publicum Academiæ quaſi mercatum protruderetis. Cum nulla res majorem unquam cladem adferre poſſit, quàm ſi teneram herbeſcentis Doctrinæ meſſem in primis laborum incunabulis conculcetis. Iurato credite, Adoleſcentes, in benè conſtitutis Scholis illa bonarum Artium fundamenta jacetis, atque in omni literatura tam dextrè feliciterque proficitis, ut qualemcumque veſtris ingeniis parem facultatem adjunxeritis; illam non invita Minerva ad ſummos uſque vertices feliciter promoveatis. Illi autem, qui illotis manibus, quod dicimus, in Muſarum ſacra myſteria penetrant, raro ſine bonæ mentis naufragio in tutum doctrinæ portum devenere. Quotuſquiſque enim humanioribus literis meliuſculè imbutus, Scholarum Magiſtris meritò hoc debet. In Academiis quòd parum fauſto pede multi progrediantur, & ad omnem difficultatem, tanquam ad immanes

R ſcopu-

a) *Utilitas Scholaſticæ inſtitutionis.*

ſcopulos impingant, non, niſi præpoſteræ ſtudiorum præcipitantiæ ſoli vitio vertendum. Qui ſi in ſcholis Præceptorum egregiæ inſtitutioni fideliùs paruiſſent, & à teneris annis ſequaces magis animos aureſque ad diſcendum attuliſſent, non profectò! tam miſerè turpiterque de ſtudiorum ſuorum difficultatibus conquererentur. Sed, quamprimùm patefacta ſcholæ janua in liberum aërem proſiliunt; nondum tamen ſuo cortice natare edocti, ſtatimque ad ardua facultatum præcipitia ſe conferunt; quaſi tunc in meditullium literarum admiſſi, jamque publicæ palæſtræ capaces, quando in Dialectica aut Rhetorica ſpatia aliquot confecerint, in ipſa eloquentia & literarum illis ſcriniis quanquam planè hoſpites & peregrini. Agite, macti Adoleſcentes, qui veram aliquando doctrinæ gloriam cogitatis, omnem de Licentiæ illo gradu curam ac cogitationem deponite. Tunc demum à noſtra diſciplina cum honore ac Promotionum ſolennibus manumittendi, quando noſtro ſuffragio, & teſtimoniis, publicæ ſtudiorum Coronæ, cum veſtra laude atque merito, adnumerari poſſitis. Falſa de Academiis perſuaſio vos tenet: ubi nihil unquam operæ pretium ac laude dignum facturi, quando non primo Scholaſticum illum Agonem ſingulari cum induſtria ad præmia & palmam decurriſtis. Fervet, laus Deo, benè Docentium hîc labor; vos Adoleſcentes, promptos ad parendum animos adferre. Ad Pietatem, ad bonos mores religioſa hîc ſemina ſparguntur; vos illa pectoris veſtri agellulis altiore nunc ſulco imprimite. Omnes ad Doctrinam, & ſapientiam opere atque exemplo præimus; vos, Diſcipuli, dies noctesque diligentem ſtudiis veſtris operam navate. Quod ſi veterum ego Scholarum inſtituta formandæque juventutis laudabilem conſuetudinem vobis ante oculos ponerem, immani! quanto vos Adoleſcentes, pudore ac verecundia ſuffunderemini

mini. Quando per omnes ætatum gradus diſcipulos Philoſophorum ſchola admittebat. cum nulli ſerò, ſed velle nunquam diſcere, pudori dabatur. Pudet veſtræ inertiæ, pudet; ſi quando ſapientiſſimorum hominum erga literas amorem paullò accuratiùs contemplor. Horum in numero *Lyſimachum* admiror: qui ætate penè confecta, *ſtatuo*, inquit, *qui ſenior ſum, eò ſtudioſiùs cum Adoleſcentibus diſcere.* Neque parum me afficit Græcorum ſapientiſſimi *Socratis* in liberales artes propenſio: qui tanto doctrinæ deſiderio flagravit, ut hoc gloriæ ſibi quàm maximè duxerit, *quod ſine rubore verecundia ad diſcendum ſe præpararet.* a) Quoties divina hæc *Solonis* ſententia juventutis noſtræ auribus recoquitur: γηράσκω πολλὰ διδασκόμενος. Et illa *Iuliani* juriſconſultorum clariſſimi vox καὶ τὸν ἕτερον πόδα ἐν σορῷ ἔχων, μαθεῖν ἐπιθυμῶ. Non minor diſcendi cupiditas invaſit *Alphonſum* Siciliæ Regem: qui inter tot regnorum curas & bella, annorum jam quinquaginta, literario tamen Præceptori ſe ſubjecit. Taceo de *Clytomacho*, Athenis Carneadem audiente; de *Terentio*, *Varrone*, de *Portio Catone*, *Laurentio Valla* Græcas literas in extrema ſenectute diſcentibus. Nihil hoc loco nunc dicam de *Vlyſſe* Eruditionis ac virtutis ergò per orbem terrarum peregrinante; nihil de *Homero* Philoſophiæ parente, de *Pythagora* & *Anaxagora*, immane quantum! Doctrinarum cupiditate exardeſcentibus. Noſtra quoque ætas, ſi illuſtres aliquot Scholas & Gymnaſia excutiamus, vos, vereor ſuo exemplo & induſtria confundent. Memini, hoc loco, *Divi Parentis* germanam incorruptamque fidem: qui cùm illuſtris *Scholæ Leoverdienſis* provinciam primùm capeſſeret, ipſe juvenis peneque imberbis barbaros ſub ſua diſciplinâ plurimos diſcipulos habuit. Cùm tamen noſtri Adoleſcentes, pró dolor! ſi aliquo uſque ætatem & annos

 promo-

a) *Cupiditas diſcendi.*

promoverint; ſi ſtaturâ corporiſque mole paulò ſupra alios extiterint; ſi ora metumque tenuis lanugo inumbret; ſi toga palliumve humeris ipſorum nitidiùs fortè ſteterit, mox Academici, Peripatetici ſeſquipedalibus illis titulis appellari ſe volunt. Scholaſticæ dignitatis nomine jam pridem in Scholarum tenebris ſilentiiſque ſepulto. a) Quæ ſola cauſa fuiſſe mihi videtur, quod olim ſolennes Academiarum *Depoſitiones* tanta religione ac ſeveritate obſervarentur. Illo potiſſimùm moniti Adoleſcentes, ut mox à prima ineunte ætate diſciplinis adſueſcerent; ut malorum morum ſentinam in ſcholis relinquerent, animum literis ſapientiæque præceptis pulchrè exornarent, ne fortè inauſpicatò ad Muſarum delubra & oracula admiſſi, tantò graviorem ſuæ ignorantiæ inertiæque ignominiam ſubirent. Si illa denuò in noſtra Lycæa conſuetudo revocaretur, magiſque in ſtudia cujuſque & mores animadverteretur; certum eſt, pleriſque Adoleſcentibus non iſta ſtultè pueriliterque ſuſceptam de Academiæ voluptatibus opinionem placituram. Hæc una eſt ratio *Ampliſſimi Domini*, quòd Scholarum hodie dignitas ſic ubique locorum vapulet; quòd nulla in ſcholis doctrina ſic ad veram ſolidamque amuſſim pertractetur, & noſtra hæc ætas in ſuam tacitè barbariem inertiemque devolvatur. Quare, pro Oraculo, atque è Tripode juventutis noſtræ Auribus appenſum hoc volo: *Raro ad Doctrinæ edita Templa laudemque feliciter quis pervenit: qui non primò adminiculantem Præceptoris manum fideliter admiſit.*

Nunc ad vos, *Ornatiſſimi Adoleſcentes*, Oratio mea ſe convertit, cujus aculeum & rigorem, puto, non ſic ſurdis omninò auribus animiſque præteriiſtis Vna Academiæ dulcedo & libertas, immani! quanta voluptate cogitationes veſtras perfundit, ut, ſi à noſtra manu ac poteſtate cum honore

a) *Depoſitionis Academicæ.*

nore nunc dimiſſi, partam vobis hoc die in Cœlis animarum immortalitatem putetis *Cum Iove & Iliaca porrectum ſumere dextra Immortale merum.*

a) Sed, ſi ad antiquam *Pop. Romani Manumiſſionem* reſpicio, qui Iuris gentium eſt ritus: Cùm omnes naturali jure communi nomine *Homines* appellamur; certè, varias ac ſolennes dandæ libertatis formulas reperio. Peragebatur ea aliquando ſolennitas in Comitiis Romanis, vel Templo Feroniæ Deæ, in quo ſervi capite raſo, Pileum, inſigne libertatis, accipiebant; aut, *Tertulliano* teſte, veſtem albam induebant. Inter quos aliqui dominorum juſſu ſervitutis nomen amittebant, quando juxta Cives Romanos legitima bona ſua in cenſum ac tabulas profiterentur. Aliqui ultimæ voluntatis teſtatione libertatis jura conſequebantur; Nonnulli, quod ridiculum penè nobis videatur, impoſitâ capiti Virgulâ, quæ Vindicta dicebatur, apud Prætorem aut conſulem libertatis privilegio afficiebantur. Cujus rei antiquitatem elegantiſſimo carmine expreſſit Claudianus:

Deductum Vindice nomen
Lex celebrat, famulusque jugo laxatus herili
Ducitur, & grato remeat ſecurior ictu:
Triſtis conditio pulſata fronte recedit.
In civem rubuere genæ, tergoque removit
Verbera, promiſſi felix injuria voti.

Hæc priſca Manumittendi conſuetudo. Vos *ornatiſſimi Adoleſcentes*, non è ſquallido carcere, aut indecora ſervitute nunc exitis: Qui ingenui eſtis, liberumque caput habetis. Hactenus ſub honeſtâ diſciplina hederiſque Muſarum, cum *Cyro*, cum *Alexandro, Scipione, Auguſto*, nomina veſtra profeſſi: Hic velut in umbratili doctrinarum Circo ad publici Theatri certamen plauſumque inſtituti. Igitur, Vos Muſarum Alumni, quod à me veſtro Patrono & Præceptore, poſtulare nunc videmini,

a) *Manumiſſio Romanorum.*

mini, libens lubenſque vobis impertior. Accipite dextram fidemque meam, *Chari Adoleſcentes*, quâ vos meritò à ſchola mea demitto; & Academiæ nunc gratulor. *Faxit Deus Opt. Max. ſtudia veſtra Reip. ornamento; Parentibus, Amicis ſolatio, vobis honori atque uſui eſſe queant.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ. CIↃ.IↃCXL.

ORATIO XLVI.

De Rerum inſtabilitate.

ABRAHAMUS COLMAN,
Schermerano-Batt.

QUid eſt, miſerrimi Mortales, quòd cum tanta veſania ac furore in fluxas Fortunæ opes incumbitis? Quod omnem hujus vitæ beatitudinem in ſola & inani pecuniarum gloria conſtituitis? Non dubito, ſi rerum humanarum viciſſitudinem recto unquam oculo inſpexiſſetis, longè aliam de rebus humanis ſententiam ſtatueretis. Si hanc univerſi machinam curioſis animis paulò attentius intueamur, nihil tam firmum validumque per omnes circulos nobis occurret, quod non intra fluxi temporis terminos conſtitutum ad metam & interitum feſtinet. Nihil tam ab arte elaboratum, tam à cura & induſtria perfectum, ab ingenio perpolitum; quod non tacito annorum decurſu, ſuoque quaſi ſenio conficiatur. Nihil ſub ſole tam ſtabile, quod non dies & ævum paulatim conſumit; nihil à facie tam pulchrum & placitum, quod non ſenilis ætas ad rugas & ſupercilium dimittat. Nos nihilominus hæc mundi crepundia atqua inania oblectamenta tanti faciemus? nos fluidas fortunæ opes tanquam ocellos noſtros diligemus? nos ad dignitates & honorum faſtigia

tam laſcivis animis contendemus? In amplis domi pomœriis, in pretioſa ſupellectile, ſtratis Pario marmore pavimentis, elaboratis auro veſtibus, ſpem vitæ noſtræ ſtatuemus? nos in auri argentique laminis, in Indorum gemmis & unionibus; in Aſſyriorum oſtris ac purpurâ, Corinthiorum ſtatuis aliquam ſalutis ſpem reponemus? Stulti mortales, qui animum in hiſce fluxis fluidiſque Fortunæ deliciis exercemus. In alieno eſt arbitrio, quicquid poſſidemus, ſuum tempus repetet, ſuo mors manum injiciet. Terra mater quæ ſuum nobis benignè depoſitum concredidit, omnia ſuis iterum viſceribus ac cavernis abſcondet. Si à primis mundi initiis præteritorum temporum memoriam nobiſcum repetimus, viden', quàm omnia, quæ ſub Sole exſtant, lento gradu ad ſui ruinam & interitum contendant? Quàm nihil à tot retro annis ſtabile permaneat? Hanc rerum inſtabilitatem ſcripta à mundi exordio, temporum teſtis, Hiſtoria, luculentiſſimè confirmat. Floruit olim potentiſſima *Aſſyriorum* monarchia; fuit in honore nobiliſſimum *Parſarum* imperium; fuit pollens potenſque *Græcorum* antiquiſſima poteſtas; ſtetit multos in annos *Romanorum* dominatus. Dic, ſodes, ubi ille unus, qui de tanto Gentium ſplendore atq; robore vel umbram aut veſtigium agnoverit? Quam admiranda olim a) *Nini Aſſyriorum Regis* in bello potenti! qui ad decies ſepties centena millia peditum, Equitum millia ducenta adverſus Bactrianos in campum produxit. Quàm ingentes *Semiramidis* copiæ! quæ contra Staurobatem peditum terdecies centena millia, equitum millia ducenta in bellum armavit. Quanti exercitus *Athenienſium!* qui duce Alcibiade, ſupra centũ & quinque millia adverſus Syracuſanos ad aciem conſcripſit. *Xernem* Perſarum Regem intueamini, qui ultra tria millia navium, in quibus pluſquam

R 4 Viginti

a) *Magni exercitus.*

viginti hominum Myriades numerabantur, contra Græcos expedivit. Quantas copias *Darius* adverſus Scythas; *Tigranes*, contra Romanos; *Mithridates* contra Armenios conflavit! Magna fuit militum manus, quâ *M. Alexander* terrarum orbem ſubegit, qua *Hannibal* Romanis terrorem incuſſit, qua *M. Antonius* cum Cæſare Auguſto bellum ſuſcepit. Quid, inquam, eſt, miſelli mortales, quod veſtris viribus nerviſque tam ſtolidè ſtulteque confiditis? Anne aliquis ab illo ævo & numero, qui ſui nobis umbram vel memoriam ſuggerere ac refricare queat? Dic, a) amabo, ubi nunc florentiſſima urbium *Corinthus*, *Babylon*, *Hieroſolyma*? ubinam gentium Tarpeja *Roma*; Dardani *Troja* Antenoris *Patavium*? Didonis *Carthago*, Antiochi *Laodicea*, Amazonum *Epheſus*? ubi eſt illa *Neronis* gemmis atque unionibus diſtincta domus, *Salomonis* Regia, *Cyri* Med. R. Palatium? Tuum nunc oſtende *Veſpaſiane*, *Domitiane*, Amphitheatrum tuum, *Tarquine priſce*, Circum maximum; tuam *Cicero*, Baſilicam, Tuſculanum. Periiſti dudum Nobiliſſimum in Græcia *Sami Templum*; *Dianæ* apud Ægyptios; *Coloſſus Solis* apud Rhodios. Obruit alta vetuſtas Ægyptiorum *Pyramides*, *Mauſolæa*, *Obeliſcos*. Nuſquam exſtas *Iovis Olympii* ſimulachrum, *Phydiæ* ſtatua, *Seſoſtris* ducentorum cubitorum ex cedro navis. Quid profuit tibi, *Nicotris*, liberum Euphratis curſum impedire? Tibi, *Cæſar*, Pontinam paludem exſiccare? Tibi, *Claudi*, per tria paſſuum millia montem effodere? Tibi *Trajane* pontem lapideum in Danubio exſtruere? Perge te oblectare in tua luxurie, *Heliogabale*; piſcinas aqua roſacea & vino replere; ſtruthiorum ſexcenta capita unica in cœna apparare. Da gulæ operam, libidinoſe *Vitelli*; abſorbe liquefactas aceto uniones, *Caligula*; ſubſterne triumviralem Cleopatræ honorem *Antoni*; effunde per luxum paternos

a) *Magnarum urbium operumque interitus.*

paternos reditus *Cteſippe*; fac nullum luxuriæ modum, *Domitiane*; pone ſolatium in pecuniis *Tantale*; nullum novæ voluptatis genus intermitte *Antioche*. Vah! fœda mortalium monſtra, immane quantum! deſipitis. Qui nihil penè penſi habuiſtis, quàm cum Epicuro ventris & gulæ voluptates ſectari, cum brutis animantibus in otio ac ſilentio vitam tranſigere. Liceat mihi meritò H. A. cum ſapientiſſimo Heraclito mundanarum rerum ineptias deflere; aut cum ridiculo Democrito ſtultam mortalium vanitatem plurimo perpetuoque cum riſu deteſtari.

DIXI.

ORATIO XLVII.

De Literarum Laudibus.

THEODORUS ANTONI,
Horno-Batt.

MAgna H. A. Literarum & Eruditionis eſt præſtantia, magna ejus vis, magna virtus. Qua ante alios quiſquis maximè excellit, tantò majorem ſibi laudem & venerationem meretur. Et hanc ſi quis infra ſuum pretium & dignitatem collocet, parum meo judicio, à brutorum ignorantia differre videtur. Eruditio enim hominum animos à prima pueritia præclaris ſapientiæ ſtudiis informat; ingeniorum habitudinem ad meliorem rationis uſum inſtruit, adgenitas ignorantiæ tenebras ſuo à nobis beneficio depellit. Eruditio, lima & norma naturæ, nos ad veram humanitatem componit, aſperos animi mores emollit, emendat, nec feros eſſe ſinit. ad laudabilem priſcæ ſanctitatis cultum nos inflammat. Eruditio à caducarum rerum curis aliena, à turpi pecuniarum quæſtu & ſordida voluptatum

fruitione abhorrens, non niſi arduis de virtute cogitationibus mentem intendit. Illa ad ſingularem vitæ modeſtiam ad ſobriam in victu continentiam, ad morum animorumque integritatem mille nos exemplis cohortatur. Illa ad vitam rectè formandam, ad turbidos animi motus coërcendos, ad iram, odium refrœnandum, ſalutaria nobis remedia præſcribit. Hæc docet in proſperis fortunam moderari ſapienter; in adverſis tolerare fortiter, conſtanter. Quâ doctrinam luce ſemel de medio ſublatâ, quis rectis Remp. legibus adminiſtret? in Senatu ſententiam dicet? populum in pace & concordia teneat? a) Quis de Deo Theologus ſacra myſteria explicet? Fidem, religionem adverſus Hæreticorum contagionem defendat? Quis humani corporis valetudinem medicus procuret? vires afflictas reſtauret? Quis continentiæ legem Philoſophus præſcribat; à vitiorum turpitudine nos abſterreat? Tibi, præclara Eruditio, vitæ felicitatem, tibi ſolidam pro tot beneficiis gratiam debemus. Tu nos à vulgi communione & hominum fæce disjungis; à ſordidâ vivendi conſuetudine ad illuſtrium virorum converſationem compellis. Tu nos immortalibus vitæ ornamentis, diviniſque animi bonis afficis. b) Quales fuiſſemus, niſi nos Philoſophia correxiſſet? Ideo *Mitylenenſes* literarum illis uſum ademerunt, quos graviſſimo afficere ſupplicio volebant. *Iulianus* Apoſtata, ut facilius Chriſtianos ſubjugaret, Philoſophiæ illos exercitio privavit. Hoc cùm ſciret *Socrates*, pulcherrimum in terris animal hominem doctrinâ excultum judicavit. *Thales* aliquando rogatus, quem inter homines maximè felicem haberet, *qui corpore*, inquit, *ſanus, animo eruditus*. Et præclarè olim *Cleanthes*, qui pluris mendicum, quàm hominem indoctum faciebat. Idem divini *Platonis* judicium,

a) *Eruditionis commoda.* b) *Iudicium de præſtantiâ Doctrinæ.*

dicium, *qui doctos ab indoctis tantum differre, quantum Medici*, ait, *ab ægrotis*. Non immeritò *Diogenes*, hominem indoctum eſſe onus terræ graviſſimum reſpondit; *Socrates* aureum mancipium vocavit; *Ariſtoteles* cum mortuis comparavit. Illos ſequutus *Themiſtocles*, qui interroganti amico, cui filiam in matrimonium daret? *Viro ſine pecunia quàm pecunia ſine viro*, reſpondet. Hæc, vos illiterati Homines, ſi ſapientum judicia intelligeretis, *non ſic lapides ſuper lapides*, ut ait *Ariſtippus*, *ſederetis*; nec de optimis literarum ſtudiis, quæ ſolatium in adverſis, in ſecundis rebus ornamentum, tam turpiter judicaretis. Quod olim ſtulto iſti Athenis accidit, Epicteti lampadem ementi, ſic ſe Philoſophi eruditionem conſequuturum ratus. Idem vobis uſu venit libenter pecuniarum ſummas daturi, quando alicubi pretio venalis doctrina eſſet. Sed *virtutem poſuêre Dii non ante laborem*. Igitur *Zeno*, conſulto oraculo, quomodo eruditionem conſequeretur, *ſi mortuis*, reſpondit, *concolor redderetur*. Quam præclaram Doctrinæ laudem ut ſibi pararet *Demoſthenes*, abraſa altera capitis parte in ſecretas terræ latebras ſeceſſit. *Cleanthes* ut Chryſippi inſtitutione frueretur, noctem hauriendis aquis impendit: unde in præceptorem pecunia ſuppeteret. *Carneades* verò præ fame mortuus fuiſſet, niſi uxor Meliſſa cibum illi in os ingeſſiſſet. Et præclarè *Diogenes*, qui nullis fuſtibus, nulliſque verberibus ab Antiſthenis diſciplina removeri potuit. *Cæde, ſi vis*, ajebat, *nullum baculum tam durum invenies, quò me à te abigas*. Non puduit magnum *Pompejum* magiſtro Poſſidonio faſces ſubmittere; non *Iulium Cæſarem* Ariſtonis januam frequentare; non *P. Scipionem* in doctorum familiaritatem ſe ingerere. Vos de plebe Homines, nullum doctrinæ decus, nullum honorem literis tribuitis? Vos Liberalium artium ſapientiæque ſtudia contemnitis? Multò melius de docto-

rum virorum præſtantia atque laudibus magni olim Reges & Principes judicarunt: quibus nihil in vita fuit delectabilius, nihil fructuoſius, quàm cum ſapientibus Philoſophis, de Doctrinarum myſteriis diſſerere.

a) Fuit inter illos *Alexander* M. qui viros doctos ſumma ſemper liberalitate ornavit; *Caſ. Auguſtus*, qui ſui temporis Oratores & Poëtas magno in honore habuit. De *Athenienſibus* quid dices? qui Demetrio Phaleræo ſexcentas & ſexaginta ſtatuas erexerunt? De *Alphonſo Aragonum Rege* qui abhorrentes illa ætate à literis Hiſpanos ad literarum cultum revocavit? De *Ælio Hadriano*, qui illos, qui per multos annos docendis literis præfuiſſent, ampliſſimis divitiis ac muneribus honeſtavit? Nonne in Euripidem Poëtam *Saracuſani*; in Anacreontem *Samii*; in Pindarum *Alexander* ſingulari amore affectus: Fuit cauſa Eruditio, quòd *Pythagoras* pro Deo coleretur; ipſius domus pro templo haberetur; quòd *Georgia Leontino* Delphis aurea ſtatua erigeretur; quod *Platoni* in Siciliam venienti à Dionyſio vittata navis obviam mitteretur.

Ita & veſtri eſt officii, *Ampliſſimi*, *Spectatiſſimi V. V.* bonarum Artium Profeſſores ſingulari liberalitate ornare, optimum Reipub. ornamentum, Literas, magni ſemper æſtimare; ſtudioſæ juventutis induſtriam promeritis jam dudum præmiis ad virtutem & gloriam incitare ac promovere.

DIXI.

a) *Virorum doctorum æſtimatio.*

ORA-

ORATIO XLVIII.

De Literarum Contemptu.

ANTONIUS DAMBURCH, *Alcm. Batt.*

NE miremini H. A. hoc tam perdito mundi tempore, & corruptis Hominum moribus Virtutem ſic parvo æſtimari. Probitatem, Iuſtitiam, nullo penè loco haberi. plus in turpem foro pollere Ambitionem, quàm ſacram in Templis Fidem, Regionem. Meo quidem judicio tantæ improbitatis & malorum cauſa eſt Literarum Doctrinæque contemptus. Sublatis enim de medio bonarum artium exercitiis, brevi concidere Remp. oportet. Quam nemo unquam bonis conſiliis adminiſtrare, nemo rectis legibus intra modeſtiæ cancellos retinere poteſt, ſi præclara Sapientiæ ſtudia, quæ unicum magnarum rerum fundamentum, pro vili & abjecto habeantur. Neque eſt dubium, quando illa Malorum peſtis ſemel Remp. invaſerit, & nulli merito ſuus honos ac reverentia habeatur, quin à doctrinæ contemtu literarumque diſpendio prima mali labes prognaſcatur. Multò ſe melius res noſtræ haberent, ſi politioribus ingeniis ſua ex æquo dignitas tribueretur. Neque ita in torporem & turpitudinem multi prolaberentur, ſi aliquam emergendi fiduciam bonarum artium ſudor polliceretur. Nunc, prô dolor! divinæ Literaturæ faſtidium ac nauſea ſic invaluit, ut noſtri temporis injuriam pluſquam lacrymis deplorare deceat. Vacat aliqua in Rep. honoris curulis ſella? parum id ſpectatur, an aliquis gravem Reip. cauſam ſuo conſilio atque humeris tueri ac ſuſtinere poſſit. Partium ſtudia, & amicorum ultrò citroque favor plus efficit, quàm omnis virtutum apparatus. Si committenda in manum Reſp. nemo de virtute, de eruditione cogitat

tat. Qui turpiter ambiendo fidem & amicitiam extorquere valet, ille primas ubique tenet. Eruditio, Prudentia, Virtus minoris multo, quàm caſſæ nuces, quàm vilia putamina & expurgamenta fiunt. Meritò maximam admirationem meretur H. A. quòd tam malo corruptoque ſeculo non pauciores inveniantur, qui literarum adhuc nomen à fatali ruina & rogis ſartum tectumque conſervent. Cùm eò tamen Rei literariæ libertas nunc ſit prolapſa, a) ut multi illam cum *Caligula*, qui de abolendis Homeri & Virgilii ſcriptis cogitabat; Senecam *arenam ſine calce*, Livium *negligentem ſcriptorem* nominabat, ex hominum memoria exterminarent. Qui cum *Caracallâ*, qui Ariſtotelis lectione interdicebat, ferro igneque literas proſequerentur. Cum *Licino Imp.* virus ac peſtem doctrinam appellarent. Cum *Lacedæmoniis* liberalium artium ſtudia prorſus libero homine indigna putarent. Cum *Thraciæ populis*, literarum ſacris ſe dedere, turpe dedecus judicarent. Si hoc vulgus hominum, eorumque de Eruditione judicia expendam; quis in omni illo numero inveniretur, qui non multo uſu & prudentia edoctum hominem juxta pellionem aut bajulum penè ponat? Quod ita à literatis abhorret, quàm ſi literæ & libri oneroſæ eſſent ſarcinæ bonæque mentis impedimenta. Atque utinam non multi in Rep. reperiantur, qui infra fas & æquum bonas artes collocent, & jam dudum Præceptorum oracula & monita de manibus deponant. Qui aut ipſi nulla ſcientia imbuti, aut indicto bonis artibus odio, ſuam plus ament in rudi ignorantia cæcitatem quàm aliorum in virtute & literis ſapientiam. Digni homines, quos meo nunquam ſuffragio Senatus accipiat, nunquam Faſces & Purpura honoret. Vos, præclari Literarum Fautores, perpetuam apud poſteros de Virtute commendationem meremini.

a) *Contemptores Literarum.*

mini. Vos, præ cæteris omnibus, ingenii doctrinæque dotibus inſtructi, præcipuum in omni collegio locum atque dignitatem promeremini. Vos, legum & judiciorum non ignari, veſtris Remp. conſiliis vigiliiſque ſumma cum laude juvatis, promoveris. *Sub veſtro faxit! Opt. Max. DEUS, nutu ac providentia longum feliciterque vita incolumes, Virtute & Doctrina diu florentes tutique ſubſiſtamus.*

DIXI.

ORATIO XLIX.

De præcipuis ſeculi noſtri Vitiis.

CORNELIUS KEETMANNUS, *Medemb. Batt.*

QUando H. A. curioſis Ego oculis omnia humana perluſtro, Hominumque ingenia, quaſi per Momi feneſtram, intueor: Profecto, nihil hîc minus, quàm venerandæ virtutis veſtigia reperio. Vix vitæ humanæ theatrum ingreſſus, longum mihi ante oculos vitiorum agmen apparet. Quo tanquam Meduſæ objecto capite, totus animo artubuſque contremiſco. Aliquis caninam præ ſe ferens rabiem, petulanter aliorum famem inſectatur; Alius pallidam maligno livore faciem, teſte invidia, profitetur. Hic lupina truculentus feritate, rabidos in prædam ungues diſtringit. Ille, præter milvinam famelicus ingluviem, aliena ſemper inhiat. Quoſdam nefarius ſuperbiæ Genius invaſit; quoſdam deteſtabilis a) *Avaritia* peſtis afflavit; nonnullos ſupina ſui ignorantia inſedit. Erat, qui malis artibus diem trahebat; qui ſe totum inter ventrem & gulam occupabat. Hæc cùm in vitæ humanæ ſcena meis oculis coram luſtraſſem, non parvum meo animo dolorem

a) *Avari.*

Digitized by Google

dolorem triſtitiamque percepi. Virtutem ſi quis illic omnibus Argi oculis quæſiviſſet, ne tenuem illius umbram uſquam reperiſſet. Vidiſſem te libens in iſto theatro, alma Pietas, Iuſtitia, Simplicitas. Pulſa receſſeras intemerata Fides, Religio, Pudor. Cum imperio leges & jura condebas Libido. Voluptas, Fraus, Dolus, Impietas nuſquam aberant. Quod ſi, caduci mortales, tam ſedulam divinis rebus operam navaremus, quàm omnes in vitia & flagitia proni ſumus, ô quam feliciter nobis cuncta acciderent. Eò prô dolor! dementia noſtra proceſſit, ut, quæ in ſalutis cuſtodia ponenda ſit induſtria; nunc enormi petulantiæ & voluptatibus impendatur. Quanta impietatis ſeges ſerieſque ſe offeret, ſi publica ſubſellia, & indecoros Purpuratorum mores ad normam trutinamque vocemus? ubi primo ſtatim intuitu Diabolicam a) *Superbiam* intuebere: quod quàm multi, extra ſuæ conditionis rapti memoriam, Dei hominumque obliviſcantur. Qui cum *Alexandro* tam ſui immemores, ut divinos ſibi honores imaginentur; cum *Demetrio* ſe ipſos omni laude atque gloria extollant. Qui cum *Hannibale*, cum *Nerone* ſalutem niſi ſibi impertiant; cum *Iulio Cæſare* pedes & manus oſculandas præbeant; cum *Empedocle*, *Cyro*, *Antiocho*, *Domitiano* ſupra hominem ſe efferant. In proximo gradu fontem fomitemque vitiorum b) *Invidiam* reperies: quæ ſuam iniquè ferens ſemper fortunam, aliorum proſperitatem canini livoris dente arrodit: In illo vitæ genere imitati, apud Romanos *Mutium*, qui cùm aliis res malè ſuccederent, ille lætari ſolitus; ubi benè ac proſperè, dolere magnopere. Sunt, qui *P. Sempronium*, qui *Gracchum*, *Rutilium* in ſceleribus ſuis exprimunt. Qui *M. Attilio*, quòd novis honoribus florere inciperet, diem dicant. Aliqui tanta invidiæ facie accenſi, ut cum *Craſſo*, cum *Aſinio Pollione*,

a) *Superbi.* b) *Invidi.*

lione Pompejum & Ciceronem perpetuis criminibus inceſſant; Reip. pacem parteſque ubique perturbent. Utinam! ne quam plurimos hoc loco offendam, qui cum *Catone Uticenſe*, aut proprias ſibi manus inferant, aut lento ad mortem gradu, maligna invidiæ peſte afflati, turpiſſimè ferantur. Hinc ſi ad publici a) *Ambitus* Collegia me conferam, & illos Provinciarum, officiorum, pecuniarum nundinatores intuear, puto, longè plurimi in medium prodeant, qui cum virtute & bonis artibus rerum potiri nequeant, improbo ad honores aditu graſſentur. Hoc ſæpius conari nequam homines, ut aliqua apud poſteros in luce locoque haberentur, cum *Eroſtrato* Dianæ Epheſiæ templum incenderint, cum *Pauſania* illuſtrium virorum ſanguine ſe polluerint; cum *Caligula* infandis ſceleribus ſe contaminaverint. Tantum ne abeſt H. A. ut per publicam Civium ſtragem, per fuſos fraterni ſanguinis rivos & amicorum vulnera morteſque ad improbam dominandi licentiam liberè contendant. Puderet non multos *Polycratis* Samiorum tyranni vitam & veſtigia ſectari; ad modum *Tarquinii Superbi* Remp. invadere; ad exemplum infamis *Iugurtha* viam ſibi ad gloriam parare. Ineſt multorum animis illa in matrem *Tiberii Cæſaris* crudelitas, in patriam deteſtanda *Catilinæ* improbitas. Ne dicam de noſtris temporibus *Pompejum* & *Cæſarem*: qui Remp. ſuis factionibus penè à loco & ſedibus ſuis divellant. Non *Lepidum* & *Antonium*, qui ſuis Belgicam Libertatem diſcordiis funditus perturbent. Aliquos invenias, qui ob leviculam offenſionem jurgiumque tam plumbeas iras gerunt, tantas inimicitias ſimultateſque exercent, ut ſalutis inde ſalutem dependere putes. Quæ ſi cuncta mortalium vitia hic in albo repræſentem, vereor, ne omnes noſtræ Muſæ honeſta verecundia ac pudore ſuffundantur.

An

a) *Ambitioſi.*

a) An quis dubitet priſcorum temporum luxuriam in noſtri ſeculi mores abiiſſe? Floret hodie vigetque vetus illa *Cyrenenſium* luxuries; Ionum mollities; Crotoniatarum intemperantia; *Siculorum* libido; *Mileſiorum* prodigalitas; *Byzantinorum*, *Aſiaticorum* fœda ingluvies. Multos ſuæ libidinis ſcelerumque ſocios, *Sardanapalus*, *Xerxes*, *Antiochus* reliquere. Exſtant impuriſſimi Helluonis *Fabii*, *M. Antonii*, *Caligulæ* expreſſa in omni ſcelerum colluvione veſtigia. b) Quis nunc ille priſcæ ſobrietatis amator, qui cum *Lycurgo* conviviorum apparatus; cum *Solone* & *Lacedæmoniis* nimiam in veſte ſuperbiam damnet ac oderit? Vbi nunc ille, qui cum *Poro* Indorum Rege aqua & pane vivat contentus? Cum *Perſarum Magis* farina & oleribus non pretioſam ſibi famem coërceat? Cum *Ægyptiis* certam vini menſuram cibique portionem recipiat? qui cum *Platone*, *Cyro*, *Lyſandro*, cum *Fabricio*, *Diogene*, *Socrate*, ſtomachi ſui deſideria ſobriis naturæ legibus terminet ac definiat? Optimè, meo judicio, *Lacedæmonienſes*, qui obeſos & corpore pingues, ut magnarum rerum ſecuros, in jus vocabant. Nec minus præclarè *Romani*, qui *Alcæum* & *Philiſcum* Epicureos ex urbe ejecerunt, mulieres vino deditas acerbiſſimè punierunt. Ebrietatem, quam meritò cum *Catone* voluntariam inſaniam quis vocet, graviſſimo ſupplicio affecerunt.

Hæc ô Opt. Max., DEUS mortalium peccata ſi ad rigidam Iuſtitiæ legem examines, vah! quàm miſelli homines perpetuò infelices ſumus!

DIXI.

a) *Luxurioſi.* b) *Abſtinentiæ exempla.*

ORA-

ORATIO L.

De Avaritia, ſeu pecuniarum ſtudio.

JACOBUS ab OUDESTEYN.
Alcm. Bat.

REctè olim Satyricus:

O Cives, Cives, quærenda pecunia primùm:
Virtus poſt nummos.

Ad illas inconſtantis Fortunæ opes tanto animi corporiſque ſudore multi feruntur, quàm ſi æternùm in terris victuri, nullam ſupremæ neceſſitati legem deberent. a) Tunc ſe ſummè beatos feliceſque, deprædicantes, quando cenſu opibuſque affluentes, paulum ultra famem & ſitim poſſideant. Cum, nullam ſuo ventri gulæque annonæ caritatem extimeſcentes, placidam ſub Hymettiis *Craßi* columnis quietem, dulcem ſub aureo Metelli lacunari ſoporem, jucundam ſub *Attalicis* aulæis & pictis *Antiochi* pavimentis voluptatem percipiunt. Hinc cæci homines ſuæ ſortis cenſent felicitatem, ſi opulento aucti patrimonio, ſupra abjectam humi plebeculam fragili divitiarum ſplendore emineant; ſi aut aureo Iovis imbre perfuſi, aut fulvo Pactoli flumine adſperſi, nullam, inhoneſtæ paupertatis contumeliam vereantur. Adeò pecuniarum dementia bonæ mentis oculis deſtituti, ut nihil ſuo pretio æſtimantes, omnia ad improbam ſuæ cupidinis famem metiantur. Modò ingentem auri acervum ſuis ſcriniis concludant, & terræ aliquot jugera cum invidioſis opibus poſſideant, nullum ſcelus inauſum, nullam vitæ turpitudinem intentatam relinquunt. Fas, nefas, eodem apud illos loco, ſi de lucro, ſi de augendis facultatibus diſputatur. Leges apud Iudicem mollis adinſtar ceræ finguntur, refinguntur; veritati ac falſitati

a) *Vide Orat. XIX. de commendat. divitiarum.*

falſitati velum & fucus obtenditur. Plus tacita pecuniarum valet largitio, plus muta afficit argenti lamina, quàm omnis divini & humani juris authoritas. Multi cum *Demoſthene*, linguæ facundiam pretio venalem exponunt, & ex optimo Æſchinis judicio, non anginam & *ſynanchen*, periculoſum gutturis morbum; ſed ipſam in medullis *argyranchen*, a) pecuniarum ægritudinem, patiuntur. Pecunia ubi ſuam in homines vim exercet, quid non flagitiorum atque ſcelerum deſignat? illa munitiſſimas hoſtium civitates, regiones totas ſine machinis, ſine tormentis oppugnat, invadit. Illa fortiſſimos belli duces, quos nulla unquam ferri acies exterruit, non ſtrictus in jugulum enſis à conſtantia dimovit, in ſui obſequium trahit, corrumpit. Ille fores ac poſtes perfringit, clauſtra & peſſulos reſolvit, ſeras obiceſque non pluris quàm plumas facit. Hæc in ſacris prodigioſa auri fames *Chriſtum Servatorem* prodidit. In profanis *Poſthumium Albinum*, ut ab oppugnando Iugurtha deſiſteret, infami crimine notavit. Hæc *Tarpejam Veſtalem*, ut hoſtibus Capitolium traderet, peſſimis conſiliis ad ſcelus adegit. Hæc *Danaes* pudicitiam, tot cuſtodibus munitam, tot catenis aſſervatam, ſine moleſtiis, ſine armis expugnavit. Novit hoc perbene *Macedoniæ Rex Philippus:* qui omnia caſtella facilè ad deditionem cogi dicebat, ad quæ poſſet aſcendere ad ſinus auro onuſtus. Non ignoravit Numidarum Rex *Iugurtha*, qui, quod hodie de multis, olim de Roma dixit: *venalis eſſet Roma, ſi emptorem haberet.* b) Infelix pecuniæ aviditas *Neronem, Caracallam, Tiberium Cæſarem* in omne ſcelus præcipites dedit; *Cyneam* Pyrrhi Epirotarum Regis Medicum eò impulit, ut ſe Pyrrhum pharmaco interempturum Senatui Romano polliceretur. Magnum fuit avaritiæ mancipium *Caligula*, qui fœminarum mariumque lupanaria, turpiter

a) *Pecunia mala.* b) *Avaritia Principum.*

turpiter proſtituta mercede, elocavit. Non pudebat impuriſſimum hominis monſtrum ad hoc teſtatores adigere ut ipſum bonorum hæredem inſtituerent: quos poſtea, ſi fortè, teſtamento condito, ſupervixiſſent, veneno exſtinguebat. ridiculum judicans, ſcriptis hæredibus, quemquam in vivis permanere. Similiter improbo in avaritiam animo fuit *Commodus Imp.* qui multorum criminum impunitatem auro condonavit; alienæ mortis facultatem cupientibus pecuniâ permiſit. O fallax pecunia, quàm abditos ſenſus geris, quid non deſignas! Tu ituris ad bonam mentem es impedimento, tu æquitatem, juſtitiam pervertis, ſacra & profana juxtà æſtimas. Tu ſorte tuâ non contenta plus ultra ſemper deſideras. Quare non immeritò divinus ille *Plato* dixit: *nunquam quemquam in magnis divitiis navaſſe bonis artibus operam.* Et ex *Diogenis* ſententia: *neque in domo, neque in civitate opulenta locum eſſe virtuti.* O ingens malum malè habita pecunia! quæ ubi animos hominum peſtifera contagione ſemel invaſit, quàm in omnem impietatem proni abripimur; ad ſcelera & turpem peccandi licentiam propellimur; ad divini Numinis contemptum, & noſtræ ſalutis penè faſtidium prolabimur! Non pejore unquam Reſp. utitur fortunâ, quàm cum improba divitiarum cupido omnem fronti animiſque pudorem excuſſit. Tunc optimè Romana libertas florebat, cùm *M. Curius* de ligneo catillo rapas edens Samnitium divitias ſperneret. Cùm *Fabricius* Pyrrhi aurum & regnum repudiaret. Cùm *Fabius* ad Ptolomæum legatus accepta privatim à Rege munera in ærarium inferret. Cùm *Attilius Cincinnatus* ab agreſti ſtiva ad imperii Romani clavum admoveretur. Ab illo aureæ felicitatis ſeculo in quantum delira poſteritas deſciſcat, tot de peculio contentiones, de agrorum finibus lites, & controverſiæ palam ſignificant. Si virtuti aut bonis artibus

labog

labor impendendus; ſi debitus Deo cultus exhibendus, eheu! quàm citò ſubitoque langueſcimus. Si de communi dividendo, de hæreditati herciſcunda, de teſtatorum voluntate inſpicienda res & uſus poſtulat, quàm repentè animi veternum excutimus! Magnus exercituum ductor a) *Phocion* olim paupertatem gloriæ ſibi duxit; *Epaminondas* tam divitiarum abſtinens fuit, ut unica contentus veſte, non ſepulchrales poſt mortem impenſas reliquerit; *Ariſtides* in tanta rerum penuria diem ſuum obiit, ut privatis funerari ſumptibus nequiverit. Quis nunc ille unus qui *Fabricium*, *Curium*, *Scipionem* in ſua paupertate imitetur; Pauci cum *Cornelia Gracchorum matre* optimas in liberorum recta educatione divitias reponunt. Cum *Mida* potius omnia, quæ tangant, quæ lingant, in aurum & pecunias converti optarent. Cum *Alcmaone* Crœſi ærarium ingreſſi, os, oculos, aures, nares, monſtri ſimiles, auri argentique laminis obturarent. Adeo pecuniarum amore multi flagrant, ut nihil, ſic turpe judicent, quod non propoſita vilis pecuniolæ mercede, æqua mente tolerare didicerint. Nulla tam gravis & difficilis provincia, nulla ſervitus tam dura ac inhoneſta, quam non ſalutaris pecuniarum medicina in jucundiſſimam vitæ felicitatem permutet. Quemadmodum olim *Ariſtippus* cùm à Dionyſio conſpueretur, patienter injuriam tulit: ſic argentea illa mancipia, avari homines, nullam ignominiam læſi accipiunt. Si petulanter illos inſecteris; ſi verbera & colaphos impingas, ne manum digitumque vorterint. Vis in luto ac cæno ſe pervolvant? Adſunt parati. Vis juſſa & negotia exequantur? dictum, factum puta. Vis reſtim emant, & in malam crucem abeant, ac ſe ſuſpendant? ni pecuniarum uſus ac dulcedo revocet, jam dudum penſiles videres. Talis ille apud Comicum *Euclio*, qui unguium præſegmina

a) *Olim paupertas honori.*

Digitized by Google

gmina à tonſtrina domum ferebat, aquam lavandis manibus affuſam, tanquam magnæ rei jacturam plorabat. Talis erat *Philoxenus*, qui muccum ferculis ſolebat injicere, ut ſolus illis ſine ſocio frueretur. a) Hoc quoque Avaris eſt vitium, ut neminem præter ſe ipſos magni faciant, alios ſemper avaritiæ inſimulent. Non reſpicitur magis pauper, quàm ſi natus nunquam, aut quaſi homullulus ex argilla & luto fictus ſiat. Qui ſi fruſtulum mucidi panis ſatiando ventri poſtulet, tanquam canis rejicitur. Si tenuem reſtinguendæ ſiti potum cupiat, nudus miſerque abigitur. Ipſe ab omnibus pro Deo honorari cupit, ſua dicta pro oraculis haberi. Cùm omnia ſuis loculis avari annumerent; Tagum & Pactolum ſuo hiatu complexi, Perſarum, Ægyptiorum opes devorent, omnia tamen habentibus omnia deſunt. Sitiunt cum *Tantalo* mediis in fluctibus, & fruſtra illos delectat Patrimonii ſui liber magnus. Talis *Alexander M.* qui cum adiviſſet Anaxarrhum de mundorum infinitate diſſerentem, acerbè flevit, quòd adhuc intra unius orbis orbem ſuæ victoriæ ſubſiſterent. Cui ſimiles *Iudæi*, qui cùm Hieroſolyma à Tito Veſpaſiano expugnaretur, in ipſa morte aurum plenis faucibus diglutierunt. O miſeram & deplorandam Remp.! in cujus gremio ac viſceribus tot malorum mater Avaritia potiſſimum ſibi locum vendicavit. In qua plus pecunioſa valet ambitio, quàm illa in divis nutricata complexibus, VIRTUS & PIETAS.

a) *Pauperum hoc ævo contemptus.*

DIXI.

Quinque antecedentes recitat. Alcmariæ Examine Vernali 1641.

ORA-

ORATIO LI.

De Ebrietate.

HENRICUS MAYERUS,
Monechod. Batt.

DOlendum eſt, *Humaniſſimi Auditores*, quod hoc noſtro ævo vix aliqua venerandæ Virtutis veſtigia reperiantur. Quod tot homines vitiis addicti ignominioſè vitam inſtituant; quod Ebrietati, omnium ſcelerum facilè principi tam improbè ſe dedant. unde, velut ex alto quodam gurgite, omnia vitiorum genera promanant. Res in homine præſtantiſſima eſt ratio, bonaque valetudo. Has animi corporiſque dotes fœda temulentia planè evertit ac evertit. Vah! quàm deforme civibus ſpectaculum eſt homo, immodico madens Lyæo. Quando

a) Silenum pueri ſomno videre jacentem
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Iaccho.

Nullum facinus tam horrendum, quod non ebrius deſignet. Nihil tam ſanctum, quod non contaminet fœdo ſuo contactu. Nihil tam animo pulchrum ineſt, quod non ſuis ſordibus conſpurcet. Nemo ignorat ebrietatem omnium flagitiorum eſſe matrem, omnis culpæ materiem, vitiorum originem. Hæc blandus eſt Dæmon, dulce venenum, ſuave peccatum. Hæc fons litium, furoris genitrix, petulantiæ magiſtra. Alios improbitas, imprudentia, caſus in errorem ducit: Ebrii ſponte ſuâ ad mala facinora feruntur. Illi dies noctesque in ganeis, in popinis, in luſtris pergræcantur, clamant, rixantur, pugnant. Illi ſic vino ſepulti, ut nullius vocem exaudiant; ut nullius admonitionem intelligant; ut nullius objurgationis aſperitatem ſentiant. Furor eſt & inſania ultra capacitatem

a) *Virgil.*

tem ventri infundere, ſenſui rationem adimere, non loqui poſſe, non meminiſſe quicquam, non ullâ denique corporis parte officium facere.

Ego igitur adverſus ebrioſorum turmas in apertam aciem nunc deſcendo. Vineis pluteiſque monſtrum hoc immane aggreſſurus, Vos, *Humaniſſ. Audd.* declinate malam hanc beſtiam, & mihi contra illam ſeriò ſtrenuoque depugnanti auxiliares quaſi manus copiaſque præbete. Optimè meo judicio Poëta:

a) *Quid non ebrietas deſignat? operta recludit.*
Spes jubet eſſe ratas, in prælia trudit inermem.
Sollicitis animis onus eximit, ac docet artes.
Fœcundi calices quem non fecère diſertum?
Contractâ quem non in paupertate ſolutum?

Atrox & horrenda peſtis eſt Ebrietas. quo veneno multi laborantes, aut vim ſibi ipſis intulerunt; aut crudeliter in alios ſævierunt. Non equidem ignoramus, quanta Reip. pernicies incumbat, ſi temulenta illa capita ad clavum ſedeant. Si ipſi proceres, ſi populus peſſimo illi vitio ſe dederit. Legibus ſumptuariis de medio ſublatis, quando in merum plenis faucibus ſe quiſquis ingurgitat. Quando pro Ilio non pugnatur, ſed potatur. b) Qui Cantharo illic bellator victorque fortior. Quis inter madentium illos charos, dic amabo, pro Republica ſobria & ſalutaria conſilia depromet? Quis laborantium ſpem & vota fidum in gremium accipiet? Quis æquo in Tribunalibus judicio ſententiam feret? An non omnia corruere ac concidere oportet, ubi ſepulta ſemel ratio, & mentis officia ſub Bacchi tyrannide fœdè elangueſcant? Igitur verè cum poëta illos appelles *telluris inutile pondus*; Epicuri de grege *porcos*; fruges conſumere natos. Pinge tibi cogitationis penecillo ejuſmodi hominis vitam moreſque. A veſpera in multam noctem clamatur, bibitur, luditur; neſcio,

S qui

a) *Horat.* b) *Ebrietatis mala.*

qui furor & inſania totum cubile ac theatrum perſtrepat. Illic volitare in orbem pocula inverſa videas; iſtic calicem pro armis arripi; hic menſæ ſacra in Tartaream amentiam rabiemque belluinam converti. Succedit ebrio ſomnus gravis, ut morti jam ſimillimus videatur. Inſequitur æquiſſimum Ebrietatis ſupplicium vehemens capitis dolor, membrorum omnium debilitatio. a) *Adjice illam ignorantiam ſui, dubia & parum explanata verba, incertos oculos, gradum errantem, vertiginem capitis, tecta ipſa mobilia, velut aliquo turbine totam circumagente domum, ſtomachi tormenta, cum efferveſcit merum, ac viſcera ipſa diſtendit.*

b) *At ne quis modici tranſiliat munera Liberi,*
Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero
Debellata.

Dic, ſodes, quis unquam cum laude in aliquo negotio gravi verſabitur, ad quod invitus, fractus, ac totus languidus accedit? Quid bonæ rei expediet, impeditus ipſe? Quid fortiter maſculèq; hic faciet, qui niſi de poculis & mero cogitat? Quem laborem in ſe validis toris nerviſque ſuſcipiet, qui aſſiduo commeſſandi uſu corporis animique inſtrumenta planè contrivit? ſi attrectandum quid familiari modo, tremunt ad opus manus incompoſitæ, ſi ſpatia, licet perpauca, facienda, genua labant, pedeſque in deſuetudinem venêre naturalis officii. Si eloquio & lingua res agenda, jam aqua miſeris hæret, & puerum ratione infirmum dixeris, quem jam virum videris in magnis crateribus ingentibuſque exhauriendis culullis. Ecce tibi monſtrum hominis, ebrioſum illum, ut vivas inſaniæ notas præ ſe fert! ut ſui omnino neſcius toti convivio deridendum ſe præbet! In ebrio non ratio ulla, non vitæ gerendæ conſilium, non geſtarum rerum memoria. Per vinolentiam plurimi obliti ſui, amiſſis honoribus omnibus, ignobiles prorſus

a) *Seneca.* b) *Horat.*

ſus remanſerunt, vitamque in ſordibus & mora caligine traduxerunt. Vah! quàm turpe eſt, plus ciborum ingerere, quàm capiat ventriculus, ſuique ſtomachi non noſſe menſuram. Quàm pudenda multa quotidie deſignat vir ebrioſus! quot flagitia nefaria, quot ſcelera immania in lucem profert! quàm ſine omni numero in vetita vitiaque ſe præcipitat! Quippe.

Ebrius es, neque enim faceres hæc ſobrius unquam.

Nemo ignorat a) *Alexandrum Macedonem*, cætera Regem laudatiſſimum compotandi ſtudio, eò prolapſum, ut inter epulas fidiſſimos ſibi amicos parricidio ſuſtulerit. Et immani facinore jam cognito, miſerrimam vitam ærumnosè traduxerit. Quis neſcit *Tarquinios* mero calentes primùm ad ſtuprum nefandum proceſſiſſe? mox regno & honoribus excidiſſe? *Bonoſum Imperatorem* in ludibrium, pro cantharo, ſuſpenſum? *Tiberium*, tracto convitio ab aſſiduo potandi uſu, *Biberium* appellatum? *M. Antonium* virum magnum & ingenii nobilis, fœdâ quoque vinolentiâ in deſpectum veniſſe? Quæ conſuetudo helluandi illum hoſtibus ſuis minus terribilem, contumeliæ obnoxium fecit. Ita *Coſſus*, urbis Romæ præfectus, vir gravis, moderatus; ſed adeo vino merſus, ut in ſenatu aliquando, in quem è convivio venerat, oppreſſus, inexcitabili ſomno tolleretur. *Quemadmodum muſto dolia ipſa rumpuntur, & omne id, quod in imo jacet, in ſummam partem vis caloris ejectat: ſic, vino exæſtuante, quicquid in imo jacet abditum, effertur.* Cogitate demum, quas clades ediderit publica Ebrietas! quoties acie invictos potandi ſcortandique libido victos & ſubjugatos dederit! *Alexandrum*, cujus ſtatim mentionem fecimus, tot itinera, tot prælia, tot hyemes, per quas, victâ temporum locorumque difficultate, tranſierat, tot flumina ex ignoto cadentia, tot maria tutum

 demiſe-

a) *Ebrioſorum infamia & pœna.*

demiſerunt, ſola intemperantia turpiter fregit vicitque. Omne denique vitium ebrietas intendit ac retegit; obſtantem malis conatibus verecundiam removet. Vbi poſſedit animum nimia vis vini, quicquid mali latebat, emergit. Quaſi omnibus cataractis effuſis, & per aperta terrarum ipſo Oceano exſpatiante. Tunc, divinis humaniſque legibus pro vili habitis, quicquid in buccam temerè inciderit, ebrius ſine pudore liberè eructat. Contra virtutem & verecundiam, quaſi acie oppoſita, confligit. Suſque deque cuncta habet, quæ homini ornamento & decoro eſſe ſolent. Nihil ſub tam improba vivendi lege & regula florere unquam poteſt. Nihil glorioſæ laudis theatrum & exiſtimationem demereri, quod ſemel tam turpi conſuetudine ac nefaria malitia inveteratur.

Quid memorandum adeo Bacchëia dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſas dedit. Ille furentes
Centauros Letho domuit. Rhacumque Tholumque
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.

Hoc tam prodigioſi ominis vitium, Adoleſcentes, cane pejus & angue vitare debemus. Anima enim ſicca ſapientiſſima eſt. Arguatur vini laudibus Poëta Lyricus, nec bona pangant carmina hydropotai. Meum ſemper erit abſtinere à nefandis illis dapibus, & mentem mergere non niſi rore Caballino, Permeſſideque Lympha rigare devotum Apollini Muſiſque animum. Pulchrè vates:

Mente caret Bacchus; Nox fronte; Cupido pudore,
Et loca ſola metu: quatuor iſta fuge.

a) *Ament, potent. ubi adoleſcentiam habuêre, ibi ſenectutem agant. In conviviis, dediti ventri, & turpiſſimæ parti corporis. Sudorem, pulverem, & talia relinquant nobis: quibus illa epulis jucundiora ſunt.*
b) Quid enim erat, cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem? *an ut cibos & potiones percolarem;*

a) *Salluſt.* b) *Seneca in quæſt. nat.*

Digitized by Google

colarem; ut hoc corpus caſurum ac fluidum periturumque, niſi ſubinde impleatur, farcirem & viverem agri miniſter? ut mortem timerem, cui omnes naſcuntur? Hæc animi corporiſque vitia per omnem ætatem gnaviter devitabo. Hoc præſertim tempore, quando privato Scholæ pulvere excedo; & ad liberiorem palæſtram me confero. Ne videar hoc loco malè idoneus auditor fuiſſe, ubi contra omne nefas & profana meliore animi cultu ad virtutum ſtudia ſum informatus. Quam felicitatem, *amantiſſimi Præceptores*, cum ſolidam & ſolam vobis acceptam referam, veſtræ erga me benevolentiæ, curæ, induſtriæ gratias quàm maximas habeo. Dum igneus vigor calorque nativus meos hoſce artus fovebit, ego nunquam veſtræ memoriæ ac beneficiorum immemor ingratuſque inveniar. *Faxit omnipotens de Cœlo DEUS, Ampliſſimi, Spectatiſſimi, Prudentiſſimi Viri, ut Reip. veſtræ benè feliciterque ſemper eveniat. ut Eccleſiæ, ut huic inclyto Gymnaſio, ut generoſæ juventuti perpetuo ſua fama & favor divinus accedat. Hoc, inquam, faxis de cœlo benigniſſime DEUS: Cui propter Filium tuum Dominum noſtrum I. CHRISTUM, ſit laus, honor & gloria in ſæcula ſæculorum.*

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ IↃCXLVII.

ORATIO LII.

In memoriam Beneficiorum

Do. noſtri Servatoris JESU CHRISTI.

ANTONIUS DAMBURCH.
Alcm. Batt.

LÆtamur ex animo, *Ampliſſimi, Doctiſſ. Reverendi Viri*, quòd tandem felix fauſtuſque hic dies nobis illuceſcat, quo Muſis noſtris de honore &

Præſentia veſtrâ gratulari liceat. Ex animo, inquam, lætamur, quòd damnatâ ad tenebras fœdâ ignorantiæ barbarie, hanc dicatam Deo & Virtuti bonarum artium officinam veſtrâ bonitate & favore tam promptè benigniterque proſequamini. Nulla enim res nobis omnibus & jucundior & fructuoſior evenire poteſt, quàm ſi veſtrâ benevolentiâ atque plauſu noſtram in ſtudiis alacritatem ad laudem & gloriam exſtimuletis. Ut verò dignam hoc tempore veſtris auribus & Schola noſtra materiam ad manus ſumeremus, valdè opportunum præceptori noſtro viſum, non minus præclare, quàm ſalutaria *Servatoris* noſtri beneficia in memoriam ſuis Diſcipulis revocare. Inprimus hoc tempore: quo omnes in Belgio Eccleſiæ hoc ſedulo diligenterque agunt, ut miſerabilem Chriſti in terris vitam commemorantes, ſibi de recuperatâ humani generis ſalute congratulentur. Nos igitur; ne ſuo numero & officioſo in Deum cultui, & honeſto in bonas artes obſequio deeſſe Schola noſtra videatur, de immortalibus CHRISTI beneficiis Orationem inſtituemus. Vos, *Viri Doctiſſimi*, *Viri praſtantiſſimi*, noſtram in dicendo tenuitatem veſtra in audiendo humanitate atque patientia benignè quæſo, proſequimini. Tu, CHRISTE JESU, cujus incunabula & maledictam in cruce mortem voce noſtra deſcribemus, divina nobis favoris tui aura clementer adſpira, *ut ex ore Infantium & Lactentium orbur tuum ſtabiliatur*.

Quotieſcunque ego, vitæ humanæ miſerias ærumnaſque tacitus mecum expendo, meritò in lacrymas & fletum prorumpere, duriſſima rerum humanarum cogit neceſſitas. Quoquò oculos meos per hoc univerſi theatrum deflecto, nihil in conſpectum venit, quod non & dolere miſerè, & deteſtari magnopere, prô dolor! conveniat. Ita multis malis mortalium contaminata ingenia; tot

rariæ

ratio tenebris ignorantæ circumfuſa; tot vita noſtra ſcatet moleſtiis & calamitatibus. Heu miſeros homines! miſeros, inquam, ter & amplius miſeros! qui ſic imbelli fragilique corpuſculo, ipſiſque terræ ſordibus tanquam ſterquiſinio aliquo effoſſi, ad omnem impietatem & flagitia tanto animo ſpirituque graſſamur. Quid, amabo, humana conditione magis indignum, quàm ſui memoriam ſic obliviosè deponere? hæc mundana tanquam cœleſtia curare, illa cœleſtia ſicut terrena faſtidire? Scilicet, non ſatis erat ſemel ſalutis naufragium feciſſe; ipſam æternitatem cum infami mortalitate commutâſſe? Quis adeò in ſe ipſum ferus ac rebellis, quem non ad mitiorem animum ſui cognitio ac memoria reducat? Quis ita ab homine & humanitate alienus, qui non memor ſuarum miſeriarum vitæ mortalis, caducitatem deploret, ſi hæc mundi ludibria parum diligentius, apud animum pervolvat? ô nos infelices, ô ignaros noſtræ ſortis! Fuimus eheu! Troës, fuimus. Amiſimus ea bona, quæ in poteſtate habuimus. Deum graviter offendimus: quem colere & venerari debuimus. Regem dominum oppugnavimus: qui jus vitæ & necis in nos habeat. Pro cultu & obſequio, ſacrorum neglectum, pro obedientia ac humilitate ſuperbiam contemptumque. pro fide & ſervitio immanem fœdiſſimamque idololatriam exercuimus. Sic meritò in nos & omnem poſteritatem ira magni Numinis exardeſcit, digna eſt ſceleribus compenſatio, quâ vindex malorum Deus in ſui Nominis contemptores tam utitur juſtè, quàm ſeveriter. a) Horreo tremóque totis artubus, ſi quando de juſto Dei judicio mecum tacitus perpendo. Sudore corculum mihi adſudaſcit, quando tot vitæ calamitates ſeriò apud animum revolvo. Neque patitur miſeriarum tam iniqua recordatio, ut à lacrymis ſingultuque abſtinere poſſim.

a) *Miſeria Hominis.*

poſſim. Amplior eſt iſta materies, quàm ut mea illam voce complecti; aut aliquis Philoſophorum, ſive Rhetorum ſuis benedicendi ornamentis exprimere valeat. Tanta mortalium in hoc mundo eſt infelicitas; tanta in divinis myſteriis cæcitas; in terrenis ac profanis rebus ſedulitas; in ſceleribus flagitiiſque diligentia, voluptas; in ambitione flagrantia, æſtus; in ſuperbia furor, dementia, ut meritò conditionem noſtram perpetuis lacrymis deflere ac deteſtari debeamus. Imprimis verò, cùm de ſalutis priſtinæ jactura triſtem cogitationem ſuſcipimus. Quando cum ipſis in cœlo Angelis parem felicitatis fortunam obtinuimus. Breve hoc gaudium prô dolor! quod tam longo luctu diluendum. Invidet iſtam nobis felicitatem Tartareus Dæmon; qui omnium fallaciarum callidus Doctor hoc unicum egit, ut nos à recto virtutis tramite aberrantes ſub ſuam poteſtatem & imperium redigeret. Serò dolemus miſeri, ſerò, poſt damna, poſt vulnera noſtra ſapimus. Noſtra in cauſa eſt ſuperbia: quæ ſuæ felicitatis faſtigio non contenta, parem cum Deo gloriam affectavit. Noſtra audacia, temeritas, incredulitas debitam juſtiſſimo vindici pœnam luit. Quid eſt; quod Deum rigoris, judicem atrocitatis accuſemus, quia ad ſplendorem ſuæ imaginis nos condidit? Quid eſt, quod Diabolum fallaciæ & improbæ ſeductionis inſimulemus? qui præſcriptam nobis legem divinam accepimus? Quid fragilitatem humanæ naturæ coarguimus? qui non coactè aut reſtrictè, ſed ex libero arbitrio vitam inſtituere potuimus? a) Nos ſolum in culpa ſumus; nos contumaces, arrogantes, ambitioſi Deum ipſum ſtolidè oppugnavimus, Diabolo obtemperavimus; ipſi fidem addiximus. Quamobrem quid miremur tot calamitates & mala in nos transfuſa? Quid tot vitæ humanæ impedimenta ſicuti ſcopulos exhorreſcimus?

a) *Peccati magnitudo.*

Digitized by Google

mus? A peccato illi miſeriarum fluctus tanquam à ſuo fonte originem ducunt. A peccato dura paupertas, triſtis inopia, turpis mendicitas initium cepit. Peccata in miſeriarum nos gurgitem detrudunt; Peccata corporis ægritudinem, morbos, lacrymas, triſtitiam, ſuſpiria parturiunt. Peccata vitæ diſcrimini nos objiciunt. Illa tot dubiæ ſortis procellis atque tempeſtatibus nos exponunt; illa laborem & curas imponunt; illa malorum prima incunabula & fontes aperiunt. Hinc tot ſcientiarum diſciplinarumque vaſtitas, ſtudiorum tanta difficultas & moleſtia. Hinc omnium rerum aſpera & difficilis exercitatio. Quòd terra non ſua ſponte frugem producat, arbor fructum ferat, vinea luxuriet, campi effloreſcant, peccati eſt. Quòd maria non tutò obambulemus; quòd Scyllas & Charybdes vitemus; feras in ſylvis, in latibulis, in antris ſuis deliteſcentes extimeſcamus, peccati eſt. Quod in hoſtem armis utamur; bellum cum nefariis hominibus adminiſtremus; lites & odia inter amicos, diſcordiam inter affines, ſimultatem inter fratres, ambitionem inter æquales videamus, peccati eſt. Quòd Reſp. tot malis affluat, tot diſſidiis abundet, tot inimicitiis & æmulationibus diſtracta, in ruinam & caſum inclinet, peccati eſt. Quò longius in humanæ vitæ procellas navem immitto, hoc tantò majores miſerias & calamitates contemplor. Quàm vellem libens H. A. hanc materiam pari prudentia diviniſſimam deſcribere. Fateor ingenii mei tenuitatem, & imparem me agnoſco divinis illis myſteriis enucleandis. Stupeo totis animis, quando hoc fœtidum animæ hoſpitium, putidas corporis mei partes benè examino. A capite ad calcem ſi me totum dimetiar, quid præter malè olentem maſſam invenio? Membra corporis humani ſi intuear, eheu! quàm tenuia hæc, quam fragilia! unum caput quam infinitis morbis affligitur! Et ſoli cerebro

quàm infinita malorum ubique ſunt obvia! a) Alius dentem malignum, auriculam obtuſam clamitat; alius ventriculum, lumbos, renes deplorat. Eſt, quem lepra infectat, quem podagra excruciat, quem calculus excarnificat, quos atra bilis, infectum jecur, tumens dolore pectus lancinat. Illi capitis vertigo quietem eripit; Aliis continuæ febres ſoporem interturbant. Deficeret dies, ſi omnes humani corporis latebras perſcrutari deberem. ô potentem pollentemque Deum qui Diabolo validiſſimis alligato catenis, obſeratiſque inferorum portis, rectam nobis iterum ad cœlos viam reſeravit! Qui generis humani labem non ſeverà judicii trutinâ, neque atrocibus pro merito pœnis ſcelera compenſavit. Quid, miſelle mortalis, ſortem tuam deploras? Deſine lugubrem perſonam induere. ſatis nunc infandi ejulatus. Adeſt de cœlo Liberator, qui caput ſerpentis comminuit; qui vincula æternæ damnationis cervicibus noſtris abjecit, Satanam mille compedibus adſtrinxit. Adeſt *Fortiſſimus de ſtirpe Iuda Leo*, qui oppoſitam inimicorum aciem victor perrumpens, ſuo nos præſidio adverſus fatalem mundi interitum armavit, defendit, conſervavit. Plaudite, plaudite ex intimo nunc animo Mortales; abſterſoque lacrymarum flumine, novo nunc gaudio & hilaritudine exultate. Advenit promiſſus de cœlo Meſſias: quem tot Prophetarum vaticinia prædixerunt, tot vota Sanctorum exſpectarunt, typi & ſacrificia adumbrarunt. Venit *Agnus ille puriſſimus*, qui noſtram in ſe ſuſcipiens infirmitatem, lacrymabilem humanæ fragilitatis carnem induit. Natus è ſancta virgine Mediator *Immanuel*: qui nos Deo inobedientes cum Deo in gratiam reſtituit. O felicem illam dieculam! qua lux tam benigna, tam amica nobis illuxit; quæ mundi Servatorem naſci voluit; quæ natum benignè

a) *Corporis humani miſeria.*

nignè excepit, ſovit, eduxit. O terque quaterque beatos! quibus tanta de cœlo gratia ſubvenit; qui tot tantiſque beneficiis affecti, infinita divinæ bonitatis magnitudine obruimur. Age, tu Cerbere, aggredere omnibus Inferorum nos machinis; educ Tartareas in bellum phalanges; arma rabidas Eumenidum cohortes, Stygios Cyclopes, *Brontemque Stropemque & nudum membra Pyracmon*. Age omnem lapidem moveas, vineas pluteoſque adhibeas, totis denique viribus contendas, ut promiſſum de cœlo Servatorem avertas; nobis reparatam ſalutem eripias: *Non eſt condemnatio in Chriſto Ieſu electis.* Nulla vis, nulla injuria nobis extimeſcenda: Chriſtus nos redemit. Chriſtus pro peccatoribus pœnam ſuſtinuit, quis adverſabitur? Chriſtus de cœlo deſcendit, quis impediet? Ille ſuo ſanguine, ſuo merito nos liberavit. Ille nobis factus Mediator, Iuſtitia, Redemptio. Quis dilectos illi agnos manibus eripiet? quis ſalutiferam Eccleſiæ quietem turbavit?

Gratia, Chriſte, tibi: nam Tu ſolatia praſtas;
Tu curæ requies; Tu medicina malis.

Tibi, ô IESU recuperatam ſalutem tribuimus; Tibi gloriam & decus noſtrum referimus; Tibi conſcientiæ quietem, animi pacem debemus. In te vitam, opes, beatitatem reponimus! In te gaudium, ſpem, delicias noſtras ſtatuimus; in te vivimus, in te morimur. Tu ſolus ab inferorum nos tenebris in vitæ clarioris lucem reſtituiſti. Tu nos peccatorum vinculis impeditos expediviſti. Tu Satanam atrociſſimum nobis hoſtem, ſub jugum redegiſti. O amorem incredibilem, quo tu nos complecteris! O infinitam gloriæ magnitudinem, quâ tu nos dignaris! O profundam miſericordiam, quā tu nos proſequeris. Nos rebelles in Creatorem noſtrum, gazas cœleſtes perdidimus: Tu nobis miſeris cœli theſauros recludis. Nos contra legem divinam peccavimus: Tu legem pro

nobis adimples. Nos æternam Dei vindictam promeruimus: Tu pœnam ſuſtines. Quis tuam benigne Deus, bonitatem animo comprehendere? Quis cogitatione aſſequi benevolentiam tuam poſſet? At verò ſi pauperrimos natales: ſi actam in terris vitam animi oculis perluſtremus: quis mortalium tuam erga nos propenſionem mirari ſatis? Quis non ſtupore attonitus cunas tuas reverenter exoſculetur? Qui infinitis miſeriis obnoxius, deſpectus ab omnibus lacrymabilem vitæ uſuram accepiſti: ut nos, æternâ ſervitute liberati perpetuo gaudio frueremur. Tu pauper, egenus in lucem veniſti, ut nos divites faceres. a) Tu Rex Regum, Dominus Dominorum, Deus ab æterno naturam humanam aſſumpſiſti: ut, factus nobis Immanuël, juſtitiæ divinæ debitum perſolveres. O bonitatem admirandam, ô affectum ſingularem! Nos in deliciis, in voluptatibus, in omni rerum opulentia paſcimur. Nos dulcibus illecebris & ciborum delectu nutrimur. Nos purpura & miſſis ex altero orbe veſtium ornamentis obtegimur. Tu verò, *Fili altiſſimi*, non *habes, ubi caput reclines*; unde famem & ſitim reſtinguas; quo frigus & æſtum depellas. Tu, prô ſortem abjectam! in ſordido tuguriolo, in fuliginoſa domuncula ſub aranearum telis, ad præſepe aſinorum naſceris. Nos in ædibus auro argentoque obtectis; pulchra ſupellectile adornatis; in omni luxurie & blandimentis concipimur: Tu duro in ſtramine nudus recumbis. Nos in molli lectulo, cum omni deliciarum apparatu fovemur, nutrimur, educamur. Pudeat nos mortales, pudeat, tantis voluptatibus nos dedere, tot delicias affectare; tot veſtium varietate nos diffundere. Ecce Servator noſter, in præſepi inter brutas pecudes recumbit, nullis faſciis incluſus, nullis ſtragulis involutus, nulla veſte amictus. Nos per luxum & inertiam ventrem

a) *Natalia Chriſti quàm deſpecta.*

trem exercemus; in roſis ac violis vitam agimus, in mundi gaudiis ætatem tranſigimus. Hic triſtem inediam, gravem penuriam, miſerabilem paupertatem tolerat. Hic frigore contrahitur, fame contabeſcit, lacrymis liqueſcit. Hic ludibrio exponitur, contumeliis afficitur, convitiis proſcinditur. Nos adeò in ſuperbiam, in avaritiam, in contumaciam inclinamus? Nos in odium, in inimicitias, in ambitionem incumbimus? Nos in proximum inhumani, in Deum ingrati ſumus?

Salve generis humani Solatium: Salve perfugium noſtrum; Salve *Ieſu* dulciſſime: Qui ſolo noſtri amore, tot miſerias, tot calamitates perfers & obduras. Qui Deus ipſe, Homo naſceris. Qui peccati expers pro peccatore pœnam perſolvis. Qui juſtus ipſe, pro injuſtis crucem portas. Qui immortalis mortalem te facis. Qui ſine labe, ſine maculis, labem noſtram aſſumis.

Quantulus eſt homo, ô Deus, ut ejus ſis memor!
Quantula humana eſt ſobolis propago,
Dignère ut illam viſere?

Ipſe naturalis Dei Filius, æternus cum Patre, vitam mortalem induens, Homo naſcitur: ut nos à durâ peccatorum ſervitute oppreſſos in antiquam ſalutis libertatem reponeret. Nos quam nequiter majeſtatem divinam læſimus! Quàm horribile, quàm nefarium, prô! facinus admiſimus. Tu tamen, benigne Deus, quo peccata ſunt majora, hoc plura in nos beneficia confers. Nos odium & indignationem meruimus; Tu nos fraterno amore complecteris. Nos modis omnibus ſalutem noſtram proſtituimus; Tu intolerabilem Dei iram ſuſtines. Mox à prima lactentis ævi infantiâ, crudeliſſimis Fatorum minis reſervatus, noſtræ inobedientiæ pœnas ſenſiſti. Vix facto in mundum introitu fugam à Patriâ arripuiſti. vix vitæ ſenſu accepto in odium & indignationem incurriſti. Hinc Scribarum contumeliis, illinc Phariſæorum

convitiis & ludibriis objectus. Non dicam omnes injurias, quibus profana Te impiorum turba effecit; non dolos, inſidias, quibus populi Te furor circumvenit; non perfidiam, fallaciam quam ſcelesta Hominum in Te trucidando improbitas adhibuit. Taceo tot ſcommata, mendacia in te falsò conjecta; tot ſcelera vitio Tibi data, tot mundi ludibria, tot Satanæ tentationes.

Tota tua vita, quam in terris egiſti, *Sanctiſſ. Servator*, quid fuit, niſi Lerna, niſi pelagus omnium malorum? In lacrymis primam ævi infantiam aluiſti, pueritiam produxiſti, florem adoleſcentiæ contriviſti. Virilis denique ætas, eheu! quantis calamitatum fluctibus redundavit! Scilicet non vita tot malis acerbè exagitata; non ætas tot ærumnis infeſtata, tot mens doloribus oppreſſa exhaurire profundam peccatorum magnitudinem potuit. Morte ipſa, morte maledicta opus erat, ut juſtitiæ & legi divinæ perſolveretur, Homo Deus pateretur; juſtus ſupplicium lueret, ſi peccatorum memoria penitus abolenda. Non perferre inflammatam Dei iram nuda creatura; non ſatisfacere pro toto humano genere Homo tot ſordibus inquinatus poterat. Tu igitur, *Ieſu ſanctiſſime*, homo naſceris, fragilitati noſtræ ſubventurus. Tu molem peccatorum in Te ſuſcipis, à noſtris illam cervicibus rejecturus. Tu mortem ignominioſam oppetere voluiſti, nobis vitam æternam reparaturus. O nunquam ſatis mirandam bonitatem! ô præclaram mei ſortem Patrimonii! Per Te, inquam, Servator ſanctiſſime, in amiſſam libertatem reſtituimur. *Tuus ille ſanguis ab omni peccato nos purgat*, à pœnis æternis nos liberat, cum Deo in gratiam nos reponit. Ille ſordes noſtras & maculas abluit; ille priſcam integritatem & Iuſtitiam reſtaurat. *In illo gratiæ exundantiam & donum juſtitiæ accepimus*. Tua nobis vulnera medicinam apportant, tuæ lacrymæ ſolatium præſtant; tui dolores

lores lætitiam procreant; tuum latus lanceâ perfoſſum, tuæ manus cruci alligatæ, tuum caput ſpinis coronatum hilari nos gaudio pertentat. In tuâ morte vitam, in tuo ſupplicio ſalutem noſtram reponimus. *Tu Sponſor noſter; tu odor ille bona fragrantia; Tu ille Paſtor bonus; qui animam pro ovibus depoſuiſti; qui pretium redemptionis perſolviſti; qui factus pro nobis peccatum & execratio.* Scilicet.

Tanta molis erat lapſam reparare ſalutem.

Quamobrem, H. A. jure meritoque exultare ac triumphare debemus, quod tandem diabolica ſervitute liberati, in ſpem vitæ æternæ regeneremur; quòd fatalibus Orci vinculis expediti, & protrito ſub pedibus Satanâ nullum Salutis noſtræ hoſtem reformidemus. Quòd miſeriis caducæ carnis exſoluti, amica cum ſanctis Angelis ſocietate conjungamur; quod nulla nobis vis, non prava mundi voluptas, non hoſtium arrogans ſuperbia, non inimicorum contumax audacia, nullam invidia noxam inferre poſſit. Lætemur, inquam ex animo, quod præſtitâ pro peccatis ſatisfactione, Deoque nobis reconciliato, pacem in vita, pacem in morte habeamus. Quàm jucunda, quàm expectata nobis parta victoria! Quàm felix in hoſtem acquiſita gloria! Quàm beata pro ſalutis trophæo commiſſa præliatio! Quem perpetuum inſidiatorem metuimus; quem tyrannum atrocem odimus; quem capitalem nobis hoſtem formidavimus: Hic tandem, accenſo ad iram DEO Vltore, meritas ſceleris ſui pœnas ſuſtinuit. Iacet jam telo confoſſus ſanguineam eructans animam trux Cerberus. Ille malarum artium Faber; ille perfidiæ Magiſter: inſidiarum, nequitiarum Patronus; Ille peccati authour & actor, jacet! Ne quid trepida, ne quid metue, dilecta Deo ſoboles, electa in Chriſto cohors. Nititur ſalus noſtra fulcro ſatis valido, præſidio ſatis firmo.

Hic murus aheneus eſto, ſoli ſe dedere Chriſto.

Chriſtus

Chriſtus de morte & peccatis triumphum agit. Chriſtus regnum tenebrarum deſtruxit. Chriſtus portas cœlorum aperuit. *Ubi nunc mors, aculeus tuus?* In Chriſto ſolatium, gaudium vitam noſtram habemus. In Chriſto animæ ſalutem, conſcientiæ pacem tenemus. *Ubi nunc tua, Inferne, poteſtas?* Ille humanæ fragilitatis fæcem deterſit; maculas noſtras eluit, ſordes repurgavit. Ille acerbiſſimam Fatorum injuriam patienter tulit, animi corporiſque dolores fortiter ſuſtinuit, O nos felices! ter & amplius felices! Qui in Te, Liberator ſanctiſſime, certam ſalutis fiduciam collocamus. Qui in tua morte ſpem non inanem fovemus. Qui in tua Reſurrectione fidem indubitatam, non languidam, non vacillantem habemus. Tu animam meam ab inferno liberaſti. Tu mortem pro nobis maledictam oppetiiſti. Tu molem & jugum peccatorum ſuſtinuiſti. Tu flagrantem Dei iram pertuliſti. Tu omnium mearum voluptatum inventor, author, perfector. Quid tibi rependam; quid referam; ſanctiſſime Deus, pro tantis in nos collocatis beneficiis?

Minores ſumus omnibus miſericordiis tuis, ô Deus! Tibi, Opt. Max. Deus, Immortales habemus gratias, quòd nos in profundiſſimum miſeriæ gurgitem prolapſos à morte & interitu liberaveris; quod peccatorum nos ſervitute oppreſſos in priſtinæ ſalutis hæreditatem reſtitueris. Gratias tibi agimus quàm maximas, quòd Filium tuum, Filium dilectum, ut nos contra Satanæ furorem protegeret, in mundum miſeris. Quod Deus ipſe humanam naturam aſſumpſeris, ut vera juſtitia præditus Diabolum catenis adſtringeres, nos tuæ benevolentiæ reſtitueres. Gratias Tibi agimus quàm maximas; quòd tanto nos amare complexus à pœna & ſupplicio æternæ damnationis exemeris; quod, paterna nos affectione dignatus, in gratiam & favorem tuum aſſumpſeris.

Tibi,

Tibi, ſanctiſſime Servator, CHRISTE JESU, ex intimo animi ſinu gratiam atque laudes depromimus, quòd ita mirifico in nos amore propenſus noſtræ infirmitati ſuccurreris. Quòd peccati expers, ſine labe, ſine crimine, noſtra in Te vitia ſuſceperis. Quòd generis humani miſertus, miſerabilem in terris vitam traduxeris, tot pericula, tot diſcrimina perpeſſus. Quod mortem denique acerbiſſimam, ne nobis illa infelicibus incumberet, tam glorioſè, quàm feliciter profligaveris.

a) *Da*, ô Jeſu, *ut totum vitæ noſtræ tempus ad hoc jugiter dirigamus, ut nunquam tuorum beneficiorum immemores, debitis Te ſemper laudum præconiis proſequamur: ut tui nominis proſequamur: ut tui nominis gloriam amplificemus, tuum erga nos affectum agnoſcamus. Ut veræ Pietatis ſtudio flagrantes, parem divinis beneficiis vitam inſtituamus. Ut aſſiduâ nominis tui veneratione inflammati, tua nunquam benefacta obliviosſo ſilentio ſepeliamus. Tu nobis in virtute, in amore facem prætuliſti; Tu nobis in modeſtia, in Patientia exemplum ſtatuiſti; Tu omnibus in Pietate, in Diligentia præluxiſti. Faxis*, ſanctiſſime Ieſu, *ut tuam virtutem æmulemur, ut tuam pietatem imitemur, tuam Patientiam, Modeſtiam ſequamur. Tu cultu paupere, victu ſobrio vitam egeſti. Tu nullis deliciis, nullis voluptatibus indulſiſti. Tu non divitias, non opes accumulaſti. Tu nihil caducum, nihil vanum affectaſti. Da etiam*, mitiſſime Ieſu, *ut nos ſuperbiam deteſtemur; luxuriem profligemus; ſobrietatem diligamus. Fac quoque, ut totum vitæ noſtræ tempus non ad vanam nominis oſtentationem, non ad inanis gloriæ ambitionem, non ad faſtum & ſuperbiam, ſed ad divinæ potiſſimùm bonitatis celebrationem, ad publicæ Rei utilitatem, Eccleſiæ commodum, proximi ſalutem inſtituamus. Da, ut ſolo virtutis ſtudio accenſi; ut vero pietatis zelo flagrantes, ſupra abjectam humi plebeculam*

a Preces.

culam enitamur. Da etiam nobis, qui bonarum artium ſtudiis operam navamus, ad conſequendam eruditionem instrumenta idonea, memoriam, ad recordandum tenacem, ingenium ad capiendum facile, promptum, expeditum; mentem ad intelligendum compoſitam. Cuſtodias, benigniſſime Deus. *Angelorum tuorum præſidiis incautam juventutem; rege ac dirige teneræ ætatis greſſum, ne à recto virtutis tramite; aut per nequam ſodalitium, aut malas cupiditatum illecebras ſeducta avocetur. Fac omnia, quæ cogitatione noſtra affectamus; quæ manibus contrectamus; quæ lingua proferimus, ad utilem Reipublicæ ſcopum, & gloriam divini nominis inſtituantur. Benedic per gratiam tuam,* Clementiſſime Deus, *toti ſtudiorum curriculo, ut docti ad pietatem, informati ad virtutem, imbuti bonis moribus, contra omnem mundi invidiam, Satanæ furores, malarum cipiditatum aſſultus fortiter invictique ſubſiſtamus. Protege,* ô Deus, *Eccleſiam univerſam favoris tui clypeo, defende ſanctiſſimam in Templis Religionem; in Curia Iuſtitiam, in Foro fidem, domi Pacem, amorem, concordiam. Tu ſævam hoſtium feritatem exſcinde; Tu Tyrannorum crudelitatem compeſce, inſidias, dolos omnes à nobis averte. Concidat ſepticollis Roma, Babylon ſuperba, Mater impuritatis nutrix Idololatriæ. Satis nunc,* ô Deus, *ſanguinis inocui effuſum; ſatis in miſeros ira tua exarſit. Tandem de cœlo vultu proſpice ſereno; indue paternos iterum affectus; concipe mentem in nos benignam; ne eſto aure durâ placabilis, ſis mitis, ſis miſericors in populum tuum, in Agnos gregis tui. Imprimis verò, Sacri fœderis Belgicam, quæ tot jam annos Exulum miſerorum Mater, tua* ô Deus, *benignitatis ſinu complectere. Da ut conſilia omnia in hoſtem providè, in communem Patriæ ſalutem prudenter, ad divini Nominis gloriam feliciter inſtituamus. Ne fallacibus Hiſpanorum pollicitis credamus facilè; ne blandis verborum pigmentis fidem habemus ſecurè: ne toties pacem mentito præbeamus aurem benignè. Tu domi, foris,*

ris, ubique ô Deus, *pro nobis milita. Tu da fortem in manum enſem, conſtantem in pectore fidem: ut ita victricem in hoſtes aciem ſtringamus, ut divina tui nominis gloria magis ac magis propagetur. Pro te, ô* Deus, *in aciem deſcendimus, pro afflicta Eccleſia bellum gerimus; pro libertate, pro Religione in hoſtem pugnamus. Da etiam, ut ita victoriis utamur, ne debita pro iſtis gratitudine abuti videamur. Denique ô* Deus, *Rempublicam hanc noſtram & in ea inclytam, quam incolimus,* ALCMARIÆ *civitatem fortunis amplam; fama honeſtam; Pietate celebrem; Pallade inſignem, diu feliciterque conſerva: ut in ea* V V. Clariſſ. *valetudine valentes, nos omnes liberalium ſtudiorum exercitiis operam navantes, ad divini nominis gloriam omnes vita noſtra actiones conferamus.*

Quod velis faxiſque Æterne Deus, *propter merita Redemptoris noſtri: Cui ſit laus, honor, gloria, & gratia in perpetuum, Amen* CIↃ. IↃ. CXLII.

ORATIO LIII.

De Predicationis utilitate & Neceſſitate.

CORNELIUS KEETMANNUS, *Medemb. Batt.*

NIhil piorum omnium Iudicio H. A. tam miſeris mortalibus eſt neceſſarum; nihil Chriſtiano homini, ſive in proſperè ſive ſiniſtrè fluentibus rebus tam fructuoſum & utile, quàm caſtiſſimâ mente Preces & vota ad Deum effundere. Nulla enim res tanti ponderis & efficaciæ, quàm religioſis concepta verbis divina precatio. Quæ una animorum ſenſuumque interpres, cum Opt. Max. in cœlis Deo colloquium inſtituit. Quæ ab intimo procedens cordis penetrali ſingularem nobis cum cœleſtibus gratiam conciliat. Præces H. A. cœlum & nubila perrumpunt; Præces mille Diabolum catenis adſtringunt; Preces Deum homi-

hominesque æternis vinculis conglutinant. Si omnia mala & adverſa paſſim nos obruant, fortuna aſperrime primas; ſi ſidera prodigiosè nobis minentur, terribilem aſpectum cœli induant, terra ſiniſtrè portenta edat; ſi inimicus hoſtis finitimis nos armis circumſonet, prædam de nobis faciat, longè lateque impius graſſetur; Agite, boni viri, religioſæ orationis anchoram comprendite, & firmum in precibus præſidium ponite. Nunquam repulſam patiere, qui caſtis Deum præcibus ſolicitas. Nunquam humi concultatus jacebis, ſi pia Deum mente, ſi puro illum animo preceris. Videare ope divina pro temporis momento deſtitutus: ne animum deſpondeas. Perfer & obdura; tolle ſupplices Deo manus. Adeſt propinquè invocantibus ſe Deus; non aurem ſupplici duram, non manum invitam porrecturus. Docet hoc quàm plurimis exemplis æterna Dei vox; teſtautur hoc mille periculorum Labyrinthi, quàm admirabilis ſiat potentiæ Chriſtiana præcandi aſſiduitas. a) Hoc promovendæ ſalutis remedio uſus *Moſes*, deplorandam ab Ægyptiis plagam amovit; hoſtibus metum & terrorem incuſſit; Iſraëlitis pacem & libertatem invenit. Illo divinæ orationis Zelo flagrans *Elias* exſpectatam de cœlo pluviam extorſit; *Heliſaus* noxias potantibus aquas ſalubres fecit. Non pugnaſſet in adverſum hoſtem tam fortiter quàm feliciter *Ioſua*, ſi non continuæ orationis fervore ſolem & lunam commoviſſet. Non reportaſſet tam præclaram de inimicis victoriam *Judas Macchabaus*, ſi non precibus, quàm armis munitior, Deo duce in aciem deſcendiſſet. Quod ille reverens Dei cultor *Paulus* noxium à muliere ſpiritum expulerit; afflictis valetudinem reſtituerit; ſeipſum carcere & vinculis exſolverit, ſolis ſolidiſque precibus debetur. Clamavit ad Deum *Ionas*, & exauditus eſt. Habuit piam orationem *Azarias*,

a) *Præcationis vis.*

Digitized by Google

rias, ſtans medias inter flammas illæſus. Oravit obnixè ſuppliciterque *Suſanna*, & indictam ſibi mortem repulit. Precata eſt ad Deum *Iudith*, tot inter millia militum armatorum Holofernem obtruncans. Petiit à Domino ſobolem *Anna*, & opprobrio ſterilitatis liberata eſt, Illo tutus præſidio *Ionathas*, ſecundo cum hoſtibus Marte pugnavit; *Ioſaphat* ingentes inimicorum copias profligavit; *Samuel* Iſraëlitas contra Philiſtæos defendit. Nihil eſt, quod non precum aſſiduitas & orationis blanditiæ à Deo eliciant, obtineant. Nullum tam grave periculum, nulla tam triſtis miſeria, nullus animi dolor tam durus ac difficilis, quin ad ſinceræ mentis precationem quaſi torpeat, & vim ſuam amittat. In precibus potiſſima Chriſtianorum poſita eſt felicitas. Si humana ad opem ſubſidia deficiant, divino in cœlis Numini vota nuncupamus. Si nulla mortalium rerum arridet voluptas, deſideria noſtra apud Deum deponimus. Cum illo ore atque pectore loquimur; in illo ſpem & ſalutem collocamus. O infinita orationis vis, virtus, voluptas! Pudeat præſens hoc ſeculum, quòd non firma magis memoria Dei beneficia agnoſcat; non omni ſtudio & cura divinam bonitatem deprædicet. Quis ille in proſpero rerum ſtatu, qui debito devotoque Deum cultu proſequitur? qui tantæ largitatis fontem & authorem digna veneratione afficit? Qui avocato à mundi deliciis deliriiſque animo, per crebra ſuſpiria gemituſque Deum implorat? utinam! apud multos non vulgi fabula, non puerorum terriculamentum, non anicularum ſomnium potens ille in cœlo Deus haberetur! Quem, ſi euntibus ad votum fatis, parum dignè agnoſcerent, in mediis tamen periculis optima fide ſummaque induſtria venerari debebant. De cæca Ethnicorum Superſtitione penè vereor, ne illa magnæ nos iniquitatis coarguat. aut priſca Philoſophorum ætas, omni Deo ac Religioni deſtituta.

ſtituta, nos in turpem pudorem & opprobrium conjiciat. Quibus cùm vera pietatis lux defuerit, nonnulla tamen ſe in iſtis adumbratæ virtutis ſcintilla oſtendit: quæ noſtram nobis meritò ſegnitiem ſocordiamque exprobret. a) Exemplo eſt *Scipio Africanus*, qui Deos ſuos oraturus, noctu Capitolium aſcendit. *Indi* & *Gymnoſophiſtæ*, qui incredibili pietatis ſuæ furore inflammati, Diis devotiſſimè ſacrificabant. *Magi* & *Perſæ*, qui in aris & victimis potiſſimam religionem ponebant. Quanti apud *Romanos* Deorum votorumque opinio fuerit, abundè poſteritas teſtatur. Si prodigia horrenda, ſi res inſolita accidiſſet, ſi bellum hoſtibus indicendum, mox *Statorem* aut *Feretrium Iovem* omni ſacrorum ritu propitiabant. Valuit illa apud *Argivos* precandi Religio: qui *Apollinem*, *Herculem* præfari ſolebant. Eundem pietatis zelum in *Numa Pompilio* videmus, qui ut imperii Romani initia feliciter ſe haberent, Deam Ægeriam imploravit. Hâc ſuperſtitionis aurâ afflatus *Romulus* ſacram Iovi Statori ædem dedicavit. Nos qui meridiana luce verbi divini ſolem intuemur, & infallibilem de Deo notitiam nullo ſuperſtitionis involucro obtectam videmus, nonne omni pietatis ſtudio æternum Numen venerabimur? Nos fœdiſſima ignorantiæ caligine expediti, tantis animi corporiſque bonis affecti, nonne aſſiduò Creatori noſtro poplitem flectemus? Hâc inprimis mundi ſenectâ, quâ ſingularem Dei gratiam, & paternam erga nos voluntatem tam miris multiſque expreſſam teſtimoniis videmus? Cùm undique tyrannorum obſeſſi truculentia, nullum tamen ſub Divini Numinis tutela hoſtem extimeſcimus. Quæ omnia ſi ſuo merito ac pondere æſtimemus, tanto citiùs ad illa Eccleſiæ arma, preces & lacrymas, confugeremus. Minatur nunc de cœlo judex acerbiſſimam peccatis ultionem; ardet divini Numinis

a) *Veterum Ethnicorum ſuperſtitioſa pietas & preces.*

minis accenſa rabies; non patitur dilata in moram patientia, vitia noſtra plus ultra graſſari. Adeſt præ foribus atrociſſimo cum hoſte bellum; minatur terribilem Eccleſiæ ruinam Antichriſtus. Ubi verò uſquam miſerabili Eccleſiæ aliquis malorum finis, quàm in ſolida Pietatis anchora, in deductis ab imo pectore ſuſpiriis? vah! præpoſteram mortalium inertiem! a) Quanta, eheu! nobis pœna deſuper impendet, ſacro-ſancto Pietatis aſylo ſic turpiter everſo! Sacra, profana nullo diſcrimine habentur. Inimicitiæ, Simultates palàm geruntur. Ambitio, Superbia cum imperio dominantur. Non pro ratione, ſed pro libidine vivitur. Fas, nefas promiſcuè ponuntur. In Templis vapulat religio; à Foro exulat Fides; à Tribunalibus ratio & æquitas. Favor judicem corrumpit; virtus parvi ducitur; ſuffragia quàm merita, plus pollent; Pietas deſpicatui habetur; nemo virtutem pretio æſtimat; nemo beneficia & merita ſuo præmio compenſat. Modò ſuas quiſque lacunas curet, gulam ventremque ſaburret, ſatis ſe divitem fortunatumque exiſtimat. Eant, redeant in orbem damna publica; patiatur injuriam Eccleſia, contaminetur Religio, violetur juſtitia; exhauriantur, depilentur æraria; negligantur viduæ; proterantur pupilli, exſtinguantur Scholæ; corrumpantur boni mores; adſueſcat improbitati juventus: dicite, amabo, dicite, quis non privata, quàm publica; profana, quàm ſacra diligentiore cum cura adminiſtrat? Quis ille inter paucos, qui teſtem ſuæ virtutis conſcientiam habet? Qui provinciâ ſuâ benè defunctus, ſui nominis exiſtimationem bonorum judiciis demandet? Qui Spartam, quam nactus eſt ſemel, per omnes ætatum gradus pulchrè ornet ac promoveat?

b) *Hac Ego humana mentis inquinamenta*, Cl. viri, *intrinſecus apud me animo revolvens, magnam ſanè* de

a) *Saculi vitia.* b) *Epilogus actionis publica.*

Digitized by Google

de ultione divina formidinem intra pectus meum concepi. Quam ut à nobis poſteriſque vindictam tempeſtivè diverteremus, viſum mihi fuit mea fidei concreditam juventutem ad Preces & ſolennem Orationis Pietatem incitare. Hoc inprimis tempore, quo novis Auſpiciis novum hunc Annum ingredimur, & communis officii ratio poſtulat, benè ſupplicem ad Deum orationem intendere. Vos etiam atque etiam oro rogoque A. A. VV. ut pari pietate ac animorum præſentia Muſarum noſtrarum preces adjuvetis; Deum in cœlis, pro publico privatoque bono inenarrabilibus ſuſpiriis invocetis, noſtros denique labores æqui bonique conſulatis. CIↃ IↃ CXLI.

Duæ præcedentes recitatæ Alcmariæ CIↃ IↃ CXXXIIX.

ORATIO LIV.

De Præſtantiâ Rerum Creatarum, earundemque interitu in genere.

CORNELIUS COREN AER,
Alcm. Bat.

IUre meritoque HH. AA. veteres rerum hæc univerſa Librum quendam appellavere: In quo Dei O. M. gloria, majeſtas, potentia, tanquam in ſpeculo apparet. Quando enim hanc nobilem mundi ſtructuram, & partium compaginem oculis intueor, ubique infinitæ ſapientiæ, bonitatis, clementiæ divinæ manifeſta veſtigia deprehendo. Non poſſum ſatis admirari tam ſpecioſam tot rerum florentiſſimarum & in cœlo, & in terris imaginem; illam ſupra nos aſtrorum ſiderumque pulchritudinem. Hæc ſiquis ſecum curioſè conſideret, ô quàm affabrè, quàm doctâ manu hæc cuncta perpolita! quàm certos diſinitoſque motus fabrica hæc divina in ſe habet!

habet! quam illa fatali ſuâ lege ordines obſervat! ſi exacte hæc omnia contempler, ô quam ubique cœleſtis ille Apelles artificio ſuo cuncta complexus! Supra me ſuis rutilantem radiis ſolem, tanquam aſtrorum ducem intueor. Tam accurata circulum ſuum ſingulis annis, per duodecem cœli ſigna decurrentem; diem ac noctem diſtinguentem. Qui radiante ſua luce terram illuminat, à cujus acceſſu, & ingenti æſtu terræ ſeges arborumque fructus maturantur. Luna cæteræque ſtellæ, quæ *errantes* vocantur, ſunt tanquam faces inter denſas noctis tenebras, lumenque homini pecudique præbent. Solem veluti regem ſuum colunt, obſervant, venerantur. Neque latum unguem à ſtatione ſuâ, in qua ſunt collocatæ, recedunt. Quam verò pulchrè continuata ac perenni motione ſua ſurſum deorſumque fertur! qui ita inter ſummum cœlum, imamque terram eſt collocatus; ut certis veluti cancellis limitibuſque contineatur, nec ſepta metaſque tranſiliat. Vt tam hominem, quam bruta animalia recreet, reficiat, foveat, conſervet: Nec tamen crebro aſſiduoque uſu conſumatur. Si ad inferiora me converto, terram ſuo depreſſam pondere videbo: quâ omnium noſtrorum parens: ad quam prima cujuſque origo producitur, *per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus*. Quæ fidæ nutriculæ inſtar, nos primò in hanc lucem exceptos alit ac fovet. Etiam deſertos ab aliis gremio ſuo tegit; floribus, herbis, frugibus, fructibuſque non neceſſitati modò inſervit; ſed & voluptati. Illa non anguſtis ſpatiis definitur; ſed in ſe varias ampliſſimaſque regiones continet. a) Quarum multas nobiles ac potentes exiſtimo, ſive ob ſitus amœnitatem, ſive agrorum fertilitatem. Hic agri bene culti, vineta læta, novis rubentia coloribus prata occurrunt. Hîc hortos omni florum fructuumque genere vernantes,

a) *Rerum creaturum præſtantia.*

nantes, inque iis diverſorum colorum floſculos pulchrè ridentos conſpicio. Quorum alii cœli, alii nivis, alii alios colores referunt. qui non ſolum oculis colore, ſed & naribus gratiſſimo odore adblandiuntur. Ut vere de illis dixerit Poëta.

Hic ver aſſiduum atque alienis menſibus aſtas.
Bis gravida fruges, bis pomis utilis arbos.

Non hoc loco Fluminum perennitates; non fontium commendabo liquores: qui non areſcente venâ, ſed aquis puris, limpidis, guſtu ſuavibus ſcaturiunt. Nihil de vaſti Oceani imperio, de fluctuum immenſa hîc dicam mole. A pelago ad continentem tranſeo. Quàm hic multa ſunt, quæ meritò in ſtuporem me compellant. Multæ civitates loci natura, & ubertate agrorum celebres ac illuſtres, & vere felices, ſi hominum mores, ſi rempub. ſi illarum leges conſideremus! Aliæ mœnibus & propugnaculis, vallis foſſiſque ita munitæ, ut avertere potentiſſimum hoſtem; civibus ſuis ſecuritatem parare poſſint. Aliæ ſic montium jugis defenſæ, ut ſuperari à nullo unquam hoſte queant. Aliæ fluminum repagulis atque clauſtris ſic cinctæ, ut plane inviolabiles adverſum belli ardorem videantur. Nihil hic optimarum rerum deſideres. Suppetunt negotia. Sunt in promptu alimenta; bellaria, commeatus, condimenta terrâ marique rerum præſtantiſſimarum. Videas hic multos marmora ex intimis terræ viſceribus eruere, quæ excocta & ſubacta in uſum tectorum præparantur. Hymettiis columnis, Pario lapide ædificia ſua adornare. Improbamus tecta humilia, arcta, tenebroſa; domi pomœria, auri argentique laminas, Indorumque gemmas in deliciis habemus. Pocula errant in conviviis argentea, vaſa cœlata. Gratæ ſunt in parietibus tabulæ pictæ, ſtragulæ pretioſæ, Alexandrina tapetia.

a) Dii boni! quam nobis ſub manus naſceretur ampla

a) *Rerum Creatarum admiratio & varietas.*

ampla dicendi materies. Quam Africa aliquid ſemper parit novi! Quam Aſia, America in ſuis ſpinetis atque occultis terrarum horrenda, deformia, difformia monſtra producit! quam ubique per terras inhorreſcimus ad occurſum Tygrium, Luporum, urſorum, ac ferarum ſylveſtrium. Quarum aliæ cœlo fruuntur liberè; aliæ in agris, in ſylvis, in vivariis degunt. Horum omnium varietas immane quantum nos afficit atque oblectat! illa mollibus ſuis plumis, aliſque pretioſe integuntur; iſta duro tergore, firmiſſimoque corio. Audias hic leonem rugientem, illic Elephantem barrientem, iſtic quadrupedem hinnientem audias; aliaque animalia, alios ſonos motuſque imitantia. Quam imprimis, inter reliquum illum concentum, gratarum avicularum divina illa muſica; quando voce & modulamine ſuo tam lepide varieque cantillant.

At verò, ſi principem creaturarum, Hominem, in theatrum & conſpectum prodire facio, me hercule, hoc nihil ſpecioſius à Deo Opt. Max. creatum ſol unquam adſpexit. In illo ſparſas & diſſeminatas per omnem mundum dotes ſuas natura colligit. Erectum illum ad cœli conſpectum, Deum colere, res cæteras moderari voluit. Ille non roſtro adunco & intorto, non oculis crudelibus, non rictu minaci. Sed benevolentiæ, amoris, concordiæ in homine ſigna, divina manus expreſſit. Sunt lumina nobis blanda, amica; non trucia, non aſpera. Sunt lacrymæ commiſerationis; ſunt riſus hilaritatis jucunda indicia. Vox eſt lepida, articulata, blanda. cum aliis noſtra cogitata conferre, atque explicare poſſumus. Valent noſtræ manus ad quæſtum familiarem; valent ad ſcite pingendum, ad aurum argentumque cœlandum, ad domos ædificandas, ad ſutoria, ſartoria, textoria, & reliqua officiarum opificia perite eleganterque præſtanda, valent.

O Divinæ majeſtatis graphicam manum, quæ in

omnibus rebus tam auguſta imagine elucet. O admirandæ ſapientiæ documenta: quibus terra marique cuncta ſe produnt!

a) Hæc tamen omnia *HH. Audd.* de quorum decore & præſtantia ad vos verba feci, eheu! brevi temporis intervallo in ſui ruinam ocyſſime maturant. Mors, inquam, illacrymabilis cuncta conſumet, evertet, conficiet. Nec tantum nos homines, qui brevis & caduca res ſumus; etiam regna terrarum, atque urbes potentiſſimæ, quamvis ſua vetuſtate glorientur, aliquando in ſervitutem fati venient. Ingentes ſtructionum moles, regum ſpecioſa palatia, villæque incolis frequentes, tandem à dominis ſuis deſertæ collapſæque deformi ſitu ſqualleſcent. Solem obſcurari; inuſitatis tenebris cœlum aliquando perfundi videbimus. Iacebunt in contemptu divitiæ & opes. emorietur formæ & gloriæ decus; intercidit univerſi mundi pulchritudo; vaſta & inculta relinquetur terra. quæ jam ad pariendas fundendaſque ex ſe fruges parata conſpicitur. Elementa ſponte ſua deficient, ac peſtem & venenum ſuum concipient. Denique ingentium imperiorum magna faſtigia (quanquam nulla vi facile labefactentur, ſuoque loco dimoveantur, oblivione humanæ fragilitatis fœdè collabentur. Nulla uſquam tam opulenti ædificii ſtructura, quæ non communi aliquando interitu in nihilum recidet. Nulla veſtis ſic auro & arte ſua ſquallens, nulla ſic tabula ad vivum expreſſa, quæ non ſenio ac vetuſtate conficietur.

Eheu, nihil ſub ſole tam ſtabile, quod non ad fatalem ſuum terminum ſtrenuè decurrat. Hanc rerum inſtabilitatem potentiſſimæ regiones confirmant, quæ quanquam diutiſſime floruerunt, ad metam & metum ſuum properè feſtinant. profectò non ſine lachrymis triſtem de hominis fragilitate cogitationem ſuſcipere poſſum. Cui nihil à natura

a) *Omnia interire quæ nata ſemel.*

natura, & primis unguiculis magis inſitum inditumque, quam ut aliqua moriendi neceſſitate de medio tollamur. Nulla morti eſt mora; nulla tam ferrea aut fera ætas, quæ non durum ſuum caput neceſſitatis iſti telo ſubmittet. Non civium opulentia, non ipſa Terrigenûm fortitudo ſævisſimam lethi falcem unquam detrectabit.

Præ lachrymis, inquam, totus langueſco; obmuteſcit lingua; hærent defixi in terram oculi, nec me auſim in hunc vitæ humanæ labyrinthum profundius dimittere. Vos, mei Collegæ, oro rogoque, ut mihi in partem veniatis onerosi laboris, ut juxta lacrymas, veſtrum quoque dolorem plenis hic fontibus aperiatis. Omnia mortalium *oblectamenta fortunæ arbitriis ſubjecta citò affluere, citò dilabi paucis doceatis, & nos miſeros mortales, qui niſi momentaneum præ nobis ferimus ſplendorem ac fuliginem, brevi, inquam, in pulverem primamque noſtri originem, magnam illam matrem, Terram, ituros.*

DIXI.

ORATIO LV.

De Rerum humanarum interitu in ſpecie.

CORNELIUS DAELDER,
Alcm. Batt.

IUſtus tuus dolor, mi Collega, quem ex rerum humanarum fragilitate percepiſti. Iuſtiſſimus, in quam dolor tuus. Nedum ipſe Oceanus omnibus ſuis undis; non nimboſæ in cœlo hyades ac Pleiados ſatis ad fletum & lachrymas te impellant. *Omnia enim orta*, ait ſapiens Romanus, *occidunt, & aucta ſeneſcunt.* Adeoque, ut nihil tam ab arte elaboratum, tam à cura induſtriaque perfectum, tam ab ingenio perpolitum; quod non tandem tacito annorum decurſu ac vetuſtate intereat. Videbar initio tui ſermonis mi Collega, ad ſeriam me

animi lætitiam commoveri. Imo, in cœlum & Deorum illa admiſſum penè contubernia. quando de noſtra felicitate hominumque in terris beata mortalitate verba faceres. quando de pulchritudine, & præſtantia hujus univerſi tam lætè lepidéque gauderes. Planéque divinam domi foriſque rerum omnium copiam & luxuriem meis oculis proponeris. Cum circumfluum aërem, auricomum Solem, vagam Lunam, ardenteſque cœli ſtellas intueri me faceres. Et omnia rerum humanarum pulcherrima atque admirabilia ornamenta in brevi quaſi tabella complecterêre. At verò, quàm brevis hæc mea voluptas! Vah! quàm ſubito lapſu de fortunæ præcipitio humilis in terram cado! Vellem gratulari poſſem humano generi de ſtatu tam ſplendido atque excellenti. Sed, me miſerum! quantâ de ſpe decidi! in quam Lernam & abyſſum miſeriarum abripi me video! En Heraclite ſapientiſſime, tuos, amabo, oculos imbreſque mihi ſuppedita. Falſis ego rerum humanarum imaginibus deceptus ſum, miſer. Nihil prorſus uſquam reperio, quod vel aliquem mihi læti animi ſenſum guſtumque ſufficiat. Vos, quæſo H. A. patiamini non invitè; Quod paulo fuſius humani generis calamitatem deplorem; & quàm omnia mortalium intra fluxi temporis terminos conſtituta, brevi ad metam & interitum ſuum feſtinent, paucis oſtendam. Pudeat, a) nos homunciones, tanta cum veſania ac furore in fluxas mundi opes incumbere. Ita totum terrarum orbem armorum ſtrepitu inflammare; adeo ad clavum imperii ambitioſè contendere. Non aliter quàm ſi nobis immortalitas & Deorum felicitas eſſet parata. Stulti, certè, Reges Principeſque, qui pro magnitudine imperii *in bello hyemem, æſtatem, inopiam & laborem juxta tolerant.* Qui pro victoriæ nominiſque ſui gloria, non inhibiti viarum aſperitate, non cœli

a) *Increpatio ad male vitam agentes hîc brevem.*

cœli inclementia, non pelagi jactatione, in remotiſſimas regiones trajiciunt. Quæ vos larvæ atque intemperiæ exagitant, ô puſilla pectora! Quid animi tibi fuit, *Alexander Magne*, ut in hoc exiguo vitæ curriculo tantis te laboribus lancinares, frangeres? ut orbem terrarum armis, cadaveribus, cruore atque luctu compleres? Quæ tibi mens, ô *Cyre*, ut Babyloniorum opes, ut Medorum imperium in favillas & cineres redigeres? ut Perſicum nomen opibus, victoriis adeo illuſtrares? Quid argumenti, miſelli Reges, quod tam ſtulte ſtolidéque inanibus rerum ſtudiis regnorum potentiam vobis pollicemini? Omnia illa regna, quæ poſſidetis; de quibus cum hoſtibus periculoſe prœliamini, ad certiſſimam ruinam & interitum ſuum contendunt. b) Certè; pleni omnes ſunt libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas fragilitatis humanæ. *Fuit olim pollens potenſque Græcorum poteſtas; ſtetit in honore nobiliſſimum Perſarum imperium; floruit potentiſſima Aſſyriorum Monarchia:* At nunc converſa in pulverem Troja.

——Fuit Ilium & ingens
Gloria Dardanidum——

Narrat omnis ætas & deinceps narrabit, quàm fragili loco Res Regum & Principum ſint poſitæ; quàm caduca horum felicitas; quàm ſceptra & Coronæ per ſe parum tutæ ac ſecuræ exiſtant. Quamobrem extremæ dementiæ eſt, ex ſecundis rebus ferocem fieri; animos ſupra humanæ ſortis faſtigium efferre. Adeo, ac ſi nunquam ulla tantis gaudiis intercedere poſſit ægritudo. O ſtultam & inanem confidentiā! hui homunculi quanti ſumus!

Quos aliquando dies vidit veniens ſuperbos.
Hos dies vidit fugiens jacentes.

Fruſtra nos homines in hoc turbido mari tanto cum ſudore, tantis cum vigiliis urbes & opere & naturâ munitas ædificamus. Fruſtra tantis ſum-

a) *Regnorum occaſus.*

ptibus innumerabilem equitum peditumque turbam in campos producimus. Fruſtra divitiarum falſa oſtentatione fortunam noſtram jactamus. Breves & mutabiles vices rerum ſunt; caduca & fragilia poſſidemus, puerilibus conſentanea crepundiis. De maximarum civitatum potentia & occaſu ſi quid me dicere hoc loco patiamini: Dii boni! quàm præ oculis vivos hîc teſtes & imagines alternantis fortunæ habemus; Alia flammis & ferro ſunt everſa; alia aquarum inundationibus abſorpta; alia fato & vetuſtate infeliciter oppreſſa. Regiæ pecuniæ atque potentiæ cum precioſiſſimis rerum ſuam ruinam ſunt expertæ. Dicite, a) *Amabo, ubi nunc illa Carthaginis alta mœnia? ubi ſtupenda illa Epheſus? Ubi illa delubra tot Regum maximorum ſumptibus exſtructa? nonne Vulcani hac violentia tam diu ceſſère?* Inde Perſepolim totius Orientis Regiam adeamus, unde tot gentes jura petebant, nonne flammis commeſſabundi Regis deperdita? Tu caput orbis, ROMA, in theatrum prodi, *cui par nihil, nihil ſecundum: Quâ nulla unquam reſpublica major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Obſtupeſcunt poſteri imperia, provincias, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos in quâ tot Imperatores, tot patres, tot viri domi nobiles egregiique habitarunt: qui omnes armorum virtute atque robore memoriam ſui quam maximè longam effecerunt. Olim tua gloria decuſque per omnes terras clara atque inclyta fuit:

Qua parte debacchantur ignes,
Qua nebulæ pluviique rores.

Ubi verò virtus tua langueſcere cœpit, tota immutata es, ex pulcherrimâ peſſima ac flagitioſiſſima gentium evaſiſti.

a) Ita

a) *Vide ſupra orat. de Rerum Hum. inſtabilitate.*

a) Ita res humanæ, H.A. prono ac præcipiti gradu ad ruinam ſui progrediuntur. Nihilque luminum ille pater Sol ex alto deſpicit, quod non aliquando ipſa mortalitas ſuis tenebris ſilentiiſque involvet. Deteſtor inſanos & inanes hominum labores; quando video, quod rerum omnium eventus tam miſero ſe fine determinent; nihilque tam præclarum quod vel in pauca ſæcula ſui pretium tranſcribat. Quod, quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Deûm indulgentia ſtruxit, id una dies ſpargat ac diſſipet. *Reſpiciamus ad celeritatem rapidiſſimi temporis, & cogitemus brevitatem hujus ſaculi, per quod citiſſime decurrimus.* Profectò, quotidiana nos docent, in quanta rerum humanarum volutatione nos indies jactemur. Fruſtra, mortales fortunas & facultates noſtras computamus; fruſtra fluminum alveos in tam anguſtum deducimus; montes complanamus; terræque faſtidioſi domini ſumus. Peregrinantes vitam noſtram tranſigimus, *perque ignes incedimus ſuppoſitos cineri doloſo.* O quam magnis iſti erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere; Oceanum cum *Xerxe* navium claſſibus conſternere; altero ſub ſole metalla & marmora ex intimis terræ viſceribus eruere; aurum argentumque, tot malorum irritamenta, in ſui caſum effodere. *Numquid erubeſcimus ſumma apud nos habere, quæ ima terrarum fuerunt?*

b) Prodigioſiſſimæ fuerunt Pyramidum ſtructuræ, illa Ægyptiacæ opulentiæ monumenta. Prædicantur hiſtoriarum antiquitate Obeliſci: quos elati fortunæ proſperitates Reges montium venis exciderunt. Olim in honore fuerunt Regum portentoſa ſepulchra & Mauſolea. Præterea Cretenſium & Lemniorum Labyrinthos; Semiramidis Euphrati, Xerxis Iſthmo, Cæſaris Rheno, Nervæ

T 5 Danubio

a) *Omnia, quæ nata, occidunt.* b) *Opera manuum interierunt.*

Igitur vos mecum de vitæ humanæ calamitate H. A. quantum poteſtis, in fletum, & lachrymas prorumpere deſidero. Quiſquis, inquam, veſtrum miſerrimi mortales, ſuum caſum & ſortem deploret, talemq; ſe agnoſcat, qui contra fatorum violentiam, & ultimam rerum lineam *Mortem*, nunquam ſartus tectuſque ſubſiſtere poſſit. Præeo fatali nunc lege, & majorum noſtrûm tumulos, atque cineres vobis in conſpectum produco. Vos ſi per lachrymas commune noſtrum funus cohoneſtare poſſitis, atque huic univerſo ultimum ſuum honorem, ac juſta perſolvere, tantò facilius præficæ hîc munus exequar, & rationem fortaſſe inveniam, quare multò minus decretorium ullum diem, formidare aliquando poſſum. Adeſte quæſo, hîc omnes mutatâ veſte, & de communi noſtrum omnium exitio, me dicentem benignè, quæſo, proſequimini.

a) Vah! quàm ſtolida, quàm inanis mortalium conditio! qui ſic ad improbitatem & mala ſumus proclives. Quin tam mundana, & fragilia diligimus adeoque in vitâ de ventre, ac corporis ſaburra ſoliciti ſumus; tanquam æternum hîc in terris victuri, & nunquam corporeis hiſce vinculis emigraturi. *Quicquid enim ætatis retrò eſt, mors tenet.* At quis ille unus è tot millibus, qui huic veritati, ac ſententiæ ultrò ſubſcribat? Aliorum funera ne quidem nos tangunt; ſenes, juvenes, æque cæcutimus. Nemo ab aliis exemplum ſumit. læti vicinis noſtris parentamus. Penè ad ſcrobem & tumulum (proh hominum dementiam) helluandi ac pergræcandi plurimis cupido eſt. b) *Animus noſter, oblitus fatorum, audax, ſubdolus, varius, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiens.* cujuſlibet rei ſimulatores, ac diſſimulatores ſumus. Amici de tabula & medio demigrant? Flocci non pendimus. æra altis pendula turribus, perſonant noſtra

a) *Miſera conditio hominum.* b) *Salluſt.*

ſtra limina & aures? Aliena hæc putamus. Sæpe luſum, & materiem alii hinc ſumimus. Adeſt, & oſtia pulſat Pollinctor? Quis memoriam ſui fati hinc mutuatur? O mentes ignaras futuri! *O homo quantula res ſumus!* Creſcunt indies in civitate corrupti mores! Pellitur de foro juſtitia. Fides, pietas; Religio nuſquam tutum larem invenit! Iurgia, diſcordiæ, ſimultates invicem exercemus. O tempora! O mores! Vbinam gentium ſumus?

a) De vitæ termino, aliquis cogitationem ſubeat ſuſcipiatque? Ille tribus Anticyris, omnique helleboro ad contumeliam penè dignus judicatur. Mortem omnibus, natura propoſuit. Quippe,

Omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.
Æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
b) *Enavigandum, ſive Reges,*
Sive inopes, erimus coloni.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Vxor, neque harum, quas colis arborum,
Te præter inviſas cupreſſos,
Vlla brevem dominum ſequetur.
Abſumet hæres cicutâ dignior,
Servata centum clavibus.

Hoc naturæ humanæ penſum abſolverunt, primi noſtri parentes, licet multa ſæcula, & ætates fecerint, ipſum generis humani caput, *Adamus*, quamvis in longum vitæ uſuram produxerit; lenta tamen morte confectus. Vltra nongentos annos, *Enochus*, fuit, tandem ille ſuo fato exſtinctus. Quis *Methuſalem* ævo provectior? Nonne in cineres & rogos demum conceſſit? Mitto reliquam manum, & copias tot priſci ævi virorum avorumque, quos omnes

a) *Moriendi neceſſitas.* b) *Horatianæ.*

de ultione divina formidinem intra pectus meum concepi. Quam ut à nobis poſteriſque vindictam tempeſtivè diverteremus, viſum mihi fuit mea fidei concreditam juventutem ad Preces & ſolennem Orationis Pietatem incitare. Hoc inprimis tempore, quo novis Auſpiciis novum hunc Annum ingredimur, & communis officii ratio poſtulat, benè ſupplicem ad Deum orationem intendere. Vos etiam atque etiam oro rogoque A. A. VV. ut pari pietate ac animorum præſentia Muſarum noſtrarum preces adjuvetis; Deum in cœlis, pro publico privatoque bono inenarrabilibus ſuſpiriis invocetis, noſtros denique labores æqui bonique conſulatis. CIƆ IƆ CXLI.

Duæ præcedentes recitatæ Alcmariæ CIƆ IƆ CXXXIIX.

ORATIO LIV.

De Præſtantiâ Rerum Creatarum, earundemque interitu in genere.

CORNELIUS CORENAER, *Alcm. Bat.*

IUre meritoque HH. AA. veteres rerum hæc univerſa Librum quendam appellavere: In quo Dei O. M. gloria, majeſtas, potentia, tanquam in ſpeculo apparet. Quando enim hanc nobilem mundi ſtructuram, & partium compaginem oculis intueor, ubique infinitæ ſapientiæ, bonitatis, clementiæ divinæ manifeſta veſtigia deprehendo. Non poſſum ſatis admirari tam ſpecioſam tot rerum florentiſſimarum & in cœlo, & in terris imaginem; illam ſupra nos aſtrorum ſiderumque pulchritudinem. Hæc ſiquis ſecum curioſè conſideret, ô quàm affabrè, quàm docta manu hæc cuncta perpolita! quàm certos difinitoſque motus fabrica hæc divina in ſe habet!

habet! quam illa fatali ſuâ lege ordines obſervat! ſi exacte hæc omnia contempler, ô quam ubique cœleſtis ille Apelles artificio ſuo cuncta complexus! Supra me ſuis rutilantem radiis ſolem, tanquam aſtrorum ducem intueor. Tam accurata circulum ſuum ſingulis annis, per duodecem cœli ſigna decurrentem; diem ac noctem diſtinguentem. Qui radiante ſua luce terram illuminat, à cujus acceſſu, & ingenti æſtu terræ ſeges arborumque fructus maturantur. Luna cæteræque ſtellæ, quæ *errantes* vocantur, ſunt tanquam faces inter denſas noctis tenebras, lumenque homini pecudique præbent. Solem veluti regem ſuum colunt, obſervant, venerantur. Neque latum unguem à ſtatione ſuâ, in qua ſunt collocatæ, recedunt. Quam verò pulchrè continuata ac perenni motione ſua ſurſum deorſumque fertur! qui ita inter ſummum cœlum, imamque terram eſt collocatus; ut certis veluti cancellis limitibuſque contineatur, nec ſepta metaſque tranſiliat. Vt tam hominem, quam bruta animalia recreet, reficiat, foveat, conſervet: Nec tamen crebro aſſiduoque uſu conſumatur. Si ad inferiora me converto, terram ſuo depreſſam pondere videbo: quâ omnium noſtrorum parens: ad quam prima cujuſque origo producitur, *per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus*. Quæ fidæ nutriculæ inſtar, nos primò in hanc lucem exceptos alit ac fovet. Etiam deſertos ab aliis gremio ſuo tegit; floribus, herbis, frugibus, fructibuſque non neceſſitati modò inſervit; ſed & voluptati. Illa non anguſtis ſpatiis definitur; ſed in ſe varias ampliſſimaſque regiones continet. a) Quarum multas nobiles ac potentes exiſtimo, ſive ob ſitus amœnitatem, ſive agrorum fertilitatem. Hic agri bene culti, vineta læta, novis rubentia coloribus prata occurrunt. Hîc hortos omni florum fructuumque genere vernantes,

a) *Rerum creaturum præſtantia.*

nantes, inque iis diverſorum colorum floſculos pulchrè ridentes conſpicio. Quorum alii cœli, alii nivis, alii alios colores referunt. qui non ſolum oculis colore, ſed & naribus gratiſſimo odore adblandiuntur. Ut vere de illis dixerit Poëta.

Hic ver aßiduum atque alienis menſibus æſtas.
Bis gravidæ fruges, bis pomis utilis arbos.

Non hoc loco Fluminum perennitates; non fontium commendabo liquores: qui non areſcente venâ, ſed aquis puris, limpidis, guſtu ſuavibus ſcaturiunt. Nihil de vaſti Oceani imperio, de fluctuum immenſa hîc dicam mole. A pelago ad continentem transeo. Quàm hic multa ſunt, quæ meritò in ſtuporem me compellant. Multæ civitates loci natura, & ubertate agrorum celebres ac illuſtres, & vere felices, ſi hominum mores, ſi rempub. ſi illarum leges conſideremus! Aliæ mœnibus & propugnaculis, vallis foſſiſque ita munitæ, ut avertere potentiſſimum hoſtem; civibus ſuis ſecuritatem parare poſſint. Aliæ ſic montium jugis defenſæ, ut ſuperari à nullo unquam hoſte queant. Aliæ fluminum repagulis atque clauſtris ſic cinctæ, ut plane inviolabiles adverſum belli ardorem videantur. Nihil hic optimarum rerum deſideres. Suppetunt negotia. Sunt in promptu alimenta; bellaria, commeatus, condimenta terrâ marique rerum præſtantiſſimarum. Videas hic multos marmora ex intimis terræ viſceribus eruere, quæ excocta & ſubacta in uſum tectorum præparantur. Hymettiis columnis, Pario lapide ædificia ſua adornare. Improbamus tecta humilia, arcta, tenebroſa; domi pomœria, auri argentique laminas, Indorumque gemmas in deliciis habemus. Pocula errant in conviviis argentea, vaſa cœlata. Gratæ ſunt in parietibus tabulæ pictæ, ſtragulæ pretioſæ, Alexandrina tapetia.

a) Dii boni! quam nobis ſub manus naſceretur ampla

a) *Rerum Creatarum admiratio & varietas.*

ampla dicendi materies. Quam Africa aliquid ſemper parit novi! Quam Aſia, America in ſuis ſpinetis atque occultis terrarum horrenda, deformia, difformia monſtra producit! quam ubique per terras inhorreſcimus ad occurſum Tygrium, Luporum, urſorum, ac ferarum ſylveſtrium. Quarum aliæ cœlo fruuntur liberè; aliæ in agris, in ſylvis, in vivariis degunt. Horum omnium varietas immane quantum nos afficit atque oblectat! illa mollibus ſuis plumis, aliiſque pretioſe integuntur; iſta duro tergore, firmiſſimoque corio. Audias hic leonem rugientem, illic Elephantem barrientem, iſtic quadrupedem hinnientem audias; aliaque animalia, alios ſonos motuſque imitantia. Quam imprimis, inter reliquum illum concentum, gratarum avicularum divina illa muſica; quando voce & modulamine ſuo tam lepide varieque cantillant.

At verò, ſi principem creaturarum, Hominem, in theatrum & conſpectum prodire facio, me hercule, hoc nihil ſpecioſius à Deo Opt. Max. creatum ſol unquam adſpexit. In illo ſparſas & diſſeminatas per omnem mundum dotes ſuas natura colligit. Erectum illum ad cœli conſpectum, Deum colere, res cæteras moderari voluit. Ille non roſtro adunco & intorto, non oculis crudelibus, non rictu minaci. Sed benevolentiæ, amoris, concordiæ in homine ſigna, divina manus expreſſit. Sunt lumina nobis blanda, amica; non trucia, non aſpera. Sunt lacrymæ commiſerationis; ſunt riſus hilaritatis jucunda indicia. Vox eſt lepida, articulata, blanda. cum aliis noſtra cogitata conferre, atque explicare poſſumus. Valent noſtræ manus ad quæſtum familiarem; valent ad ſcite pingendum, ad aurum argentumque cœlandum, ad domos ædificandas, ad ſutoria, ſartoria, textoria, & reliqua officiarum opificia perite eleganterque præſtanda, valent.

O Divinæ majeſtatis graphicam manum, quæ in

omnibus rebus tam auguſta imagine elucet. O admirandæ ſapientiæ documenta: quibus terra marique cuncta ſe produnt!

a) Hæc tamen omnia *HH. Audd.* de quorum decore & præſtantia ad vos verba feci, eheu! brevi temporis intervallo in ſui ruinam ocyſſime maturant. Mors, inquam, illacrymabilis cuncta conſumet, evertet, conficiet. Nec tantum nos homines, qui brevis & caduca res ſumus: etiam regna terrarum, atque urbes potentiſſimæ, quamvis ſua vetuſtate glorientur, aliquando in ſervitutem fati venient. Ingentes ſtructionum moles, regum ſpecioſa palatia, villæque incolis frequentes, tandem à dominis ſuis deſertæ collapſæque deformi ſitu ſquelleſcent. Solem obſcurari; inuſitatis tenebris cœlum aliquando perfundi videbimus. Iacebunt in contemptu divitiæ & opes. emorietur formæ & gloriæ decus; intercidit univerſi mundi pulchritudo; vaſta & inculta relinquetur terra. quæ jam ad pariendas fundendaſque ex ſe fruges parata conſpicitur. Elementa ſponte ſua deficient, ac peſtem & venenum ſuum concipient. Denique ingentium imperiorum magna faſtigia (quanquam nulla vi facile labefactentur, ſuoque loco dimoveantur, oblivione humanæ fragilitatis fœdè collabentur. Nulla uſquam tam opulenti ædificii ſtructura, quæ non communi aliquando interitu in nihilum recidet. Nulla veſtis ſic auro & arte ſua ſquallens, nulla ſic tabula ad vivum expreſſa, quæ non ſenio ac vetuſtate conficietur.

Eheu, nihil ſub ſole tam ſtabile, quod non ad fatalem ſuum terminum ſtrenuè decurrat. Hanc rerum inſtabilitatem potentiſſimæ regiones confirmant, quæ quanquam diutiſſime floruerunt, ad metam & metum ſuum properè feſtinant. profectò non ſine lachrymis triſtem de hominis fragilitate cogitationem ſuſcipere poſſum. Cui nihil à natura

a) *Omnia interire quæ nata ſemel.*

natura, & primis unguiculis magis inſitum inditumque, quam ut aliqua moriendi neceſſitate de medio tollamur. Nulla morti eſt mora; nulla tam ferrea aut fera ætas, quæ non durum ſuum caput neceſſitatis iſti telo ſubmittet. Non civium opulentia, non ipſa Terrigenûm fortitudo ſæviſſimam lethi falcem unquam detrectabit.

Præ lachrymis, inquam, totus langueſco; obmuteſcit lingua; hærent defixi in terram oculi, nec me auſim in hunc vitæ humanæ labyrinthum profundius dimittere. Vos, mei Collegæ, oro rogoque, ut mihi in partem veniatis oneroſi laboris, ut juxta lacrymas, veſtrum quoque dolorem plenis hic fontibus aperiatis. Omnia mortalium *oblectamenta fortunæ arbitrii ſubjecta citò affluere, citò dilabi paucis doceatis, & nos miſeros mortales, qui niſi momentaneum præ nobis ferimus ſplendorem ac fuliginem, brevi, inquam, in pulverem primamque noſtri originem, magnam illam matrem, Terram, ituros.*

DIXI.

ORATIO LV.

De Rerum humanarum interitu in ſpecie.

CORNELIUS DAELDER, *Alcm. Batt.*

IUſtus tuus dolor, mi Collega, quem ex rerum humanarum fragilitate percepiſti. Iuſtiſſimus, in quam dolor tuus. Nedum ipſe Oceanus omnibus ſuis undis; non nimboſæ in cœlo hyades ac Pleiados ſatis ad fletum & lachrymas te impellant. *Omnia enim orta*, ait ſapiens Romanus, *occidunt, & aucta ſeneſcunt.* Adeoque, ut nihil tam ab arte elaboratum, tam à cura induſtriaque perfectum, tam ab ingenio perpolitum; quod non tandem tacito annorum decurſu ac vetuſtate intereat. Videbar initio tui ſermonis mi Collega, ad ſeriam me

animi lætitiam commoveri. Imo, in cœlum & Deorum illa admiſſum penè contubernia. quando de noſtra felicitate hominumque in terris beata mortalitate verba faceres. quando de pulchritudine, & præſtantia hujus univerſi tam lætè lepidéque gauderes. Planéque divinam domi foriſque rerum omnium copiam & luxuriem meis oculis proponeris. Cum circumfluum aërem, auricomum Solem, vagam Lunam, ardenteſque cœli ſtellas intueri me faceres. Et omnia rerum humanarum pulcherrima atque admirabilia ornamenta in brevi quaſi tabella complecterêre. At verò, quàm brevis hæc mea voluptas! Vah! quàm ſubito lapſu de fortunæ præcipitio humilis in terram cado! Vellem gratulari poſſem humano generi de ſtatu tam ſplendido atque excellenti. Sed, me miſerum! quantâ de ſpe decidi! in quam Lernam & abyſſum miſeriarum abripi me video! En Heraclite ſapientiſſime, tuos, amabo, oculos imbreſque mihi ſuppedita. Falſis ego rerum humanarum imaginibus deceptus ſum, miſer. Nihil prorſus uſquam reperio, quod vel aliquem mihi læti animi ſenſum guſtumque ſufficiat. Vos, quæſo H. A. patiamini non invitè; Quod paulo fuſius humani generis calamitatem deplorem; & quàm omnia mortalium intra fluxi temporis terminos conſtituta, brevi ad metam & interitum ſuum feſtinent, paucis oſtendam. Pudeat, a) nos homunciones, tanta cum veſania ac furore in fluxas mundi opes incumbere. Ita totum terrarum orbem armorum ſtrepitu inflammare; adeo ad clavum imperii ambitioſè contendere. Non aliter quàm ſi nobis immortalitas & Deorum felicitas eſſet parata. Stulti, certè, Reges Principeſque, qui pro magnitudine imperii *in bello hyemem, æſtatem, inopiam & laborem juxta tolerant*. Qui pro victoriæ nominiſque ſui gloria, non inhibiti viarum aſperitate, non cœli

a) *Increpatio ad male vitam agentes hîc brevem.*

cœli inclementia, non pelagi jactatione, in remotiſſimas regiones trajiciunt. Quæ vos larvæ atque intemperiæ exagitant, ô puſilla pectora! Quid animi tibi fuit, *Alexander Magne*, ut in hoc exiguo vitæ curriculo tantis te laboribus lancinares, frangeres? ut orbem terrarum armis, cadaveribus, cruore atque luctu compleres? Quæ tibi mens, ô *Cyre*, ut Babyloniorum opes, ut Medorum imperium in favillas & cineres redigeres? ut Perſicum nomen opibus, victoriis adeo illuſtrares? Quid argumenti, miſelli Reges, quod tam ſtulte ſtolidéque inanibus rerum ſtudiis regnorum potentiam vobis pollicemini? Omnia illa regna, quæ poſſidetis; de quibus cum hoſtibus periculoſe præliamini, ad certiſſimam ruinam & interitum ſuum contendunt. b) Certè; pleni omnes ſunt libri, plenæ ſapientum voces, plena exemplorum vetuſtas fragilitatis humanæ. *Fuit olim pollens potenſque Græcorum poteſtas; ſtetit in honore nobiliſſimum Perſarum imperium; floruit potentiſſima Aſſyriorum Monarchia:* At nunc converſa in pulverem Troja.

——Fuit Ilium & ingens
Gloria Dardanidum——

Narrat omnis ætas & deinceps narrabit, quàm fragili loco Res Regum & Principum ſint poſitæ; quàm caduca horum felicitas; quàm ſceptra & Coronæ per ſe parum tutæ ac ſecuræ exiſtant. Quamobrem extremæ dementiæ eſt, ex ſecundis rebus ferocem fieri; animos ſupra humanæ ſortis faſtigium efferre. Adeo, ac ſi nunquam ulla tantis gaudiis intercedere poſſit ægritudo. O ſtultam & inanem confidentiã! hui homunculi quanti ſumus!

Quos aliquando dies vidit veniens ſuperbos.
Hos dies vidit fugiens jacentes.

Fruſtra nos homines in hoc turbido mari tanto cum ſudore, tantis cum vigiliis urbes & opere & naturâ munitas ædificamus. Fruſtra tantis ſumptibus

a) *Regnorum occaſus.*

ptibus innumerabilem equitum peditumque turbam in campos producimus. Fruſtra divitiarum falſa oſtentatione fortunam noſtram jactamus. Breves & mutabiles vices rerum ſunt; caduca & fragilia poſſidemus, puerilibus conſentanea crepundiis. De maximarum civitatum potentia & occaſu ſi quid me dicere hoc loco patiamini: Dii boni! quàm præ oculis vivos hîc teſtes & imagines alternantis fortunæ habemus; Alia flammis & ferro ſunt everſa; alia aquarum inundationibus abſorpta; alia fato & vetuſtate infeliciter oppreſſa. Regiæ pecuniæ atque potentiæ cum precioſiſſimis rerum ſuam ruinam ſunt expertæ. Dicite, a) *Amabo, ubi nunc illa Carthaginis alta mœnia? ubi ſtupenda illa Epheſus? Ubi illa delubra tot Regum maximorum ſumptibus exſtructa? nonne Vulcani hac violentia tam diu ceſſêre?* Inde Perſepolim totius Orientis Regiam adeamus, unde tot gentes jura petebant, nonne flammis commeſſabundi Regis deperdita? Tu caput orbis, ROMA, in theatrum prodi, *cui par nihil, nihil ſecundum: Quâ nulla unquam reſpublica major, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Obſtupeſcunt poſteri imperia, provincias, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, monumenta, munera, triumphos audientes & legentes tuos in quâ tot Imperatores, tot patres, tot viri domi nobiles egregiique habitarunt: qui omnes armorum virtute atque robore memoriam ſui quam maximè longam effecerunt. Olim tua gloria decuſque per omnes terras clara atque inclyta fuit:

Qua parte debacchantur ignes,
Qua nebula pluviique rores.

Ubi verò virtus tua langueſcere cœpit, tota immutata es, ex pulcherrimâ peſſima ac flagitioſiſſima gentium evaſiſti.

a) Ita

a) *Vide ſupra orat. de Rerum Hum. inſtabilitate.*

a) Ita res humanæ, H. A. prono ac præcipiti gradu ad ruinam ſui progrediuntur. Nihilque luminum ille pater Sol ex alto deſpicit, quod non aliquando ipſa mortalitas ſuis tenebris ſilentiiſque involvet. Deteſtor inſanos & inanes hominum labores; quando video, quod rerum omnium eventus tam miſero ſe fine determinent; nihilque tam præclarum quod vel in pauca ſæcula ſui prætium tranſcribat. Quod, quicquid longa ſeries multis laboribus, multa Deûm indulgentia ſtruxit, id una dies ſpargat ac diſſipet. *Reſpiciamus ad celeritatem rapidiſſimi temporis, & cogitemus brevitatem hujus ſæculi, per quod citiſſime decurrimus.* Profectò, quotidiana nos docent, in quanta rerum humanarum volutatione nos indies jactemur. Fruſtra, mortales fortunas & facultates noſtras computamus; fruſtra fluminum alveos in tam anguſtum deducimus; montes complanamus; terræque faſtidioſi domini ſumus. Peregrinantes vitam noſtram tranſigimus, *perque ignes incedimus ſuppoſitos cineri doloſo.* O quam magnis iſti erroribus tenentur, qui jus dominandi trans maria cupiunt mittere; Oceanum cum *Xerxe* navium claſſibus conſternere; altero ſub ſole metalla & marmora ex intimis terræ viſceribus eruere; aurum argentumque, tot malorum irritamenta, in ſui caſum effodere. *Nunquid erubeſcimus ſumma apud nos habere, quæ ima terrarum fuerunt?*

b) Prodigioſiſſimæ fuerunt Pyramidum ſtructuræ, illa Ægyptiacæ opulentiæ monumenta. Prædicantur hiſtoriarum antiquitate Obeliſci: quos elati fortunæ proſperitates Reges montium venis exciderunt. Olim in honore fuerunt Regum portentoſa ſepulchra & Mauſolea. Præterea Cretenſium & Lemniorum Labyrinthos; Semiramidis Euphrati, Xerxis Iſthmo, Cæſaris Rheno, Nervæ

T 5 Danubio

a) *Omnia, quæ nata, occidunt.* b) *Opera manuum interierunt.*

Danubio injectos pontes. Vbi nunc vel unum apicem umbramque de tam inſignibus operum miraculis invenias?

Nunc ſeges eſt, ubi Troja fuit——

Ruit alto à culmine nobiliſſima Corinthus, Babylon, Tyrus, & tot urbium regnorumque ſpecioſa nomina, corruerunt. Et noſtra præſens hæc ætas, ſi quid ſupra modum ſuperbè machinetur, ad ultimum quoque limitem, ſuique excidium properando feſtinat. Rideo illos homines; *qui conviviis, qui plebeculam ſalutando gratiam ſibi quærunt; Qui neſcio, quàm futilibus negotiis intenti, vitam ſuam per otium ac inertiam traducunt.* Videre liceat domos atque villas in urbium modum exſtructas, parietes advectis trans mare marmoribus fulgentes, tecta auro mirè variata, intus omnia ſignis, tabulis pictis, adornata; aureos denique lectos, gemmas, atque illam tot rerum ſupervacuarum ſupellectilem. *Multi quod turpius eſt, veſcendi cauſa terra marique omnia exquirunt.* Cum Vitellio nil niſi, quam Scarorum jecinora; Phaſianorum & Pavonum cerebella, linguas Phœnicopterum, Murænarum lactes cupiunt. *Videre cum nauſea nunc licet infinitas culinas & concurſantes inter tot ignes coquos,*

——Epulaſque ante ora paratas
Regifico luxu——

Alii filorum pilorumque nodis ac cincinnis adeo ſe diffundunt, ut totos ſuo corpore Cenſus gerant, ſuique luxus planè immodicos inſtituant. *Incedunt ſuperbi calceatuque & cætero veſtitu neque patrio, neque civili, ac ne humano ferè utuntur; ſed cum Alexandro ſpreto mortali habitu Divinum æmulantur.*

O ſtultos & inanes! qui Æacidinis minis animiſque tam tumidi expletique inceditis. Qui in caducis futilibuſque terræ ſordibus ſpem vitæ repoſitis. Cor mihi guttatim contabeſcit, & quaſi in

aquam indideris ſalem: ubi hæc humana ad trutinam melioris judicii expendo. Vtinam, *tu mi Collega*, non flebiliore oratione me excipias; leviter tantum ſtrictimque rerum humanarum vanitatem exſculpſi. Modò in ruderibus convulſæ Carthaginis Corinthique ruinis ſubſtiti. Cineres & favillas tantum urentis Trojæ ventilavi. *Tu age, mi Collega, nobiliſſimum creaturarum, Hominem, in fatalem quoque metam impingere breviter nobis oſtende.*

DIXI.

ORATIO LVI.

De morte & interitu hominis.

HENRICUS VREBURCH,
Alcm. Bat.

HA. Nedum ſiccis ego oculis te intueor, mi Collega, qui adeo me in adyta, & atrium fortunæ alternantis immiſiſti, ut vix guttam ſanguinis in imis præcordiis mihi reliqueris: Satis mea ſponte infelix eram, certum exploratumque habens, non tantum orbis hoc domicilium ruere aliquando debere, ſed & ipſius Ego, omnium creaturarum, princeps *Homo*, hiſce oculis qui diem hunc cerno, hac lingua, quâ nunc loquor, eheu! intra breve tempus, vitam cum morte commutaturus. Eadem fortuna, quæ cæteras res mortales conglutinat, hæc noſtra eſt, & poſterorum. a) *Quiſquis enim ad vitam ørditur, ad mortem deſtinatur. Omnes ad exiguum ævi gignimur, adeoque velociter, dati temporis ſpatia decurrunt, ut non immeritò Philoſophus Stagyrita, de rerum naturâ, tanquam de generis humani noverca* conqueſtus fuerit: brutis animantibus hoc datum eſſe, ut quina aut dena ſæcula ſupervivant, homini verò in tam multa ac magna genito, tantò citeriorem terminum conſtituiſſe.

a) *Seneca*

Igitur vos mecum de vitæ humanæ calamitate H. A. quantum poteſtis, in fletum, & lachrymas prorumpere deſidero. Quiſquis, inquam, veſtrum miſerrimi mortales, ſuum caſum & ſortem deploret, talemq; ſe ſe agnoſcat, qui contra fatorum violentiam, & ultimam rerum lineam *Mortem*, nunquam ſartus tectuſque ſubſiſtere poſſit. Præeo fatali nunc lege, & majorum noſtrûm tumulos, atque cineres vobis in conſpectum produco. Vos ſi per lachrymas commune noſtrum funus cohoneſtare poſſitis, atque huic univerſo ultimum ſuum honorem, ac juſta perſolvere, tantò facilius præficæ hîc munus exequar, & rationem fortaſſe inveniam, quare multò minus decretorium ullum diem, formidare aliquando poſſum. Adeſte quæſo, hîc omnes mutatâ veſte, & de communi noſtrum omnium exitio, me dicentem benignè, quæſo, proſequimini.

a) Vah! quàm ſtolida, quàm inanis mortalium conditio! qui ſic ad improbitatem & mala ſumus proclives. Quin tam mundana, & fragilia diligimus adeoque in vitâ de ventre, ac corporis ſaburra ſoliciti ſumus; tanquam æternum hîc in terris victuri, & nunquam corporeis hiſce vinculis emigraturi. *Quicquid enim ætatis retrò eſt, mors tenet.* At quis ille unus è tot millibus, qui huic veritati, ac ſententiæ ultrò ſubſcribat? Aliorum funera ne quidem nos tangunt; ſenes, juvenes, æque cæcutimus. Nemo ab aliis exemplum ſumit. læti vicinis noſtris parentamus. Penè ad ſcrobem & tumulum (proh hominum dementiam) helluandi ac pergræcandi plurimis cupido eſt. b) *Animus noſter, oblitus fatorum, audax, ſubdolus, varius, immoderata, incredibilia, nimis alta ſemper cupiens.* cujuſlibet rei ſimulatores, ac diſſimulatores ſumus. Amici de tabula & medio demigrant? Flocci non pendimus. æra altis pendula turribus, perſonant noſtra

a) *Miſera conditio hominum.* b) *Salluſt.*

ſtra limina & aures? Aliena hæc putamus. Sæpe luſum, & materiem alii hinc ſumimus. Adeſt, & oſtia pulſat Pollinctor? Quis memoriam ſui fati hinc mutuatur? O mentes ignaras futuri! *O homo quantula res ſumus!* Creſcunt indies in civitate corrupti mores! Pellitur de foro juſtitia. Fides, pietas; Religio nuſquam tutum larem invenit! Iurgia, diſcordiæ, ſimultates invicem exercemus. O tempora! O mores! Vbinam gentium ſumus?

a) De vitæ termino, aliquis cogitationem ſubeat ſuſcipiatque? Ille tribus Anticyris, omnique helleboro ad contumeliam penè dignus judicatur. Mortem omnibus, natura propoſuit. Quippe,

Omnes una manet nox,
Et calcanda ſemel via lethi.
Æquo pulſat pede pauperum tabernas
Regumque turres.
Tendimus huc omnes, metam properamus ad unam,
Omnia ſub leges mors vocat atra ſuas.
b) *Enavigandum, ſive Reges,*
Sive inopes, erimus coloni.
Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum, quas colis arborum,
Te præter inviſas cupreſſos,
Vlla brevem dominum ſequetur.
Abſumet hæres cicutâ dignior,
Servata centum clavibus.

Hoc naturæ humanæ penſum abſolverunt, primi noſtri parentes, licet multa ſæcula, & ætates fecerint, ipſum generis humani caput, *Adamus*, quamvis in longum vitæ uſuram produxerit, lenta tamen morte confectus. Vltra nongentos annos, *Enochus*, fuit, tandem ille ſuo fato extinctus. Quis *Methuſalem* ævo provectior? Nonne in cineres & rogos demum conceſſit? Mitto reliquam manum, & copias tot priſci ævi virorum avorumque, quos omnes

a) *Moriendi neceſſitas.* b) *Horatianæ*

omnes una Nemeſis è viventium contubernio abſtraxit.

Nonne manifeſtum ſatis, quam nos omnes inexorabili lege fata conſtringant? Quam eadem conditio genus humanum invicem conjungat? Quis ille tam ab homine, & humo alienus, qui moriendi neceſſitate ſe unquam ſubduxerit? Quis vel per ſomnium cogitare auſus, ſe ſolum à mortis ſervitio liberum fore? Equidem optimo jure, amentem, & inſanum hunc æſtimem, qui æterni hîc quidquam exſpectat. Periclitare hanc ſtultitiam tuam, *Atheiſta* incredule. Contemne ſtrictam tuis jugulis falcem; Pollicere tibi immortalia, & juventæ hunc florem. Viden' quid dies hodiernus te doceat? Quid vitæ noſtræ ſine intermiſſione profluens clepſydra te moneat?

a) *Omnium verſatur urna, Serius, ocius,*
Sors exitura.

O quam ſtultum eſt, ætatem noſtram diſponere, ne craſtino quidem dominamur! O quanta dementia eſt, ſpes longas inchoantium! *Properemus vivere, & ſingulos dies, ſingulas vitas putemus.* Reſpiciamus rapidiſſimi temporis celeritatem, per quod citatiſſimi currimus. Hîc verè ſapit, qui quotidie vitæ ſuæ ſummam manum imponit. Quantum ad ævi ſpatia, juvenes, ſenes in æquo ſumus. Sine aliquo, inquam, diſcrimine, omnium noſtrum corpora, mortalitate damnata ſunt. *Mors ſola fatetur, Quantula ſint hominum corpuſcula.*

b) *Æqua lege neceſſitas,*
Sortitur inſignes & imos.
Omne capax movet urna nomen.
Mors & fugacem perſequitur virum,
Nec parcit imbellis juventæ,
Poplitibus, timidoque tergo.

Sive fumoſis imaginibus inclareſcimus; ſive de humuli tugurio ac caſa oriundi, pari lege ad Acheruntem,

a) *Moriendi neceſſitas.* b) *Horatiana.*

runtem, miſelli, properamus. Nihil hic juverit ſtemma inſpicere, aureos montes jactare. Nihil eſt in familia multos conſules numerare; Nihil opes, pietatem, famam, virtutem, eruditionem gloriari. Hæc omnia illachrymabile fatum, triſtiſſimo poſt mortem damnat epitaphio.

Quò prius Anaas, quò Tullus dives & Ancus,
Pulvis & umbra ſumus.

Vita ſumma brevis ſpem nos vetat inchoare longam;
——Premit nox fabulaque manes
Et domus exilis Plutonia.

a) Vtinam! non acri hic ſtimulo Belgarum populum infeſtet illuſtriſſima Naſſoviæ domus memoria, nobiſque hoc uno miſerando ictu, fragilitas rerum humanarum in mentem veniat. Quo ſolo dolore, atque vulnere videmus quod nihil tam excelſum, atque inclytum exiſtat, quod ultra ſui limitem, vel latum unguem progredi unquam poſſit. Sed felicioribus in Belgio ſubſelliis, hoc triſte & tragicum relinquemus, quibus pulchra mecum materies ſupererit, de hominum miſeriis, atque ineptiis erudite diſſerere.

Meum hoc loco penſum eſt, A. H. ut non in uno Rege, aut Principe, fata noſtra deplorem; omnium urna & umbræ me vocant. Cunctorum funera & faces orationem meam inflammant. b) *Multa ſunt itinera quibus fata decurrunt. Naſcimur uno modo, multis morimur, & mille alia mortes inſidiantur huic animæ miſerrimæ.* Periit ſuo veneno Socrates; igne Mucius; exitio Rutilus; cruce Regulus; ferro ad mortem adactus Cato Quotuſquiſque non per ſupplicia contabeſcit? per ſtillicidia animam amittit! per gulam! per gladium! per immenſa denique malorum vitam præcipitat! Ille ex vino pallor, & nervorum madentium tremor majorque ex cruditatibus, quàm ex fame macies, quàm

a) *Vide Orationem I. De Principis FRED. morte.*
b) *Seneca.*

quam multos internecioni dedit! Verè dixit Divinus Philoſophus a) *Multos morbos, multa fercula fecerunt, terrarumque vaſtatrix, gula, immane quantum generi humano nocuit!* In illorum grege, & genere *Bonoſos, Bincongios, Tricongios, Tiberios* legiſtis: quos ad unum omnes, cum reliqua Epicureorum turba, ſua Nemeſis ſtrangulavit. b) Invenias, quem ſubita & inexſpectata fulmina extinxerunt; quos naufragium, aquarum vorago abſorpſit; Quos viarum aſperitas, ferarumque crudelitas laceravit. Apud Romanos *Curtius* dejiciendo ſe in præcipitem locum, fatum ſepulturæ miſcuit. *Cræſus* inter opulentiſſimos reges, poſt tormenta infelix obiit. *Anacreon*, acini granum glutiens præfocatus. Fabium Prætorem, potus cum lacte pilus exſtinxit. Fuit cui ſtiria gelu durata, tecto delapſa, mortem attulit; cui inter riſum, & gaudia, cum Sophocle mori contigit; Erit aliquando, qui poſt Tarquinium Priſcum ex piſciculi oſſe exſtinguetur. O miſelle homo, pulvis & terra quid ſuperbis? c) *O imbecillum, fragile, ſuapte natura inerme corpuſculum, aliena opis indigens, quid inquam, ſuperbis? Cum bene lacertos exercuiſti, cujuslibet feræ pabulum, cujuſlibet victima, alimenta tua metuens, quorum modo inopia, modo copia rumperis.* Mors omnes æque vocat. Iratis Diis propitiiſque moriendum; *Et ſi vivere te putes, ſi fulmen effugeris, petet te gladius, petet lapis, petet febris.* O incauta futuri mortalitas!

Sed ad ultimum illum ac decretorium vitæ diem me confero; ſi unquam nos poſſit rerum humanarum tædium ac nauſea capeſſere, puto, hoc tali imprimis ſpectaculo, atque argumento, nunc ſerio nos indigere, illud, *Commilitones*, ai quod proximè in ſepulchris fœdum, fœtidumque cadaver vidiſtis, cujus graveolentiam, honeſtæ, nares ferre non poterant! ad quod oculi, & ſenſus noſtri obrigeſcebant; hoc, inquam, impurum, putidum,

a) *Seneca*, b) *Varium genus moriendi*, c) *Seneca*.

dum, putridumque cadaver eheu! nos ſumus. *Ille capitis noſtri vertex, Samium vas eſt, & niſi teſta fictilis. Hi oculi noſtri, quid niſi humor diffluens? Iſta nares, aureſque, tam pretioſi ſenſus organa, quid ſunt niſi meatus aliquis ſordida putredinis?* Dicto ſit venia, hic venter, hoc abdomen noſtrum, quid eſt niſi fœdiſſima ſtercorum cloaca ac colluvies? ô homunculi quid ſumus! Nos humano patre, humanâ matre oriundi, vix amplius natalium noſtrorum meminimus? Illud lignum infelix, quod modò oculis meis intuebar, aut me, aut veſtrum fortaſſe aliquem intra paucos dies exportabit. Iſte ſub terra repens vermiculus, hoſce meos oculos, hæc ora, vultuſque veſtros exedet, ac deformabit. Hic ipſe dies, & hujus horæ momentum, quo non ſine lachrymis hic loquor, quis non alieni juris & arbitrii exiſtere mecum ex vero fatebitur?

Neſcimus, an adjiciant hodierna craſtina ſumma,
Tempora Dii ſuperi. a)

a) Horatius. DIXI.

ORATIO LVII.

De Animæ Immortalitate

PETRUS MARSIER, *Nobilis Haſſus.*

QUid eſt, chariſſimi *Commilitones*, quod tam perverſè, tam præpoſterè, de rebus humanis doleatis? Cur ſic faciem & genas iratis unguibus laceratis? Cur tam atrocia ab imis præcordiis ſuſpiria ducitis! & nobis adhuc vivis ac videntibus funebrem hîc pompam apparatis? Itane quiſquam noſtrum adverſæ deploratæque Fortunæ, ut niſi ad ſolos gemitus, ad ejulatus & ærumnas ab Opt. Maximo Deo infeliciſſimè fiat reſervatus? Longè Ego aliter de benigna Altiſſimi patris clementia ſtatuere meritò poſſum. Qui non per

per luctum & lamenta totius ævi nos totos elangueſcere ac deperire voluit; Divinæ rationis adminiculo nos benè uti, mentemque & animum noſtrum in honeſtiſſimos uſus impendere ſeriò deſtinavit. Igitur gravi mœrore & luctu abſtinere H. A. vos omnes volo. Gaudio potius atque hilaritudine exultate. Et, ſi nullum vobis in mundanis rebus præſidium, ſi nuſquam in terris ſolatium aut ſalutem invenitis, agite, ſuperas illas Deorum domos & ſiderum ſpatia contemplemini. Illic ſolum noſtrum natale; illic nobis perennes ac limpidiſſimi Gratiarum fontes ſcaturiunt. Nolite mihi funeſtas cupreſſos, flebileſque urnas ad aurem decantare. Removete omnes hinc præficas crudele ac triſte ſemper minantes. An aliquem unquam ſic contrarium, ſic ſiniſtre de rerum natura judicantem inveneris, qui exemptum ſe putet neceſſitatis illâ tabulâ? a) *Cui naſci contigit, huic mori reſtat, & ferenda hæc ſunt patienter, quæ corrigere eſt nefas. Nemo æs aut metallum perire dixit, ex quo ſtatua funditur, non illa perit liqueſcendo, ſed ad decus & ſui pretium honeſtatur.* Idem in nobis accidit, *qui ex informibus & infirmis in ſplendidam Dei imaginem tranſimus.* Licet omnia, quæ ſol adſpicit ſuis luminibus aliquando in exitium itura. Et ipſa hæc vox, & lingua noſtra, quâ modo animoſius ad vos verba facimus, tandem in fatalem ſuam impacta periodum, conticeſcet; eſt tamen quod de meliore noſtri parte, Animo, æternum manſuro, lætiſſimum triumphum inſtituamus. Omnia ſi ſeneſcant, & ipſe cum ſuis aſtris Dieſpiter deficiat; regnis & Regibus ſua mors veniat in ſolam noſtram animam nulla mors, nulla temporum injuria imperium obtinebit. Et quando vili fragilique hoc corpore emigrabimus, enthea illa parte noſtri ingenii cum Deo ex pari vivemus. Tunc ſupra omne mundi nefas & ludibrium evecti, habitu multo auguſtiore inter

a) *Lipſius.*

inter ipſa ſidera effulgebimus. Tunc dabitur

Cum Iove & Illiacâ porrectum ſumere dextra.
Immortale merum,
Tunc lucidas inire ſedes,
Tunc ducere nectaris ſuccos,
Et adſcribi poterimus quietis
Ordinibus Deorum. a)

Hic exſoluti caducæ carnis miſeriis amica cum cœlicolis ſocietate conjungemur. Hic in felici Servatoris noſtri gremio lætiſſimum triumphum agemus. Animus noſter velut ex diuturno carcere emiſſus, tandem ſui juris & arbitrii reddetur. Illic omnia humana è ſummo loco deſpicimus; illa cœleſtia & divina propius intuebimur. Quare ſi velimus feliciter & tranquillè vitam agere, ipſiſque Diis de felicitate controverſiam facere, agite, animum in expedito habeamus. b) *Æquiſſima mente exſpectemus hunc diem, quo Imp. hoc corpore, imò carcere nos exſolvet ac liberabit.*

Pereat & intereat *H. Audd.* omne hoc quod oculis noſtris intuemur. Et ne illò nos ulla abripiat veſania, ut inertia & caduca terrarum, ut bracteatam felicitatem & inanes umbras aliquo pretio æſtimemus. Fortuna ludum ſuum hic agit, & per lubrica ac præcipitia res humanas rotat. Tanto ſemper inferiores ſumma felicitate, quanto magis iſta peritura ac fortuita in animum ſinumque noſtrum admittimus. Quiſquis unquam ſeriò vitam volet agere, animi libertate generosè frui, impedimenta & curarum illas ſarcinas longè à ſe abjiciat. Contemnat vulgi dejectam humilemque fuliginem, totuſque alacris adurgeat, ut cœleſtem originem animum ſuum ad cuncta præclara & excelſa intendat? Libens ego in hoc agone præire cupiam, *Adoleſcentes*, qui à prima juventute hoc robore animum meum obfirmavi, ut ſuſque deque ſemper

a) *Reſurrectio Hominum & Animæ immortalitas.*
b) *Seneca.*

ſemper habeam, quæ rerum vices acerbè iratéque vel fortiſſimo cuiquam minari poſſint.

Si fractus illabatur orbis impavidum
Ferient ruinæ. a)

Quid enim erat, cur in numero viventium me poſitum eſſe gauderem, b) *an aut cibos & potiones percolarem? ut hoc corpus caducum & fluidum, perituumque, niſi ſubinde impleatur, farcirem? & viverem agri miniſter, ut mortem timerem, cui omnes naſcimur?* Tunc ſortis humanæ conſummatum eſt bonum, cum calcato omni malo, altum petimus; cum inter ſidera ipſa vagantes, divitum pavimenta ridemus, & totam cum auro ſuo terram. c) *O quam ridiculi ſunt mortalium termini? ultra Iſtrum Dacus non exeat, Strymo Thracas includat, Parthis obſtet Euphrates, Danubius Sarmatica ac Romana diſterminet, Rhenus Germaniæ modum faciat; Inter Ægyptum & Æthiopiam agrorum inculta vaſtitas jaceat.* Nos Batavi ultra Bactra & Indos, magnorum Regum æmuli, dominationem proferamus. O ridiculi, inquam, mortalium termini! d) *Punctum eſt, in quo navigamus, in quo bella gerimus, & regna noſtra diſponimus; quaſi formicarum diſcurſus in anguſto laborantium.* Surſum ingentia ſpatia, in quorum poſſeſſionem animus admittitur. Maximumque divinitatis noſtræ argumentum eſt, quod divina nos delectent; quod ſiderum occaſus & ortus ſpectemus ſecurè. e) *Noſtra omnis vis in animo ſita eſt, animi imperio, corporis ſervitio magis utimur. Alterum nobis cum Diis, alterum cum belluis commune eſt. Animus,* inquam, *Dux atque imperator vitæ mortalium.*

Vos *H. Audd.* Erigite animos aureſque veſtras, fretique ingenii viribus, ad glorioſam immortalitatis viam mecum contendite Mortem, quæ à malis omnibus nos ſecludit, quæ ſola ad æternitatem iter demonſtrat, forti, inquam, pectore deſpiciamus.

a) *Horat.* b) *Seneca.* c) *Idem.* d) *Idem.* e) *Salluſtius.*

mus. Nulla res magis proderit, ait Philoſophus, quàm cogitatio mortalitatis. a) *Id agamus, ut divitias potius à nobis, quam à fortuna petamus.* Nos miſelli ſapientum illa oracula contemnimus? Nos tam divinum elogium turpiſſimè faſtidimus? Sciendum eſt, in quàm tumultuoſum contubernium natura nos immiſerit. Totâ, inquam, vitâ diſcendum eſt mori. *Notorum ignotorumque funera, quæ quotidie præter oculos noſtros tranſeunt*, ad conſtantiam cohortari nos debent: Omnium enim dolorum ac malorum ſolutio & finis mors eſt. *Computemus urbium ſæcula, nonne hæc ipſa parum diu ſteterunt? quæ ſua quoque vetuſtate gloriantur?* Nonne tempus aliquando Alexandrum cum orbe & ſole deſinere? An in ſolido unquam ſtetit ſuperba fælicitas? b) *Solus animus divina hauſtus origine, ad ſuas ſedes & cognata ſidera recurret.* Hunc non ſenectus, non mors, non oneroſi corporis mala incurrant.

c) Hac divina noſtri parte, chariſſimi *Commilitones*, ſi pro re noſtra rectè uti voluerimus, hoc unum à nobis requiritur, ut egregiis virtutum ſtudiis animos noſtros pulcherrimè excolamus, ut contra vulgi errores, contra vitia hujus ævi nos totos opponamus. Diſcamus parvo nos contentos eſſe, & magnam illam vocem exclamemus: *Habeamus aquam, habeamus polentam, cum ipſo Iove de felicitate contendamus.* Non ſordidum panem pro vili habeamus, herbas non pecori tantum, ſed homini natas eſſe arbitremur. Fames te appellat? e) *ad proxima quæque tentatur manus, nihil contemnit eſuriens.*

Num tibi cum fauces urit ſitis, aurea quæris
Pocula? unum eſuriens faſtidis omnia præter
Pavonem Rhombumque?

Tunc demum nos admiremur, cum neceſſaria didicimus

a) *Seneca.* b) *Idem.* c) *Animi præclara officia.*
d) *Idem.* e) *Idem.*

dicimus contemnere. Nemo enim rem magnam facit, quod vivere ſine regio apparatu poſſit, quod aureos lectos & gemmeam ſupellectilem pro nihilo ducat. Hoc agamus, a) *ut quemadmodu pretioſa rerum, ſic vita noſtra non pateat multum, ſed multum pendat*; ut agamus vitam, non ut illam prætervehamur: *Optima divitiæ in animo, non in patrimonio ſunt poſita.* Hoc uno Rege incolumi, reliqua in officio manent, parent, obtemperant. Furor certe eſt, quod nemo noſtrum mortalem ſe cogitet, quod non majora nobis à geniali illa particula auræ divinæ, quam à fragili ſegnique corporis noſtri domuncula polliceamur. Ita eſt, proh! pudor b) *vitia noſtra, quia amamus, defendimus, malumus excuſare illa, quàm excutere.* Plurimi, quod pati divitias, honores, dignitates ſuas non poſſint, animi illud theatrum negligunt. Solum ad corporis paſtum, vitæque turpem inertiam, cum ignominia dejecti. b) *Qui equeſtrem cenſum conſumere, de culina cibiſque legem ſtatuere, ingens gloria opus exiſtimant. Qui Remp. quàm comam turbari malunt; interque pyxides ac redolentis animæ medicamina teneri, quam quicquam de officina bona mentis redolere: Immundiſſimis ſe excolere mundiciis, certare corporis mollitie cum fœminis,* arduum, *ſi Diis placet,* negotium *appellant.* In hoc viri, prô dolor! in hoc fœminæ tripudiant. Bonæ artis ac philoſophiæ curam pauci ſuſcipiunt.

Sed tempus eſt, ſignum dare receptui, & ſemel à vitiorum illo contagio, nos ad edita ac ſerena virtutum templa conferre. Unde ad illa æterna & immortalia facillimè trajiciemus. Satis circa terram hæſimus, & prima vitæ incunabula. Hoc uno magni atque excellentes ſumus, quod hoſpitalis hujus loci ſarcinas colligemus. Et ille aliquando dies adveniet, qui nos è terris evehat ac revelet. Qui ex contubernio olidi hujus ergaſtuli nos omnes

a) *Seneca.* b) *Idem.*

nes in poſſeſſionem æterni tranſponet. Vbi noviſſimum illud, inquam, velamentum, circumjecta hæc cutis cum gaudio nobis detrahetur. Vbi hæc omnia ex alto deſpiciemus, quæ vano & inani hactenus ſplendore ingenium oculoſque noſtros faſcinaverunt.

a) Hoc tanto magis properandum, *Commilitones*: maturè diſcenda virtus, ad quam nemo unquam caſu pervenit. b) *Voluptas planè humilis & puſilla res eſt. Una cenſetur felicitas, ſe mortalem meminiſſe fluunt enim dies, & irreparabilis vita decurrit*, fræno non remorante citatiſſimum curſorem. vaſa, inquam, colligenda ſunt, animuſque noſter ad majora informandus. Hoc agendum, c) *ne vitam noſtram ſilentio veluti pecora tranſigamus*; ne fortunæ ludibria ſub falſo aliquo nomine tacitè nobis obrepant; in noſmetipſos caute recedamus. Quæcunque vulgo placent, quæ caſus temere attribuit, prudenter devitemus. *Præter animum noſtrum nihil eſſe mirabile, nihil pulchrum ac formoſum, die noctéque cogitemus*. Magno curſu ac totis viribus ad bonam mentem & metam noſtri contendamus. Satis temporis & ætatis ſe nobis ignorantibus ſubduxit. d) *Satis cum virtute & ſummo bono, nunquam ſatis cum vitiis noſtris litigavimus. Habet hoc optimum in ſe generoſus animus, quod concitetur ad honeſta*; quod tantum ſupra ſe poſita, divina & cœleſtia ſpeculetur, quod nihil terrenum, nihil periturum cogitatione ſua complectatur.

e) Objice mihi nunc, *Commilito*, deforme iſtud ſpectaculum, corporis mei exuvias, ſparſa per medios campos oſſa albentia, truncas manus, deformia & exſanguia membra, diſſolutos disjectoſque artus; totam denique illam molem & materiam nobiliſſimæ hujus fabricæ, tot intus vermibus obſeſſam, arroſam, exeſam. Nihil eſt, quod de excellentium

a) *Hortatio ad Virtutem*. b) *Seneca*. c) *Salluſt*.
d) *Seneca*. e) *Solatium adverſus mortalia*.

lentium virorum ingeniis malè me habeat. Quorum fama atque gloria ſemper in vivis, ſemper cum ipſa æternitate perdurabit. Parum eſt imbecillum & fragile corpuſculum, onerosam veluti ſarcinam deponere, abjicere, contemnere. Parum eſt infinitis miſeriis & morbis obnoxiam hanc carnem cutemque iterum ſuæ origini, tenebris ac terris reſtituere. Nos animi hiſce oculis, deterſa ignorantiæ nube, propediem in cœlis fruemur. Hæc humana omnia falsè deſpicientes, coram ipſis Diis ac ſideribus in novam auguſtamque faciem tranſituri. Hoc unum tædia & labores hujus ærumnoſæ vitæ ſolatur, erigit, ſuſtentat; hac ſola ſpe fortes & felices ſumus. Fata ipſa ſuis itineribus velociter decurrentia nequicquam extimeſcemus.

Tu interea, ô alme & omnipotens Deus, *quandiu in hoc carcere & cuſtodia hunc animum noſtrum probè aſſervatum voles; fac utrique noſtræ parti, Animo & Corpori, conjunctiſſimis illis ſodalibus, cuncta proſperè cuncta feliciter eveniant! Eſto tu immortalis atque æterna; Florentiſſima Belgarum Reſpublica. Subſiſtite uſque in ſæcula, Vos potentiſſimi Patriæ Proceres; Vos Illuſtris Alcmariæ fortiſſimi Atlantes Ampliſſimi D.D. Conſules, Senatores, Cives. Pietas, Religio, Iuſtitia, tandem de cœlo in terras revertamini. Inclyta, & auguſta Muſarum hæc domus, diu ſarta tectaque maneat. Unde tanquam ex equo Trojano innumeri adoleſcentes procedant, qui Remp. qui Eccleſiam ſuis aliquando humeris atque igneniis feliciſſime tueantur, conſervent, ſuſtineant, illuſtrent.*

DIXI.

Hæ quatuor priores recitatæ Alcmariæ cIↃIↃCLXVII. *Examine vernali.*

a) Precatio.

ORA-

ORATIO LVIII.

De Vitiis Humanis.

GERBRANDUS SCUTTERUS, *Alcm. Batt.*

MAgna H. A. humanæ naturæ pravitas, magna animi ingeniique noſtri imbecillitas. Adeo, ut, præter divina & cæleſtia, quorum tantus apud nos contemptus ac neglectus eſt, nihil in nobis aliquo æſtimandum pretio merito reperiamus. Omnes, eheu! à natali vitæ die, in vitia, in malum proclives. Prima Infantiæ tempora de noſtrâ calamitate copioſè loquuntur. Adoleſcentia abunde teſtatur; Iuventus noſtra, vah pudor! infinitis exemplis indies clamitat. Hoc ipſum quotidie præ oculis videre licet in hac verſatili rerum humanarum ſcenâ. In quâ vix quenquam invenio, qui, juxta bonas artes, priſcos jam mores exprimit. Qui virtutem, qui fidem, qui pietatem ſerio exemplo oſtendit. Omnes à rectâ & regiâ viâ deſciſcimus; omnes in vetitum ruimus cupimuſque negata. Ad optimum diſciplinarum cultum; ad generoſi animi exercitium penitus langueſcimus. Tanquam bellum & arma contra fas & æquum nos miſelli expedimus. In riſum, in ludibrium hic ipſus veniſſe penè credatur, qui à vulgi more paullo remotior, inde ad veteris ſapientiæ arcana ac philoſophiam ſe tranſtulerit. Cum tamen omnibus illa gloria; omnibus illud veri honeſtique ſtudium ineſſe deberet; ut pro civili ſocietate, pro virtute, pro bonis artibus, animi induſtriæque nervum intenderent.

Vellem H. A. ex animo vellem, ne nunc hoc loco, in humani generis contumeliam, tot verba & teſtes ultro ſe mihi offerrent. Potius laudem & gratulationes in digna nobis poſteriſque argumenta juvenilis animi calorem uſurparem. Omnes

Catones, omnes *Lælios*, *Scipiones* vos omnes ſub meis hiſce oculis apparere, immane quantum, deſidero: Quorum animi ingentem diſciplinam, cum præclaris ingenii dotibus, ſuo nunc colore! & calamo egregie depingerem. Sed valde pauci ſunt, inter ſæculi noſtri mortales: de quibus jure & meritò gratulari poſteritas ſibi poſſit. In mera monſtra, in naturæ portenta, pro! nefas noſtrum, incurro. Vndique circum me video, hinc, inde, niſi infames ſcopulos, niſi Scyllas, niſi Charybdes. In meras Harpyias, in obſcœnas volucres, in aves ſtymphalicas me præcipito. Certè, cum *Antæo*, cum *Hercule* colluctari videor. Nihil mirum videri tibi poſſet *Diogenes Cynice*, ſi ipſa meridiana nunc luce, ut olim, hominem in medio foro inveneris, omnibus numeris perfectum, abſolutum.

Quam primum orationis meæ limine egredior, mox ater alienus canis per impluvium incidit. Et, neſcio, quæ mala avis, cuncta infauſta, cuncta ſiniſtra, mihi portendat. Tu mihi primum aurem hîc vellis, ſuperbiſſimo mortalium a) *Macedo*: qui dudum tuæ ſortis ac natalium oblitus, jam non amplius *Philippum* patrem, ſed generis tui autorem *Hammonem* illum *Iovem* agnoſcis. Ab hac tua ſtirpe, magne Rex, quam plurimi nepotes deſcendunt: quos, neſcio, quàm vana & inanis ſui capiat oblivio. Reliquos mortales alto quodam ſupercilio deſpicientes, in ſuam magnitudinem ſoli ſemperque defixi. Quod genus hominum, meo certè, indicio, non meretur amabile hoc ſolis lumen intrueri; aut pari cum cæteris dignitate in hoc mundi theatro ſupervivere. Nihil enim, quod magis humanam indolem depravet, quàm cæca ignorantia ſui. Nihil quod cum periculo majore, quod cum pluribus miſeriis conjunctum, quàm illos longè infra ſe ponere, quorum vita iiſdem auſpiciis, iiſdem gradibus aſcendit, deſcendit; odioſa in vulgo

a) *Superbia*.

Digitized by Google

vulgo res eſt, turpiſſimæ avaritiæ aſſiduo imperata facere; vel peſſimæ adulationi fœdè diſtrictum eſſe; aut aliis plerumque vitiis animum ſuum mentemque addicere. Omnes in invidiam, in odium; in luxum, arma & rabiem noſtram acuimus. Omnes vitæ inertiam, gulæ intemperiem meritò deteſtamur. At nulla tam venenata humano generi peſtis unquam exſtitit; quam indigna honeſtis auribus animiſque, ſolenni tamen titulo quam plurimis hodiè imponens, inviſè dominatrix *Superbia*. Quæ ſola hominem ad malitiam, ad temeritatem, ad ineptias, ad tot prava conſilia crebrò impellit. Quæ primævam ingenuitatem planè diſcutit, famam deſtruit, honorem noſtri nominis perpetuâ contumelia deformat, devenuſtat. Homo enim inani faſtu turgens & ſupercilio gravis, inſolita rerum imagine oculos paſcit. Non divina, non cœleſtia, ſuſpicit ac veneratur. Pietatem, virtutem, infra ſe ducit. Hoc unum unicè inſtituit, ut ſupra alios toto vertice emineat; ut ſolus in ſcena perſonam agat; ſolus ſuum caput cæteris omnibus adorandum proponat. Credo, hoc hominum genus cum *Caligula* in Capitolio domum jam dudum exſtruxiſſe, ut videantur hic una cum *Iove* habitare. Aut eò dementiæ & ignorantiæ ſui proceſſiſſe, ut cum *Demetrio*, cum *Maximio*, cum *Antiocho*, ſuos nobis pedes manuſque oſculandas prabeant. Quid eſt ô febriculoſi mortales, quod à ſordidis opibus, à potentia ſic lubrici imperii, tantos vobis animos & criſtas aſſumitis? Videte, amabo, illum gregem hujus vitæ ac diſciplinæ veſtræ. Nemo, mehercule! ex tota hac turba unquam exſtitit, qui, in tantillum, famam ſuam protendit; qui hac tali opinione vel minimam ſuo nomini & triumphis magnitudinem adjecit.

Agite, *Chariſſ. Commilitones*, quemadmodum cætera in vulgo vitia prudenter præterimus: ita etiam hanc natu maximam Orci filiam, dominatricem

tricem Superbiam. totis animis viribuſque quam longiſſimè à nobis propellamus. Ad ſingularem modeſtiam, ad egregiam vitæ integritatem, proni propenſique ſimus. Supra alios magnificè nos efferre, caveamus religiosè. Neque ſortem noſtram, qua omnes ex pari vivimus, gloriosè minus intendamus. Si fortaſſe liberior nobis cenſus aut pecuniæ modus acceſſit, non ilicò nos ſubnixis in cœlum alis extollamus. *Sed quantò ſuperiores nos ſumus, tantò ſumiſſius nos geramus.* Valeant *Iuliani* iſti, *Domitiani*, *Ariſtippi*, *Cyri*: quibus intra humanæ ſocietatis terminos conſiſtere, nec regium, nec honeſtum ſatis viſum fuit. In hoc famæ magnitudinem collocemus, ut pietate, ut virtute, ut niſi ſola ſolidaque animi præſtantia ſuperbè inter homines inambulemus. a) *Virtutem enim non flamma, non ruina inferius adducit. Hæc una illa eſt majeſtas, quæ deprimi non poteſt. Ingenii*, inquam, *præclara facinora, ſicuti anima, immortalia ſunt.*

DIXI.

a) *Seneca.*

ORATIO LIX.

De Lingua Vitiis.

LAURENTIUS CLOCK, *Alcm. Bat.*

ITa eſt, *mi Collega* graviſſimum modò vulnus mihi infligis, quando de calamitate noſtra tam graphice exordiri cœpiſti. Nihil enim tam horrendum atque aſperum, à quoquam dici aut intelligi poteſt, quàm ſi in ſuas quiſque miſerias diſerti ſimus. Tu, caput omnium vitiorum ſuperbiam, egregie in ſcenam produxiſti, & meritò ingentem nobis terrorem ab immani illo monſtro injeciſti. Vtinam, mi Collega, utinam! unâ hâc operâ & Oratione tuâ reliquas quoque peſtes omnes, & contagia

contagia noſtra abſolviſſes. Sed immenſi ac propè infiniti laboris res eſt, ſimul cunctos humani generis errores in unum hunc diem producere. Memini, quando ex hoc loco de luxuria, de libidine, de Ambitione verba prolixè fecimus. Quod ſæpè utili oratione juventutem noſtram ad præclara atque excellentia virtutum officia adhortati ſimus. Quamdiu tamen vitia noſtra; proh dolor! nondum orbem ſuum complevere, haud nos quoque dolori noſtro ac querelis fortaſſe, ultimam manum finemque impoſituri. Inter cætera animi corporiſque vitia, propter quæ humanum genus meritò peſſimè ſemper audit, improba in dicendo *Garrulitas* principatum tenet. *Lingua*, inquam, *maledica*, venenis malis imbuta, incredibilem mali materiam meſſemque progenerat.

De peſſimo hoc flagitio, nobis & poſteris nocituro inſtrumento, LINGUA, H.A. quando verba nunc facere conſtitui, etiam atque etiam oro rogoque, ut aures animoſque veſtros benignè mihi tribuatis.

Lingua noſtra cum cæteris corporis partibus ab Opt. Max. Deo feliciter eſt conjuncta. Vt præſtantiſſimo hoc membro mortales alter alteri cogitationes noſtras fidèliſſimè indicaremus. Vt divini Creatoris immenſam gloriam & laudes tantò uberius tantoque excellentius hoc organo deprædicaremus. Proh, hominum fidem! Quam nos ab hac ſemita & functione noſtra longè aberramus! Quam prorſus parum & exiguum pro cultu æterni Numinis hoc animi noſtri indicio, Lingua; efficimus! Quorum ſalutem & commoda adjuvare inprimis deceret, illos ipſiſſima hac corporis particula toties ſine cauſa turpiſſimè lædimus, offendimus, violamus. Adeo, ut ſiquis ſciſcitetur; inter animi morbos, cui nocendi primatus attribuatur. a) *nihil addubitem hanc illaudatam laudem & inglo-*

 riam

a) *Graſ. de linguà.*

riam gloriam lingua effreni adſcribere. Hujus enim vitium tam eſt immane tamque nocens, ut nihil unquam cum hac nefaria maledicendi peſte in comparationem ac certamen venire poſſit. Quippe ipſe impuriſſimus Satanas in hanc imprimis rationis noſtræ arcem impetum facit. Et hoc omnibus cuniculis callidus inſtituit, ut per hanc anſam & opportunitatem egregiè nos fallat ac decipiat, Vt in mendacia, in perjurium, in criminationem, in calumnias pulcherrimè hac via hominem inducat. Tum demum præſtantiſſima ad fabricas ſuas exercendas uſus occaſione, quando ſuo fuco perſuadere mortalibus poſſit, quam nobile, quàm divinum inſtrumentum atque organum ſortiti ſint; ſi ad ſolam illius limam & manum ſe totos componere ac dirigere ſedulò intenderint. Nihil enim tam ſerio ad nocendum excogitari unquam poteſt, quàm præſentaneum linguæ virus. Quod ſi ſemel intra mentes animoſque humanos tacito ſeſe ductu immiſcuerit, immane quantum! ſuis hîc trophæis & victoriis dies noctesque truculentiſſimus exſultat diabolus. Quicquid unquam rerum funeſtarum uſquam exſtitit, omne hoc à mala & perfida lingua promanavit. Si diſcordia, ſi lites, ſi odia amicos & familiares inter ſe committant, abſque dubio linguæ petulantia in cauſa eſt. Si domi bella civilia immodicè gliſcant; foris publica arma atrociter expediantur, mala lingua hunc fomitem & flammam accendit. a) *Dracones in ſola Africa nocere dicuntur: Perſicum pomum in Italiam translatum toxicum habere deſiit.* mala verò lingua nullo non loco, nullo non tempore paratum habet venenum. Quod cum ſapiens legislator *Pittacus* non ignoraret, linguam adinſtar cuſpidis factam dicebat; ſed longè acutiorem. Cum hæc ſeſe in cor hominis medium penetret, lancea externam cuticulam leviter tantum ſtringat. Non alia

a) *Eraſ. ibid.*

alia de cauſa olim Sapientiam promeruit *Anacharſis*. Hic cum ſomno indulgeret, os ſuum dextra comprimere ſolitus: certiſſimo indicio oſtendens, quod hoc humani corporis membrum, linguam ſeria caſtigatione curaque refrænandum. Igitur præclarè olim *Lydi*, qui condiderunt, ut, ſi quis mendacio ſe aſſuefeciſſet, illum aut in peregrinas oras relegarent; aut in ſemeſtre ſpatium tenebricoſo carceri includerent. Naturâ enim hoc lingulatis inſitum eſt, ut non modò loquantur multa, ſed mala. E contrariò *prudens & cauta taciturnitas optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum eſt vinculum*. Hoc ſapientiſſimus *Zeno* benè novit, cui multò ſatius eſſe videbatur, pedibus, quam lingua labi. Sic apud *Perſas* uſus invaluit, qui nihil fide ſanctius, nihil ſilentio pulchrius, nihil loquacitate deformius ſtatuerunt. Ex pari divinus *Seneca* judicavit, qui nihil æquè prodeſſe, quàm quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimum ſecum.

Nec magnum hoc loco *Demoſthenem* præterire poſſum. Hic cum Adoleſcens quidam inter pocula multas nugas effutiret, & tacere nollet, *Adoleſcens*, inquit, *quomodo non didiciſti tacere, ab illo, à quo didiciſti loqui?* Tantum tamque immane vitium fœdiſſima eſt Garrulitas, ut nobis pro ſarcina in lecto, in vehiculo, in vicinia is fiat, qui ſine aliqua intermiſſione verborum ſemper dicendo ac fabulando nos obtundit, excruciat, flagellat. a) *Nunquid Dodonæi illi lebetes tantum impulſi motique tinniunt, licetque in longum ſtrepitus ſuos & ſonos proferant, tamen aliquando conticeſcunt?* At Garrulus ultrò ſemper intonat. ſemper tædium & nauſeam animis auribuſque noſtris faceſſit. An neſcitis, chariſſimi commilitones, quid olim veteres, quid novi homines de Linguæ hac infami peſte teſtati fuerint? *Amaſis* ille Ægypti Rex ad *Pittacum*, hoſpitem ſuum, quando pecudem immola-

 titiam

a) *Eraſ. ibid.*

titiam ab illo peteret, ſolam illi linguam tranſmiſit, ſcilicet optimam & peſſimam ejus particulam. Quo hoc unum poſteros docere voluit, nihil *Lingua* eſſe melius, ſi hac probè uterentur: Nihil eadem nocentius, cum ad mala miniſteria cuiquam hæc ipſa inſerviat. Aliqui cum prætioſa quadam *pyxide*, in quâ omne genus remediorum continetur, benè inſtitutam linguam prudenter aſſimulabant. Hoc igitur omni cura & induſtria à nobis agendum, ne tam pretioſæ dignitatis theſaurum nimis inconſultò poſſideamus. Alii verò cum *viperis* & malo veneno malam linguam non ſanè ineptè comparabant. Scilicet frenis atque repagulis, ad indomitam hanc belluam coërcendam, imprimis opus eſſet. Sunt, qui piſcem *remoram* puſillo corpuſculo navim ingentem, plenis citatam velis, repente poſſe ſiſtere, confirmant. Idem ille ferocientis linguæ nervus & robur valet. *Hac* enim a) *multa hominum millia quacumque libitum eſt vocare, revocare poteſt. Hac Aſiam, Africam, Europam inter ſe committere.* Hæc incredibilia; ſtupenda, penè miracula, & ſupra hominum cogitationem multa admiranda in lucem proferre. Quare non immeritò M. *Cato*, M. *Cœlio* in probrum objecit, quod inſatiabilis Garriendi libido illum inceſſiſſet. Et jam à longo in proverbium devenit, quod lingulati illi cum cicadis, cum obſtreperis anſeribus, cum picis & graculis conferri ſoleant. Meritoque *Archyta* illos *crepitaculum*, *Æs Dodonaum*, *Arrhabios tibicines*, *ſpermologos*, *pertuſa* appellemus *dolia*. Quia quamcumque libertatem ad linguæ ſuæ arbitria transferunt. Et certè, non à joco hoc loco abſtinere poſſum. Quis b) enim ille, qui de *Mida Regis* auribus nunquam quicquam intellexit? hoc garrulo illi tonſori meritò vitio vortendum. Hic tum arcanum, ob Domini metum, prodere non auderet; nec, ob naturæ vitium, tacere

a) *Eraſ. ibid.* b) *Eraſ. ibid.*

cere poſſet, ſeceſſit in agrum deſertum, & in effoſſam terram voces depoſuit: *Auriculas Aſini Midas Rex habet*, Hoc in loco poſtea enatum arundinetum. arundines vocem ex imâ terrâ hauſtam in vulgus ſparſerunt. Adeò, ut nihil jam notius, quam illud: *Auriculas Aſini Midas Rex habet*. Ridere meritò fabulam hanc juvat: ſed verè hîc ſerium animis noſtris fingamus. Quotuſquiſque non hoc tempore hunc tonſorem ad vivum repræſentat? Quibus ſi quid ſecreti in aurem commiſeris, ita arcano iſto mox parturiunt, ut ilicò ſint rumpendi, ſi non in alium hæc ipſa repente transfundere tempus ferat. Hoc pacto magnum amicis ſuis beneficium facturi, ſi certa ſtipulandi fide multiſque obteſtationibus ſecretum committant. Ita demum fit, ut intra paucos dies univerſus populus intelligat, quod paulò ante niſi unius alteriuſve fidei fuerat concreditum. Quod Garrulitatis vitium cum *Lacedamonii* jure odiſſent, *Cteſiphontem*, quia de re quavis vel totum diem ſe dicturum prædicaverat, civitate ejecerunt. Feſtivum quoque illud *Archelai* Regis reſponſum, *qui cum à tonſore impendio laquace ſubindè rogaretur, quomodo radi vellet, Silendo*, inquit.

Nec minus hoc *Ageſilai* me afficit, qui cuidam prædicanti Sophiſtam quempiam, quod res minutas ſeſquipedalibus ſemper verbis amplificaret, *Ego*, inquit, *ne ſutorem quidem bonum dixerim, qui magnum calceum inducat exiguo pedi*. An alia de cauſa imperitum nauclerum à clavo amovemus, quam ut cæteros, qui navi vehuntur extra periculum ponat? Idem evenit, quando à lingua noſtra rectæ rationis adminiculum ſubmoveris. Protinus tota domus, tota civitas cum diſcrimine periclitatur. Sacra imprimis Scriptura fide dignum teſtimonium nobis hîc perhibet: *Sex ſunt, quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima ejus; oculos ſublimes; Manus effundentes innoxium ſanguinem;*

Cor machinas cogitationes peſſimas; Linguam fallacem; Pedes feſtinantes ad currendum i malum; conflantem mendacia Teſtem falſum; Et eum, qui ſeminat inter fratres diſcordiam. Et puſillum humani corporis membrum. Lingua, quid non deſignas! Erectura aut everſura Civitates. Lingua, quo vadis? Tu miſeris mortalibus niſi meram ſcabiem, niſi fœdam pruriginem, niſi peſtem ipſam affricas. Tu non unius ſimplicem familiam atque ædes igne tuo accendis; Sed ingentibus Regnis ruinam & vaſtitatem inducis. Tu longè ultrà Belgarum limen, ultrà Europæum hunc orbem, alio ſub ſole tuas inſidias arteſque protollis. Vtinam, peſſima hominis particula, *Lingua* per tua liceat auſpicia domi nobis eſſe ſecuris; templo, in Curia tranquillis; In functione & officio noſtro ſemper quietis.

Agite, macti animis, chariſſimi commilitones, quoties verbum aliquod in linguam veſtram procurrit, prius, quàm laſcivo illi membro vos clauſtra dentium laxetis; Ita vobiſcum ſeriò primum deliberate: Ecquis iſte ſermonis mei eſt impetus: Quæ animi hæc Erynnis aut rabies, quæ ſic acri incendio linguam meam adurit, inflammat, exaſperat? Ita tandem feliciter vobis eveniet, ut de ſubacta aliquando linguæ tyrannide, lætari ac triumphare in perpetuum poſſitis.

DIXI.

ORATIO LX.

De Linguæ Laudibus.

JACOBUS CLOCK,
Alcm. Bat.

SAtis diu *Humaniſſimi Auditores*, cum mortalium vitiis & flagitiis luctati nunc ſumus. Satis in contumeliam & contemptum noſtri generis litem intendimus. Quaſi verò tam improba nos homines indole animoque ſimus: Tam abjectæ

abjectæ ſortis, tam vilis ac inanis pretii mancipia; ut ubique, eheu! ſic miſerè ſemper vapulemus. ut nunquam bene apud aliquam uſquam gentium audiamus. Odi & deteſtor vobiſcum, mei Collegæ, & in viris Principibus, & in unoquoque civium, quidquid ſub virtutum nomine falsò nobis obrepit. At noſtra hæc mala, quod in omnium ora & oculos niſi publicè incurrant, magnoperè condolere mecum ſoleo. Puto, ex re noſtra fore, quando egregia virtutum decora, quæ veræ ac vetuſtæ ſapientum imagines, in medium producantur. Omne illud, quod turpitudinem noſtram magis in lucem proponit, de induſtria prætereamus. Tibi tamen, *dilectiſſime Collega frater*, libens lubenſque concedo, quod mecum in hoc liberale certamen deſcenderis. Tibi, ob *ſervatum civem*, non certè invideo coronam, hanc civicam meritò deberi. Quippe, ſingulari tua cura & induſtria linguæ peſtem & venena pulchrè evitare nos admonuiſti. Perge maſculè tuo more & Marte hoc bellum ſuſcipere; Innocentem tueri; fas & fidem defendere. Mihi viciſſim meas phaleras aureoſque torques & ornamenta nunquam, ſcio, avarè denegabis.

Ego igitur H. A. ſi per aures veſtras & patientiam mihi liceat, pro *Linguæ libertate atque præſtantia* verba nunc faciam.

Quantum mali peſtiferæ & virulentæ linguæ adhæret: tantum boni & præſtantiæ bona quoque lingua ſuo jure poſſidet. Quo uno me hercule! inſtrumento luminum ille Pater Sol nihil majus, nihil utilius ſupernè unquam adſpexit. Lingua enim eſt illud rationis divinæ verè organum: Quo nos in divinas laudes erumpimus; quo ſæpé ſupra hominem nos êxtollimus; quo ab hac humo cogitationes noſtras toties allevamus; cum cœlo & ſideribus ſalubre colloquium inſtituimus. Quo animi egregio atque divino interprete, ſi benigna

mater Natura nos fruſtraſſet, eheu! quam parum pro ipſa humanitate noſtra ac rationis officio præſtaremus. Omnia in craſſis tenebris ſepulta jacerent. Omnia ſuis ſordibus & ſilentiis involverentur. Nihil prorſus pro ævo & poſteris gloriosè ab aliquo ſuſciperetur. Hæc enim ſola illa particula, qua, velut aurea quadam virgula, res humanæ gubernantur; qua hominum ſocietas viget ac ſubſiſtit; qua Regna, civitates, fama atque gloria perennant. Eripite hanc nobis in bene dicendo facultatem; verba noſtra, ne foris exeant, intra dentium hæc clauſtra concludite: An non ipſa propediem barbaries cum turpi ignorantia fœdè nobis incumbent? Cur, inquam, tantò rationis beneficio præditi eſſemus? Quare has divinæ ſapientiæ ſcintillas ubique in animo noſtro circumferamus; Si non interiora mentis cogitata per hunc oris noſtris, ut ſic dicam, canalem in publicum derivemus. Non minor, certè, eſt linguæ uſus & utilitas, quam illa quæ hujus meæ dexteræ, quæ oculorum ac frontis noſtræ ſerenæ. Et cum omnium in corpore noſtro membrorum jactura ſit peſſima, tunc hujus imprimis organi longè eſt maxima; quo intellectus noſtros explicamus; quod ad omnia neceſſaria & utenſilia parati promptique ſumus. O nobiliſſimam, ô meliorem noſtri partem, Linguam? O verè efficax remedium, ad vim & injurias propulſandum! Ad rerum noſtrarum conſervationem ac tutelam certiſſimum Aſylum! Cujus membri ſapientiſſima moderatione ſi quis domi, foris, probè prudenterque utatur, infinita, incredibilia mox inde prognaſci commoda videbit. Stabit incolumi felicitate hac una tutela res familiaris; Efflorefcet ſua fortuna atque majeſtate univerſa Reſpublica. Ipſa Regina Eloquentia, ſine cujus præſidio nihil unquam ſtabile, nihil firmum poteſt conſiſtere, abſque lingua ſalutari adminiculo tota friget, langueſcit, intermoritur. Adeò ſtupen-

ſtupenda ac propemodum divina quædam vis ac potentia puſillo huic hubernaculo, linguæ, divinitus adjungitur. Non teſte aut fide aliena hîc opus. Omnis ætas ad perdiſcendum ſat eſt. Nonne *Romani* & Græci ſolis armis & linguæ fiducia tot gentium victores evaſerunt? Nonne *Lacedæmonii*, *Athenienſes*, aliæque nationes quam plurimæ, una dicendi admiratione tantum ſibi nomen & gloriam pepererunt? Sæpiuſque tot turbæ ac tumultus, quos non ferrum, non ſtrictus enſis ſedare potuit, ſolo flexaminæ vocis hortamento ſubſederunt. Non finem aut filum ego in dicendo reperire unquam poſſem, ſi in uberem hunc campum ſolutam ſuis fibulis linguam exire ultrò nunc patiar.

Hoc unum H.A. ſedulus intendo, ut diviniſſimam noſtri partem, *Linguam*, ſuo rurſum nitori ac præſtantiæ mactus reſtituam. Spero, neminem tam infelici ovo eſſe prognatum, qui negare ſine verecundia unquam poſſit, quæ ornamenta, quæ præmia eruditæ linguæ ſuo jure meritoque debeantur. Si publicas magnorum Regum legationes; Si Imperiorum arcana; Si Principum conſilia ac conſulta volens nunc prætereo, quæ cuncta officio ſolius Eloquentiæ ætatem ſuam agunt; Obiter mecum, quæſo, perluſtrate privatas cujuſcunque domos, negotia, officia, facultates. Nihil uſquam præclari ab aliquo geritur, quam ſolùm divina ſermonis noſtri authoritate. Quod illuſtribus Scholis, quod Gymnaſiis, quod Academiis, ſua conſtet fama, reverentia, dignitas, unius linguæ beneficio acceptum ferimus. Quod peſſimi ac maligni mores malè apud nos audiant, ſola noſtra lingua induſtriè profitemur. Hinc ad curiam; ad tribunalia, ad ſacra in templis pulvinaria ſi me conferam, quis ille tam ferus aut effrons, qui ſapienti eloquio ſuum hîc pondus ac pretium negare unquam auſit? Lites & jurgia ingenuus cauſarum patronus verbis componit. De concordiâ, de amicitia, de pace ineunda,

ineunda, adhibito ad lenocinium ſermone, fideliſſime civem cohortatur. Suum cuique, glorioſæ vocis confiſus munimine, pro æquo & jure prudenter attribuit. Sacer & divinus in Eccleſia Dei legatus, noſtræ ſalutis myſteria lingua nobis annunciat. Ad Religionem, ad fidem, ad operum cœleſtium imitationem nos linguâ ſuâ ducit, docet, informat; à voluptate, ab illecebris, à libidine, à peccatis omnibus vitiiſque ſolâ linguæ ſuæ, Suada feliciter nos avocat, abſtrahit, abſterret. O incredibile linguæ noſtræ veneficium, beneficium! fabricam uni ſuo conditori ſemper parem! Nulli omnium mortalium ſua unquam cogitatione animoque intelligendam!

Tu, Æterne, omnipotens, in cœlo Deus, da ut hujus lingua noſtra, tam utilis inſtrumenti miniſterium, in divini tui nominis laudem ac deprædicationem ſemper religioſè, ſemper ſanctè honeſteque inſtituamur.

DIXI.

ORATIO LXI.

De Eruditionis Præconio.

HENRICUS VREBURCH, *Alcm. Batt.*

MIrifice me recreaſtis, *Amiciſſimi Collegæ*, ſingulari veſtra in virtutem peroratione. Me hercle, puſillo hoc inſtrumento, Linguà, immane quantum! in rebus mortalibus efficimus. Suaviſſimo nectare, & ambroſia, mox perfrui mihi videbar. Sed vereor, an quicquam mihi reliquum feceritis: de quo, hoc loco, in ampliſſima illuſtrium virorum corona verba nunc faciam. Præſertim, hodierno hoc die, quando ex hujus ſcholæ umbraculis, ad publicæ Academiæ palæſtram me confero. Dubito H.A. dubito, quo potiſſimum argumento, meam ergà vos gratitudinem teſtari nunc

nunc poſſim. Meritò ſerium aliquid eſſe debebat. quo meum erga Muſas noſtras animum publicè nunc demonſtrem. Vos, *Nobiliſſimi*, *Ampliſſimi Viri*, niſi excelſa, niſi illuſtria tantum delectant. Vos, animis, auribuſque veſtris; me nunc dicentem benevole, quæſo, attendite. Et quoniam de laude Eruditorum hominum, ſtudiorumque difficultate verba hìc facio, veſtra me benevolentia proſequamini.

a) Optimè, ait, medicorum princeps: *Ars longa, vita brevis*. Si diffuſam tot operum magnitudinem, & hanc laborum noſtrorum molem, ſeriò nobiſcum perpendimus, certè, humanæ vitæ cancellos, & hujus ævi noſtri curriculum breviſſimum videmus. Omnia enim neceſſitatis lege continentur; omnia in naſcendi pereundique fatalem gyrum coërcentur. Nihil in mundi uſquam eſt angulo, quod cum æternitate temporum contendit. Solem ipſum ſupra te vides? Aliquando deficiet. Lunam inter minora ſidera noctem illuminare cernis? Etiam defectu laborat. O fallaces hominum ſpes! O inania mortalium vota! O lubricum & anceps vitæ noſtræ curriculum! Nihil in rebus humanis hìc firmum, nihil ſtabile, nihil diuturnum reperitur, *Similem bullæ vitam nos omnes agimus*; Temporis tantum punctulo humana conſtant. Inſtar ſolſtitialis herbæ, omnia ornamenta, omnis noſtra gloria, eheu! protinus flacceſcet. Quare meritò divinus *Pythagoras*, vitam hanc noſtram Panegyri ſimilem dicebat. Plurimi enim vix ad media pueritiæ provecti ſpatia, miſerabilem vitæ exitum habent. Alios in ipſo vitæ apparatu vita deſtituit; quiſque ſuos hìc manes, & miſerias patimur. Vultis vera imagine, vitam vobis noſtram depingam? b) *Prodeunt reges, ſatrapæ, aliaque officia, & ſatellites; alii diutius ex iis hærent in ſcena, & loquuntur; alii*

a) *Eruditionis difficultas; & vitæ brevitas.*
b) *Lipſius.*

alii oſtendunt ſe paulum vocemque non edunt, ſimile in nobis eſt. Vario nos omnes munere ac dignitate, in hoc univerſi theatrum mittimur, brevi tempore, cum omnibus ornamentis inde demigraturi. Punctulum eſt, inquam, quod vivimus; dum ætate animiſque creſcimus, vita decreſcit. Primam noſtram ætatem, de alumnis literarum loquor, nonne puſilla bonarum Artium præcepta ſibi vendicant? Adoleſcentia nunquid inter flagella minaſque docentium contabeſcit? Reliquos juventæ dies, an non inter ſpinoſas Philologiæ & Philoſophiæ diſſertationes conſumimus; Denique quantum ſibi intervalli ſola flexanima Eloquentia depoſcit! Quantum Hiſtoria & Antiquitas vetuſti temporis! Quantum denique divinarum atque humanarum rerum cognitio! O admirandam ſtudiorum noſtrorum difficultatem! O magnum & immenſum conſequendæ eruditionis laborem! Profectò,

Multa tulit fecit que puer, ſudavit & alſit.

In me ipſo hujus rei tam difficilis initia indies experiri incipio. Hactenus tantum circa oras, & littora ſapientiæ occupabar; nunc longe à terra remotus, profundum ſcientiarum Oceanum ingredior. Bone Deus, quas tempeſtates, quàm decumanos undique fluctus nunc miſero mihi impendere video, Quanto hic labore, quantis vigiliis, qua animi contentione hic opus, ut tandem prætervectus tot ſcopulos atque monſtra, in ſperatæ quietis portum deveniam. Sed, bono ſum animo, *Omnia Dii labore venditu.* Nihil tam magnum atque arduum eſt, quod non pertinax opera expugnat. Nihil tam difficile unquam erat, quod ab hoc propoſito unquam dimovere me poſſit. Quid amabo, humano generi datum à providentia majus? Quid clarius, quàm ſtudia literarum? Quid illis ipſis honeſtius? Quid dulcius excogitari à quoquam poteſt? Certe, nihil eſt, quod excelſum, & ſublimem animum magis unquam juverit, magis

deceat.

Digitized by Google

deceat. Nihil quod hominum mentes à cupiditatibus ſic avocet, ad virtutem, ad honeſtatem ſic inſtruat, quàm liberaliſſimis digna ingeniis, a) *Eruditio*. Quare, præ cæteris omnibus rebus, te amo & in te ſpes & opes meas colloco, O divina *Eruditio*. Sub tuo ductu, & præſidio, divinas ego laudes olim meditabar; Tuō adjumento, feroces vitiorum impetus ac robora maſculè debellabo. Satis beatus, ſi ſapientum virorum ordini, aliquando inſeri atque accenſeri meritò poſſim. Nunquam defuturus animo exercendo, per egregiam bonarum artium culturam. Per tua, *Democrite, Pythagora, Plato* libens veſtigia decurram: Nullum laborem, nullum ſudorem temerè unquam reformidans. Hoc agam ſeriò, ſemperque ut me dignum hoc theatro, dignum præclara hujus Gymnaſii inſtitutione oſtendam.

b) *Tibi, Clariſſime D. Rector*. Vobis, *Chariſſimi Præceptores*, omni officio, obſervantia, ſedulitate æternum me do, dico, edico. Quibus ego ſolis Ductoribus, Doctoribus, ad hunc uſque limitem, & ſcopum feliciter tandem perveni. Huic, inquam, illuſtri Muſarum domicilio, quod aliquando bene rectèque vivam, totum hoc, quod certè maximum eſt, totum hoc, inquam, huic illuſtri Minervio debere me teſtor, profiteor. Vobis, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi D.D. Conſules. Vobis Clariſſimi Reverendi D.D. Scholarchæ, cuncta proſpera, cuncta feliciter precor, eveniant. Huic denique præſtantiſſimorum hominum, ac juventutis florentiſſimæ corona meiſque porrò ſtudiis, tu* ô Clementiſſime, Æterne, Miſericors Deus, *plurimum ſemper benedixeris, ut tuo Numini, tuo Nomini æternum laus, gloria, gratia habeatur.*

DIXI.

Hæ quatuor præcedentes recitatæ Alcmariæ Anno M. D. CXLVII. *Examine autumnali.*

Ad

a) *Eruditionis beneficia.* b) *Gratiarum actio pro inſtitutione, & valedictio,*

Ad egregios ſex juvenes,

GERBRANDUM SCHUTTERUM,
LAURENTIUM CLOCK.
CORNELIUM CORENAER,
JACOBUM CLOCK,
CORNELIUM DAELDER,
PETRUM MARSIER,

Cum, poſt habitas de *erudita Pietate* orationes, ab illuſtri viro Domino *Thoma ab Egmond à Nyenburg, Curatore*, Præmio donati, *à Clariſſimo* Domino *Reinero Neuhuſio ICto. Gymnaſiarcha Alcmariano* in Academiam promoverentur.

EGregii juvenes, quorum virtutis honori
Applaudit virtus omnis & omnis honos;
Quos Pietas *Batavo tranſcribit* Docta *Lyceo*
Præconeſque gravi prædicat ore ſuos,
Queis ardens animus jamdudum invadere lucem
Pulpita proſcribit pulverulenta ſcholâ;
Quos in palladia Ductoris lingua corona
Et rude donatos & facit emeritos,
Et meritis procerum ſplendor Neoburgius *ingens*
Porrigit illuſtri præmia digna manu,
Et jubet erectos ad ſolem tollere vultus,
Dum ſapitis pridem jam triviale nihil,
Et monet exemplo jamdudum creſcere veſtro,
Et bene currentes ulteriora ſequi.
Ite alacres animis, alacres ætatibus ite,
Quà data Phœbeæ teſſera militiæ.
Militia, juvenes, nova teſſera: pergite fauſto
Iam pede quâ glacies aſpera fracta via eſt.
Alitibus ſurgens procedat fama ſecundis
Excita quæ patriæ votaque ſpemque fovet.
Ite, nec in primis conſiſtite: ſumma petantur,
Et ſuperate recens & cumulate decus.

Hactenus

Hactenus exuta eſt craſſa ignorantia caſtris,
Barbaries pugna velite victa jacet:
Hac domita, nondum cepiſtis Pallada totam,
Ægida poſt & poſt caſſida multa latent.
Sumite doctorum quemcunque, fatebitur ipſe,
Quantumvis didicit plurima plura latent.
Quam minimum tribuiſſe ſibi ſua regula docto eſt:
Doctrina pars eſt, ſcire putare nihil.
Vos quoque quod vulgum ſuperetis vertice toto
Non tamen hoc inflet, pectora chara, nimis:
Sed magis atque magis ſcandentibus addere calcar
Dumque hortatrici voce juvare juvat,
Accipite hæc animis alta ſint mente repoſta
Verba quibus felix addo piumque vale;
Quem ſuperaviſtis feliciter hactenus eſſe
Non apicem Aonii montis, at eſſe gradum.

Henricus Bruno.

ORATIO LXII.

De FINE ſtudiorum,

PIETATE & DOCTRINA, in Genere.

GERBRANDUS SCHUTTERUS, *Alcm. Batt.*

SIngularis veſtra eſt prudentia, *Sapientiſſimi Alcmariæ Proceres*; Quod imprimis & Reformata Eccleſia priſtinam ſanctitatem;in Civitate veſtra formandæ juventutis ſeminaria cum fama ac gloria exterarum gentium tam glorioſè, quam feliciter conſtituatis, conſervetis, illuſtretis. Quæ duæ ſunt anchoræ illæ ſacræ. quibus hoc totum Reip. navigium inter decumanos tempeſtatum fluctus ſecurè in portum ſuum deducitur. Principem ſibi locum meritò Pietas vendicat; Secundum ab illo gradum homines Liberalibus Artibus non leviter tincti jure obtinent. Hæc veſtra, *Ampliſſimi Viri*, glorioſa in Remp. eſt opere; hæc ardua illa via

via, qua ad ſola immortalia, & poſterorum memoriam præclarè enitimini. Scilicet hoc ſtudio & alacritate, veſtrum imperium civiumque fortunas magis; tutum & tranquillum collocatis. Omnia enim quæ ab ingenio veſtro geruntur, non ad privatam utilitatem & commodum; ſed ad Reip. ſalutem conferuntur. Adeo ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis tanquam nidulum affixam, omnibus divitiis, honoribus, immortalitati anteponatis & egregiis conſiliis, optimis conatibus Remp. regere ac defendere poſſitis; ut omnia domi foriſque proſpera, omnia felicia vobis poſteriſque eveniant. Ea lege atque omine, ut meliore vivendi modo inſtituti, Pacis publicæ perfugia intra hæc ipſa mœnia conſtituerentur. Quare nulla unquam tam grata erit poſteritas, quæ de veſtra laude & gloria conticeſcet.

a) Neque enim præſtantius aut utilius quicquam inveniri ab aliquo poteſt, quàm juxta Templorum ſacra, ſcholarum dignitatem ſuo jure aſſerere. Quando enim amœniſſimos & Pietatis & Doctrinæ fructus ad animi interiorem teſtem citamus, Eſt, certè, quod meritò de felicitate noſtra paſſim exultemus. Hîc ille eſt locus, in quo ad virtutem & cognitionem maximarum rerum optimè inſtructi ſumus; hîc ad omne decus priſcæ elegantiæ ac vetuſti ſæculi exempla ampliſſimus aperitur campus. Quæ, ſi deficerent erudiendæ juventutis theatra, vah! quam barbaros, quàm infelicem poſteritatem brevi vos habituri. Quare jure merito Remp. beatam exiſtimare licet, in qua nutritii pietatis & bonarum artium propitii Mecænates reperiuntur.

Ideo nihil tam lachrymis dignum, tam ad dolendum materiam nobis ſubminiſtrat, quam ſi rem tam excellentem, tam generi neceſſariam, ſuis deſtitutam fulcris videamus. Nunquam enim bene mereri

a) *Scholæ dignitas & beneficia.*

mereri de Rep. Magiſtratus poſſunt, ſi aſyla pietatis, ſi incunabula ſcientiarum de medio tollant. Hæc ſola barbaris Principibus, ut nationes genteſque ſubigerent, vetus conſuetudo fuit: ut ſublatis bonorum morum, virtutumque organis, jam prolapſis ad feritatem hominibus, commodius ad imperia graſſarentur. Quare peſſimè hi omnes de poſteris & fama ſua merentur, qui fœdiſſimo Licinii & Caracallæ exemplo, prorſus conculcandæ Religionis, delendæ Eruditionis inſtrumenta præ manibus ſumant. Nulla enim Reſp. diu ſtetit, aut ſtare unquam potuit; in qua divini cultus ſanctitas, & rei literariæ præſtantia contemptui fuère. In ſacris templorum adytis, ad pulcherrimum divini Numinis obſequium effingimur. A mundi improbitate, & profanis rerum ſtudiis abducimur; ad illam, ſupra nos, tot ſiderum in cœlo contemplationem proxime accedimus. Nec aliud ſunt illuſtres illi doctrinarum receſſus Scholæ: in quibus præter morum honeſtatem, & rectiſſimam Pietatis diſciplinam, clariſſimis bonarum artium præceptis quotidie inſtituimur.

a) Non poſſum, quin intimo animo in tui amorem rapiar, diviniſſima Pietas. Satis ego tunc beatus, ſi me cœleſti tuo favore irradies; ſi omnia mea dicta factaque ad limam auguſti tui ſpiritus impellas. Tu enim ſola nos beatos ac felices reddis; tu nobis ad cœlum & aſtra viam præparas, recludis; Tu nos cum ipſis Angelis parem felicitatis gradum obtinere facis. Tu ô alma Pietas, tu fundamentum es omnium virtutum; cui, profectò, ſumma majeſtas atque exiſtimatio debetur. Tu amica es parentibus, grata Deo, Dominum concilias, neceſſitudines foves. Tu juſtorum tribunal, egenorum portus, miſerorum ſuffragium. Cujus præſidio quando ſemel deſtituti, excuſſo rationis gubernaculo, mox in varios ſcopulos impingere neceſſe

a) *Amor in Pietatem.*

neceſſe eſt. O admirabilem Pietatis præſtantiam! O ter & amplius felicia illa regna, in quibus reges pietate exculti imperia moderantur. Qua ſemel ſublatâ ex hominum ſocietate, civitates, regna, imperia collabuntur. Ipſa generis humani neceſſitudo, & una excellentiſſima virtus, Juſtitia, multum de ſuo ſplendore remittit.

a) Ita, ut diximus, in vicino juxta Pietatem ſubſellio, ingeniorum ſapientiſſima moderatrix *Doctrina*, locum tenet. Quæ, immane quantum! nobis mortalibus lucis & claritatis in Cimmeria hac caligine affundit! Hæc omnes mundi divitias, hæc ampliſſimos honores, hæc Regum ſceptra & tiaras longiſſime antecellit. Quamobrem *Stilpon* philoſophus, capta patria, amiſſis liberis, amiſſa uxore, cum ex incendio publico ſolus, & beatus tamen exiret, à Demetrio interrogatus nunquid perdidiſſet? reſpondit; *Omnia mea mecum porto.* Et, me hercule, *divitiarum & formæ gloria fluxa atque fragilis eſt, eruditorum autem fama clara æternaque habetur.* Quod rotundo ore Grajus dixit; Σοφία μόνη τῶν κτημάτων ἀθάνατον. Hæc illa poſſeſſio, hoc viaticum, quod ex naufragio unà nobiſcum enatat, quod non incendio perit; quod nec rapina, nec prædonibus amittitur. Hæc nec eripi, nec circumferentem gravare poteſt. *Eruditio nobiſcum pernoctat*, ait Tullius; *peregrinatur, ruſticatur. Hæc in adverſis ſolatium perfugiumque præbet; Hæc domi delectat, foris non impedit; Semper aliquid ex ſe premit, quo nobis delectamentum adferri poſſit.* Quare *Themiſtocles* filiam ſuam nubere viro pecunia egenti maluit, quàm viro pecunia opus habenti, Quippe eruditus abunde pollens, potenſque, & clarus eſt, neque fortuna eget. Omnia ei adſunt bona quem penes eſt bonarum artium cognitio. Hæc divitibus ornamentum adfert; hæc nunquam dilabi ſui cultorem in perniciem patitur. Sed, ut laurus tota viret

a) *Doctrina laudatur.*

viret perpetuò, ita doctrinæ fama nunquam ſeneſcit.

Igitur hoc illuſtre Gymnaſium *Ampliſſimi Proceres*, utroque hoc fine, *Pietatis & Eruditionis*, ſanctiſſimè dedicaſtis. Veſtri majores, cum viderent ſui temporis tenebras & barbariem, optimis conſiliis templa & delubra fundarunt; Muſis ſua pulpita lareſque conſecrarunt. Hæc nunc vos, AA. V.V. veſtra cura, veſtris conſiliis prudenter regitis, protegitis, defenditis. *Precor Opt. Max. in cælis Deum, ut Eccleſiæ Chriſtianæ; ut illuſtri huic Civitati; ut inclyto huic Gymnaſio, omnia proſperè, omnia feliciter eveniant. Ut ex hoc ipſiſſimo loco innumeri aliquando prodeant Adoleſcentes, qui Remp. ſua fide, ſua induſtria tueantur, & ſanctiſſimis ad exemplum moribus, Pietate, Religione omniumque doctrinarum ſplendore egregie præluceant.*

DIXI.

ORATIO LXIII.

De PIETATE *in ſpecie.*

LAURENTIUS CLOCK,
Alcm. Batt.

PArum proderit, H. D. A. illuſtribus Doctrinæ titulis excellere; multa ſuo ingenio & ſolertie induſtriaque comprehendere; quæ aut ratio humana prudenter invenit, aut uſus exercitatioque magna cum admiratione conſequitur; Si non morum & animorum rectitudo, & ad Pietatem diligens inſtitutio acceſſerit. Si non, inquam, Religionis orthodoxa puritas, hujus noſtræ conſcientiæ ſecuritas, ſtatim à teneris unguiculis nobis quaſi propria certaque eveniat. Naſcimur rudes omnium rerum, atque hoc unum cum brutis animantibus commune habemus. Denique, quod rarum apud multos, pauci honeſtis diſciplinis ad artes

tes ſcientiaſque informamur. Pietati verò, quod caput omnium eſſe debebat, vix aliqui mortalium à teneris aſſueſcunt. Ita perdita & depravata plurimorum indole, ut quæ præcipuam venerationem jure merentur, hæc ad ima ſubſellia fœdiſſimè projiciantur.

Pietas optimum & tutiſſimum adminiſtrandarum rerum eſt vinculum. Pietas proximo cum Diis immortalibus gradu nos conjungit. Pietas longè ſupra humana nos extollit. Illa ſola eſt area & arena, in quâ aſſiduo ad palmam & gloriam decurrimus. Huc omnis docentium, huc diſcentium labor intendit. Neque aliud pro ſcopo noſtro magis habemus, quàm rudem animum optimis moribus emendare; quàm agreſtem indolem, & adgenitam animi turpitudinem ſanctiſſimæ Pietatis exemplis excutere. Quem ordinem finemque ſi improbè quis deſtruat ac interturbet, perit jam dudum nobiliſſima docendi conſuetudo. Et fruſtrà terra marique, *Ampliſſimi Viri*, anxiè conquiritis juventutis veſtræ Præfectos, ſi non prima ipſorum cogitatio circa Deum ac Divina laboret. Ideô omnes ſacram hanc ædem ſumus ingreſſi, ut nativam illam barbariem ſordeſque ſupinæ ignorantiæ animis noſtris expelleremus; ut à terræ inquinamentis longè ſubvecti, paulatim cœleſti quodam liquore imbueremur.

a) Malè faciunt præpoſteri Doctores, qui ſolis literarum futilibus ac fabulamentis intenti, præcipuum profeſſionis ſuæ penſum negligunt. Hoc enim de Republicâ bene eſt demereri, ſi virtutis, ſi probitatis, imprimis ſi Pietatis nobis faculam illi præferant. O illos divina laude digniſſimos homines! Qui in hoc curas ſuas convertunt, hoc unum ſeriò intendunt, ut aliquando Reipublicæ ſcripturi ſupplementum, utiliſſima de Religione ſemina teneris adoleſcentum pectoribus committunt,

a) *Pietas in Scholis doceri debet.*

ſtunt. Quibus benè ſemel ipſis impreſſis indè infinita ad poſteros gloria atque utilitas promanabit. Quam, certè, parum deceat hominem ſine fruge, ſtipitem, fungum beneficio aliquo afficere; ita æquum ac honeſtum eſt, hujuſmodi virorum induſtriam, qui nobis ſalutis myſteria cum ſudore inculcant, ſingulari munificentia præmiiſque proſequi.

Quæ vobis unquam par gratia à nobis referri poteſt, *Ampliſsimi, Prudentiſsimi Viri*, quod Divinam exercendæ Pietatis palæſtram nobis poſteriſque aperiatis: in qua cum lacte penè materno ad pulcherrima virtutum ſtudia enutriti, non mediocrem Reipublicæ expectationem de futura felicitate præbemus; Qui mox cum vitæ noſtræ uſura contra vitiorum turbam tàm fortiter quam feliciter deprælìamur. Pergite illuſtri hac cura & conſiliis, *Nobiliſsimi Mecœnates*, ſacram hanc Ædem proſequi: Non meliore induſtria ac conatu, civium incolumitatem promovere poteſtis. Liceat de Religione, de optimo in Deum cultu liberè ſententiam & cogitationem proferre: nihil utilius, nihil præſtantius humano generi procudere Comitia veſtra valent.

a) Nec vos unquam pigeat, pœniteatve, *Chariſsimi Præceptores*, hanc operam patriæ impendere; ut politiſſimis juventutem moribus inſtruatis; ut exactiſſima erga lubricam ætatem diſciplina utamini. Si parentum inſulſa, moroſa, ingrata ingenia ſæpè zelum & ardorem veſtrum interturbent, non tamen deſinite egregia virtutum præcepta conſtanter deprædicare, Si ex invidia, ex calumniis ſiniſtrè audire contingat, ne, quæſo, officioſæ induſtriæ partes propterea intermittite.

Hoc unum impoſſibile eſt, nos omnium judicio, omnium linguis metam aut modum præſcribere. Aliquos in magno illo grege invenias, qui

a) *Præceptorum bonorum merita.*

in hoc ſolo ſe recreant, ut in proximi famam & familiam falsò ſemper judicent, ſua vitia poſt terga habeant. Nonnulli ſunt, qui falſa rerum imagine ac rumore decepti, in aliorum ſententiam pedibus manibuſque deſcendunt. Hoc valdè præclarè factum exiſtimantes, ſi aliorum honeſtam vitam inſectari, famam nomenque lædere, Pietatem animique tranquillitatem ſuo quaſi loco dimovere poſſint. O portenta & prodigia humani generis! Quæ integris oculis intueri neſcitis illam glorioſam erga Deum venerationem! Quibus aliena virtus & Pietas ſemper formidoloſa. At quàm auguſtam, quàm divinam in cœlis mercedem tu, ô alma Pietas, intendis, exſpectas! Tu cultorem tui æternis honoribus imperiiſque mactabis. Tu aliquando in degenerem ac contumelioſam gigantum ſobolem rigido jure animadvertes. In te ſolâ omnes opes, dignitatem, gloriam meam repono; In te dies noctesque ſemper totus tutuſque acquieſco.

Rector orbis, æquitatis tuæ regulam doce Me, tui oris verba ſemper ore mediter ut meo? Illa longè cariora ſemper auro ut æſtimem. Illa cogitem, illa ſecter, illa mirer unicè. Illa nulla è corde noſtro deleant oblivia!

DIXI.

ORATIO LXIV.

De Educatione & Converſatione,

CORNELIUS GERARDI, CORENAER, Alcm. Batt.

PIetatem, *Dilectiſſimi Collegæ*, ſuis, ut decet, coloribus ad vivum depinxiſtis: Noſque omnes ſingulari amore ſtudioq; in ſententiam veſtram protraxiſtis. Pietas enim ad omnia eſt utilis: quæ non hujus modò vitæ illecebris multo eſt præſtantior; ſed ſempiterni illius gaudii poſſeſſionem infallibili

fallibili nobis teſtimonio promittit. Vt verò ad pulcherrimam hanc Penelopen felici augurio, quàm poſſumus, proximè accedamus, præ cæteris omnibus, valdè neceſſarium eſt, ut & de *Educatione juvenili*, & ſancta honeſtaque *Converſatione* quàm rectiſſimè nobis conſtet. Quippe hiſce fortunatis initiis, tanquam firmiſſimis columnis, tota Chriſtianæ Pietatis moles innititur. Neglectâ enim à parentibus, aut publico magiſtratu juventutis formandæ curâ, oportet, omne imperium, totiuſque reip. ſalus brevi tempore ad nihilum recidat. Etenim à prima puerilis infantiæ nutritione omnia in humanam ſocietatem bona promanant. Hinc boni mores à teneris annis animiſque in virilem ætatem tranſmittuntur. Hinc in univerſam Publicæ Rei adminiſtrationem infinita commoda deveniunt. Et ſi quis omnes ætatis humanæ functiones percurrat, nullam ex illis inveniet, quæ non bonæ educationis auxilio maxime indigeat. Adeo ut omnem vitæ dulcedinem, omnemque felicitatis exſpectationem de medio ſuſtuliſſe videatur, qui ſemel juventutis educandæ diſciplinam probro ac contemptui duxerit. Hac enim ad omnes virtutes compendio quaſi ducimur; hac ad famam & gloriam laudatiſſimis ſtimulis impellimur; hac generoſi animi igniculos cum ipſo ætatis incremento ſentimus.

a) Bonum & laudabile majorum inſtitutum quod tantam curam, tantumque laborem in rite rectéque educanda juventute adhibuerint. Quo uno ad vitæ tranquillitatem, ad ſalutem publicam, & privatorum felicitatem nihil melius, nihil excellentius excogitari unquam potuit. Quare eleganti ſſime olim *Iſocrates: Ingenuo loco natis potiſſimam adhibendam eſſe inſtitutionem: Qui ſi ſtatim à primis annis egregiè informentur, ad quodlibet vitæ munus apti nati evadunt; ſin minus; efferati, intractabiles,*

a) *Educatio.*

biles, *ad rem nullam idonei*. Et ex Anonymi ſententia: *generoſam indolem*, *ſi bona inſtitutio accedat*, *magno patriæ eſſe bono*, *ſin verò ad vitia degeneret*, *ingens inde malum oriri*. *Plutarcho* verò judice nullam tam feram belluam inveniri, quæ non cura manſueſcat; nullum tam agreſte ingenium, quod non inſtitutione miteſcat. Hac enim magiſtra ac præceptrice cognoſcimus verum decus, veram gloriam in ſolâ virtute poſitam. Ad quam omnes omni tempore ſapientes adſpirarunt; ad quam omnes ſuas actiones, curam, diligentiam intenderunt. Vehemens enim in utramq; partem educationis vis eſt, quæ aut utilem, aut perniciosum patriæ civem præſtat. Quæ efferos & incompoſitos diſtortæ naturæ motus rationis gyro corrigit, coërcet. Quæ naturæ ſemina ſuis latebris abſtruſa, ſingulari induſtria evocat, producit. Quam educationis admirabilem vim ut civibus ſuis *Lycurgus* oſtenderet, *duos ex eodem parentum genere catulos educavit*, *alterum lautis ad focum cibis*, *alterum venationis ſtudiis aſſuetum*. *Vterque in forum deductus*, *depoſitis alibi lautitiis*, *alibi emiſſo lepore*, *ille in dapes*, *iſte in feram prono curſu impetum dedit*. Tum converſus ad populum Legiſlator: *Videtis*, ait, *Spartani*, *quantum ſit in educatione poſitum*. Hoc probè intelligens Socrates, cum ex cultu corporiſque lineamentis improbitatis argueretur, *talem*, inquit, *natura me formavit*, *at emendavit correxitque diſciplina*. Igitur quam nobis jurè *Crates* aliquis, ut olim Athenienſibus, acclamet: *Quorſum ruitis*, Cives, qui *omne ſtudium in pecuniis collocatis*; *liberorum veſtrorum curam nullam ſuſcipitis?* In hac tam excellente Philoſophorum doctrinâ, quàm pio labore præceptores noſtri quotidiè invigilant! quàm miſerè ſe cruciant affliguntque in indomitis Adoleſcentum pectoribus moderandis, refrænandis! Quotuſquiſque non Parentum ſuorum indulgentiâ male habitus in diſciplinæ authoritatem peccat ac delinquit! ita per

perperam animis ad parendum compoſitis, ut multo facilius eſſet, cum Anteo aut Centimano aliquo colluctari, quàm ejuſmodi puerorum obſtinatam indolem inſtitutione aliquâ virtutis regere ac gubernare. Quæ cura & induſtria ſi tamen langueſceret ac remitteretur, vah! quàm miſeram, quàm afflictam Reip. faciem, *Prudentiſſimi Proceres*, intra breves annorum decurſus videretis, inveniretis! Nulla uſquam in templis foret Religio, nulla in tribunalibus juſtitia! Nulla domi probitas, virtus, Fides! Vt paucis multa dicam; illud antiquum nobis poſteriſque chaos immineret, ſi parentum domi cura, ſi præceptorum diſciplina foris intermoreretur. Quare omnibus nervis ac repagulis eſt opus, ut laſcivientem adoleſcentiam intra ſuos carceres, atque orbem contineamus. Igitur optimo quoque jure eloquentiæ parens Cicero: *nullum majus meliuſve Reip. afferre munus poteris, quam ſi doceas atque erudias juventutem: iis præſertim moribus, atque temporibus, quibus ita prolapſa eſt, ut omnium opibus refrenanda atque coërcenda ſit.*

a) Pari ingenio judicioque *HH.AA.* de probâ rectaque *Converſatione* ferenda eſt ſententia. Quæ una cum *Educatione* ſingularem in vita hominis vim habet. Certiſſima florentis ſæculi indicia, ſi hac virtute clari & illuſtres ſimus. Equidem, ingenuo liberoque homine nihil dignius, nihil præſtantius eſſe poteſt, quàm virorum illuſtrium neceſſitudine inclareſcere; illorum exempla ſibi ſolùm proponere, quos famâ atque exiſtimatione virtutis excellere non obſcurè cognovimus. *Nulla enim res*, ait Seneca, *magis animos inhoneſtos, & ad pravum inclinabiles revocat ad rectum, quàm bonorum converſatio. Paulatim enim deſcendit in pectora, & vim præceptorum obtinet, frequenter adſpici, frequenter audiri.* Ita quoque & improbæ hominum ſocietati com-

a) *Converſatio.*

commercioque vitæ turpitudinem, maligniſque animi notas debemus. Nam ſæpenumero adnatæ virtutis indolem prava ſocietas exſtinxit, optimoſque animi mores aliena quoque ſtudia ac commercia depravarunt. Diſertiſſimè hoc teſtante Poëta:

Dedit hac contagio labem
Et dabit in plures: ſicut grex totus in agris
Unius ſcabie cadit, & porrigine porci,
Uvaque contactâ livorem ducit ab uvâ.

Quotuſquiſque enim, prò pudor! non exiſtit, qui per urbanas delicias, per otium, & uſum ſuorum commilitonum ad peſſima vitæ ſtudia, ad luxuriem, & libidines fœdiſſime ſe proripuit. Multos ubique reperire licet parentes, qui quod initiò ſuos liberos impune vagari ſint paſſi, Eheu! ſerô ſeriòque illorum ruinam ac interitum deplorarunt. Videmus agricolas ſolis perpetui radiis colorari; & diu ſecum odorem loci circumferre, qui ſemel ingreſſus fuit unguentarias tabernas: Sic diuturna cum aliis converſatio naturæ quoque habitum immutat. Quemadmodum eleganter rurſum idem Sophus: *Virum aliquem bonum eligito, illum ante oculos ſemper habeto: Ut tanquam illo ſpectante vivatis, ut omnia tanquam illo præſente faciatis.* In eligendis, in ſeligendis ſociis, Adoleſcentes, imprimis maxima habenda eſt cura, ut cum iis converſemur, qui bonitate & præſtantia morum antecellunt, qui à recto tramite nos aberrantes, in viam regiam reducant. Cum iis ſolum commercium habeamus, qui ad virtutem nos erudiant; qui arduis in rebus conſilium & ſententiam nobis utilem ſubminiſtrent.

Hoc, chariſſimi Collegæ, ſemper inſtituamus, ut qui honeſtiſſimis diſciplinis hactenus imbuti ſumus, in poſterum Præceptorum ductu & auſpicio feliciter ad gloriam & decus ſtudiorum curſum intendamus. Ita fiet,

religioſa

religioſo in pietatem obſequio propenſi qui ſumus, aliquando in illuſtri dignitatis gradu, & ampliſſimis vita honoribus effulgeamus.

DIXI.

ORATIO LXV.

De DOCTRINA, in Specie.

JACOBUS CLOCK,
Alcm. Bat.

EXtra omnium eſt aleam *H.A.* Primas nos Pietati debere: Quæ una humo nos levat, & inter cœli ſiderumque convexa, poſt brevem hujus vitæ uſuram, feliciſſimè tranſponet.

At meo tamen judicio, ne dum ſatis eſſe videtur hoc uno inclytum & illuſtrem exiſtere, niſi, inquam, illa divinæ auræ particula, Animus tinctus imbutuſque virtutum præceptis, præſtantiſſimarum etiam diſciplinarum ſcientiis diligenter informetur.

Tunc denique omnibus numeris felicitatem meam abſolutam perfectamque putabo, quando ſingularem Doctrinæ præſtantiam, cum vitæ morumque integritate conjungere licebit. Non quod aliquam in Pietate labem uſquam inveniam; ſed quod multò hæc ſit eminentior clariorque, ſi ad religioſiſſimas animi dotes optimarum rerum ſcientia acceſſerit. Virtus quidem per ſe ipſam abunde ſuis luminibus excellit; In ſecundis, in adverſis, aſylum ac perfugium nobis exiſtit. Sed minus aliquando conſpicua ac venerabilis, ſi non ad illam maximarum rerum cognitio prudentiaque advenerit. Multò, inquam, felicior pulchriorque virtus, ſi literarum quoque adminiculis, ad externum aliquem ſplendorem ſibi conciliandum, magis magiſque illuſtretur. Quantum poſſum, animo corporeque adnitar, ut divini ſpiritus obfirmatus

matus zelo, ad virtutum ſtudia alacriter me componam: Vnde ad æterna & immortalia certiſſimus eſt tranſitus.

Patiamini, quæſo *Ampliſſimi Viri*, ut contra invidiam, contra inertiem, contra multorum impudentiam noſtra quoque ſacra, ingenuam Minervam, debitis in cœlum laudibus extollere poſſimus.

a) Ad vos me primùm converto, malè feriata, jejuna, ſtupida vulgi ingenia. Vos Muſas noſtras, vos tanto ſudore vigilatas noctes, in nulla exiſtimatione habetis. Vos eruditum hunc pulverem, in quo incunabula omnis ævi ac ſapientiæ, occulta latent, novercali odio contemptuque proſequimini. Quod merito pudeat, famam nominiſque noſtri claritatem longè infra veſtras novaculas & officinas deprimitis. Hoc unum pretio precibuſque dignum arbitramini, quod animi avariſſimi ſordes juvare & explere poſſit: Sapientiæ titulis planè pro humili abjectoque habitis.

Quæ ſola eſt cauſa, quod adeo paucos in Repub. noſtrarum artium Antiſtites reperiamus. Nam illa imprimis in vulgo obtinet judicia, parum admodum referre, an illuſtribus Gymnaſiis inſtituendis, quotannis ſua præmia & impenſæ tribuantur. Dicite boni viri, ſi vel aliquam ab ingenio veſtro rationis ſtricturam impetrare poſſitis; Dicite, amabo, quid in ampliſſimo hoc univerſi theatro unquam ritè rectéque adminiſtrari poteſt, ſi ſapientiſſimorum hominum conſilia, ſi ſacerrima Philoſophi præcepta prorſus taceant atque exſtinguantur? Quis in penitiorem illum de Deo & ſalute noſtra receſſum nos miſeros peccatores admittit? Theologus eſt: Myſteria æterni Numinis operosè edoctus. Quis in foro, in tribunalibus, jura & ſententias graviter pronuntiat, ut Bellua multorum capitum, rude vulgus, intra ſuam orbitam

a) *Vulgus arguitur, quod contemnat eruditionem.*

tam gyrumque, quaſi frænis contineatur? Sapiens ille Iuriſconſultus eſt: Qui glorioſæ vocis ſuæ confiſus munimine, laborantium ſpem & vota promovet ac defendit. Quis nobis à proſperâ valetudine dejectis, ope & auxilio providè ſuccurrit? Miſſus ille de cœlo Æſculapius eſt: Qui medicam manum ægro præbet, qui languentem erigit qui priſtinas vires ac robora animo corporique redonat. Agnoſcite hæc Doctrinæ encomia, ineptiſſimi homunciones, longè alia de ſtudiis noſtris nunc ſuſceptâ cogitatione. Fortaſſe nunquam ad animum veſtrum admiſiſtis, quam arduæ dignitatis momentique res ſit, aut difficilem in Eccleſia perſonam ſuſtinere; aut Civium tumultui diſſidiiſque authoritatem interponere. Si non aliunde hæc ſacra intelligitis, intra vos ipſos, quæſo, affectuſque veſtros deſcendite. Quoties hic rebellantem intus animum offendiſtis? Quoties ſpe metuque diverſè huc illuc impulſi, ingenti dolore ſuccubuiſtis? Quoties per odia, per iram, per indignationem, in ultimum vitæ diſcrimen ac deſperationem deveniſtis? a) His tam effrenis animi vitiis ſaluberrima Philoſophiæ præſcripta medentur. Quæ una feliciſſimis prudentiæ ſuffulta columnis, infinita mortalibus beneficia præſtat. Quæ contra tot animi efferveſcentis cæcos impetus fortiſſimum à ratione præſidium mutuatur. Si à recto mentis diſcuſſi gubernaculo, in illicitos prohibitoſque auſus præcipites agimur, hæc in regiam rectamque viam nos reducit. Si, inimicitiæ ac ſimultatum accenſi furore, in proximum arma expedimus, hæc nos ad concordiam & amorem firma rationum pondere ac ſtimulis impellit. Si in libidinem, voluptatem, arrogantiam, ſolutâ animi compage, ſine lege modoque inclinamus, hæc ferocientem ingenii licentiam ſalutaribus exemplis atque monitis coarguit, prohibet, compeſcit. ó inclytam

a) *Philoſophia bona.*

in promovenda hominum felicitate literarum præſtantiam ac Majeſtatem! ô admiranda in Eccleſiam, in Rempublicam merita veſtra, viri eruditi! Sine quorum ductu & auſpiciis nulla Provincia, nulla civitas in tuto ac tranquillo ſubſiſtere unquam poteſt. Tanto nos ſumus beatiores, *Commilitones*, qui hoc loco noſtros quoque *Fabios*, *Catones*, *Lælios*; Qui noſtros *Lycurgos*, *Pittacos*, *Solones*, hiſce noſtris oculis hic coram intuemur. Quibus, ad ornandam cohoneſtandamque hujus Minervii ſanctitatem, haud deſunt priſci *Mecœnatis* & *Augusti* virtutum æmuli. Hoc inter ſolatia corrupti temporis atque ævi habentes, nondum operum noſtrorum memoriam apud omnes ex toto obriguiſſe.

DIXI.

ORATIO LXVI.

De Acquirenda Doctrina obſtaculis, & Neceſſariis.

CORNELIUS DAELDER, *Alcm. Batt.*

ITa eſt, *Chariſſimi Collegæ*, *Erudita Pietas* una eſt laborum noſtrorum meta ac terminus. Hinc omnibus animi ingeniique viribus, florente hac noſtrâ Adoleſcentiâ, maſculè intendimus. Vt aliquando per induſtriam hoc tramite feliciter confecto, ſive utilem in Eccleſia perſonam ſuſtineamus; ſive patriæ bono noſtras operas & lucubrationes Reipublicæ negotiis impendamus. Nunquam ſegnes, nunquam degeneres in ſacro hoc pulvere futuri. Præſertim tali tempore ac ſæculi moribus, quando mundi vitia & improbitas ad ſui faſtigium ac maturitatem velociſſimè contendunt. a) Propera, proſpera, tu nobis ô Deus, jucundiſſima

a) *Pacis perpetuæ initia.*

ſima hæc tempora: quibus pluſquam centum catenis crudeliſſimi Martis obſerato carcere circa templa ac forum ſecura tranquillitas exiſtat. Vt tanto major colendæ pietati reverentia, liberalium ſtudiorum Muſis authoritas ac Majeſtas tribuatur. Non mirum eſt, per Bellorum hæc intervalla, totâ non tantum Europâ incendiis deformatâ, bonas artes Phœbique ſacella ſuos quoque Manes pati.

Quando, inquam, militaris diſciplina Regum & Principum animos aulaſque penitus invaſit. a) His tantum honoribus, præmiis, fama conſtitutis, qui fortiſſimè enſem vibrare, qui tela in hoſtem ferire, qui immani ſulphure ac flammis omnia miſcere ac turbare poſſint. Cum ea vera virtus, amiſſis rerum vocabulis, habeatur, peritè ordines diſponere, viros diſtribuere, modo ſolvere, modò laxare obſidionem. Iam ſiniſtra, jam dextra equitem inducere. Sub aquilis & vexillis canitiem & ſtipendia plurima numerare; adverſo pectore vulnera & deformata cicatricibus corpora oſtendere, & mori ſub Naſſovio Phocione dulce ac decorum eſt patriæ. ſic præpoſterè, ſic perperam militantibus; quis amabo, modeſtæ honeſtæque Palladi noſtræ uſquam terrarum locus aut laurus ſit reliqua? Agite, *Potentiſſimi Regum & Regnorum arbitri*, ut poſt inundatum terræ orbem ſanguine, alma de cœlo Fides, Pietas, Pax feliciter nos reſpiciant. Tunc denique pacatiſſimæ Togæ ſtudiis ſua gloria, ſua ſecuritas, cum ſolenni triumpho, reſtituetur. Tunc priſtina ſapientiæ ſtudia, pluſquam terribilis ille armorum fulgor, Auguſtos noſtros Principeſque delectabunt.

Nos, nepotes veſtri, per vitæ ſtatuſque ordinem alternis ſuccedimus. Nos illi ſumus, in quibus poſterorum cura & ſalus repoſita eſt. Vt, parentum noſtrorum fatiſcente per ſenium ætate, his toris lacertiſque omne id incumbit, cujus

 nunc

a) *Bellica Virtus hodiè magni fit.*

nunc illi ex publici imperii moderamine molem & moleſtias tam ſollicitè in ſe recipiunt. E propinquo videre nunc mihi videor Spartam aliquam in Republica, quæ fidem curamque noſtram deſiderat. Vtinam! inoffenſo pede per aſpera hæc viarum ad propoſitum ſcopum perveniamus. Non obliquo unquam curſu à recto virtutis gubernaculo aberrantes; aut improborum impulſi commerciis in otium aut deſidiam prolabentes. Hercule, non ignoramus, quàm implicitis ac tortuoſis Mæandris flexibuſque ad honoris Ædem perveniatur; quibus labyrinthis atque ſcopulis religioſa doctrinarum adyta impediantur. Quàm non paucis contingat, aut circa ipſa principia collabi; aut medio in opere turpiter deſinere. Tunc inprimis, vita noſtra in bivio conſtituta, quando fideli præceptorum diſciplina manumiſſi, noſtro ductu & auſpiciis vivemus.

Hinc ſana conſilia noſtra malo turbante commercio; illinc Libidine, Ignavia, Voluptate, ſuis nos blandimentis doloſè circumvenientibus.

a) Ne ad periculoſa hæc ſaxa, *Commilitones*, turpe aliquando naufragium faciamus, omnium tutiſſimis remediis, Precibus & Labore eſt opus. Cave hæc duo intermittas quiſquis apicem tibi publicæ privatæque dignitatis proponis. Omnia enim, quæ ratione ingenioque complectimur, ſolùm ad Divinæ Majeſtatis cultum intendere debemus. Quo ſemel nos fallente initio, nihil unquam proſperè, nihil feliciter evenire poteſt. Igitur quo majoribus difficultatibus negotia noſtra implicantur, quanto plus ſudoris in ſtudiorum curriculo requiritur, tanto magis à propitio in cœlis Numine opem & auxilia implorare debemus. Nihil enim inſuperabile unquam eſt, quod piis ſemel auſpiciis exorſi ſumus. Si te temporum injuria, Adoleſcens, ad vitæ turpitudinem impellit; ſi animorum

a) *Precibus & Labore opus.*

rum corruptela & nequam ſodalitio periculum imminet; ſi à voluptatum irritamentis tempeſtas impendet, age, ad ſacra cum Deo colloquia animum intende. Sic fiet, ut contra pravos affectuum impulſus, contra Satanæ impiam molitionem ſecurus ac tutus ſubſiſtas. An verò immenſa ſtudiorum moles ac difficultas te gravat? à Deo ſuppetias pete. Ingeniorum hebetudo profectum retardat? ad vota & officia Pietatis te confer. Res domi anguſta, corporis valetudo te dejicit? ſuſcepta in Deum fiducia te eriget. A ſanctiſſimi Numinis religioſo cultu, Adoleſcens, ad indefeſſum laborem te voco: quem ſi veterum exemplo forti animo in te ſuſceperis, non dubium eſt, quin à pulcherrimo hoc virtutum confinio brevi in ampliſſimæ dignitatis ſolio reſidebis. *Nihil enim eſt, quod non expugnat pertinax labor, & intenta ac diligens cura.*

DIXI.

ORATIO LXVII.

Valedictoria.

PETRUS MARSIER,
Nobilis Haſſus.

MEritò, *Ampliſſimi, Spectatiſſimi Domini Audd.* illuſtri noſtro Minervio hoc die gratulor: Quod tam benevolam, tamque attentam Collegis meis aurem præbuiſtis. Mihi dicturo, ut eundem favorem ac benevolentiam præſtetis, per ultimum noſtrum vale, fidemque ſempiternæ erga vos memoriæ etiam atque etiam rogo, oro, obteſtor. Quippe hoc ſupra modum nos delectat, aliquid à noſtra ingenii tenuitate profectum eſſe, quod & tantæ eruditionis viros, quod ampliſſimum hujus urbis conſeſſum, hoc pauxillo verborum oblectamento hodierno die per-

permulcere poſſit. Equidem non ignoro, quanta rerum ſeries & ſarcina veſtris humeris, Viri præſtantiſſimi, incumbat. Quantum publica imperii majeſtas, in oculis, in conſiliis veſtris, hoc imprimis tempore meritò reponat. Vt eo magis admirari liceat, hunc ſolem tam benignè Muſis noſtris alluceſcere; quo Conſulares & Senatorios viros Minervæ noſtræ ſacris faſces ſuos ſubmittere hîc coram intuemur. Vtinam! ſic ætas & felicitas noſtra olim permittat, ut nos aliquo teſte debitæ gratitudinis, in honorem atque ordinem veſtrum oſtendere poſſemus. Hoc unum de nobis integra fide pollicemur, nullam amoris ac memoriæ noſtræ injuriam tam inhumanam atque barbaram futuram; quæ de ſingulari veſtro in Muſas affectu turpiter unquàm conſilere debeat. Illud enim primum præcipuumque eſt ſolatium, nos ſi ad honeſta virtutum ſtudia maſculo conatu incumbimus, noſtri quoque meriti & laboris idoneum Cenſorem judicemque reperire. Nam nihil generoſæ juventuti magis ad alacritatem, ad conſtantiam ſtimulos animumque addit, quàm pulchrè factorum ſuorum gloriam laudemque in publico demereri. Quæ ſola ſolidaque eſt ratio, quod illuſtres Scholæ, Gymnaſia, Academiæ, celebri per orbem fama effloruerint, Quod Liberalium Artium ſcientiæ tam ſæpè fervido & ardente deſiderio maximorum hominum mentes occupaverint. E contrario omnia paſſim interire; a) Reip. & Eccleſiæ caliginem offundi, Candorem, fidem, virtutes omnes de tabula expungi: Quando in ſuis incunabulis pulcherrimarum rerum exercitia nullam prorſus laudem, nullum plauſum, nulla uſquam præmia inveniunt. In caſtris nunquid Martius ille pullus per vaſta & prærupta locorum rectà in hoſtem ſuum vadit, ipſamque animam parvo venalem habet? Alii ad Orientem, alii ad Occidentem, terra marique

a) *Laus præmiorum.*

Digitized by Google

marique difficillimis itineribus contendunt: Solo, inquam, laborum ac periculorum ſolatio, ſpe præmiorum, propoſito? Haud aliter nobis ſub Togata Pallade militantibus evenire ſolet. Tanto ſemper ſumus alacriores, quanto plus decori atque ornamenti in medio conſtitutum videmus. Ferimur ingenti ſudore per tot rerum inacceſſa & præcipitia. Illum, quem videtis in ſublimi hîc poſitum, Parnaſſi verticem, hiſce noſtris comprenſum manibus, fortiter aliquando tenebimus. Nullus labor tam arduus, tam inſolitus atque aſper offendet, qui à pulcherrimo hoc trophæo, glorioſè incipientem, turpiter unquam deſinere jubebit. Vos, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi Viri*, laudandos veſtræ juventutis conatus, ad excellentem animi pietatem, ad illuſtres Doctrinæ titùlos acquirendos macti porrò juvate, promovete. *Argentum & pecunia* (Polybii verba ſunt) *eſt communis omnium hominum poſſeſſio: At honeſtum, & ex eo laus & gloria, Deorum eſt, aut eorum, qui à Diis proximi cenſentur.* Quod cum non ignoraret *Auguſtus Cæſar*, ingenia ſui ſæculi omnibus modis ac beneficiis fovit, excepit. Et *Themiſtocles*, poſt Miltiadæ de Perſis victoriam, honeſta æmulatione percuſſus, depoſitis rerum nugis, ſeria apud animum ſuum agitare propoſuit: Cauſam exinde à ſuis rogatus, *Miltiadæ ſe trophæis è ſomno excitari*, reſpondit. Idem alio tempore in theatrum iturus, cum quæreretur, cujus vocem libentiſſimè audiret, *Ejus*, inquit, *à quo laudes meæ optimè celebrabuntur*. Pari amore & affectu erga literas & literatos Nobiliſſimi Romanorum, *Pompejus Cæſar*, *uterque Scipio* extiterunt. Quibus *Macedonum ille Magnus* verè major adhuc fuit, qui propter ingenii admirationem tanti Ariſtotelem fecit, ut in unam de animalibus ſcribendam hiſtoriam octingenta illi talenta ultrò donârit. Dignum profectò Noſtratium imitatione exemplum! Cui & *Leonis Imperatoris* divinam

tione, meritò æternùm nos devincimus. Nulla tam ingrati ævi injuria unquam naſcetur, quæ nos de ſingulari tua fide, humanitate, benevolentia, tacere patietur. Vobis, *Amantiſſimi Præceptores*, nos quoque totos debere ſanctiſſimè profitemur: Qui religioſa animi induſtria, lenitate, ſolertiaque primam pueritiam exercuiſtis, poliviſtis, informaſtis. Si fortaſſe, ut ſolet, ex ætatis lubrico circa monita & exempla virtutum hallucinati ſimus, quæſo, delictorum benignè nobis veniam concedite. *Denique tu,* ô Æterne, Miſericors Deus, *fac, ut illuſtri Belgarum populo terrâ marique omnia proſperè, omnia feliciter eveniant. Et Inclyta hæc Alcmaria, Virtutum & ingeniorum alma Nutrix, proxima pacis optatiſſimo tempore, Opibus, Dignitate, Potentia, diu floreat, ſubſiſtat, perennet.*

DIXI.

Allocutio ad promovendos in Academiam.

POſt ſedulam ſtudiis veſtris navatam operam, ad Academiam, Vos ſex numero, Ingenui Adoleſcentes nunc promoveo *Opt. Max. DEUS* veſtra vota & conatus feliciſſimè properet, proſperet, promoveat. Semper dignos vos gerite *Gymnaſii* noſtri nomine & inſtitutione. Ad *Pietatem* & *Mores* Libero homine dignos alacriter ingenia intendite. Si *Eccleſia*, ſi *Reſpublica* veſtra aliquando ope & auxilio indigebit, facite omnia pro *Communi Bono*, pro *Conſcientia tranquilla*, pro *gloria Æterni* in cœlo *Numinis*. Sic vivite, ut à nobis edocti eſtis. Sic agite, ut vivo ſemper exemplo præluximus. Nunquam ſegnes, nunquam deſides eſtote in excellentiſſima, Virtutum poſſeſſione acquirenda. Cavete à nequam & improbo commercio. Illis vos ſemper adjungite, domi foriſque: quorum *Pietas* & *Induſtria* Vobis ex uſu & honore eſſe queat.

Vno

Vno hoc verbo à vobis avellor, *Chariſſima pectora* DEO DUCE, propoſitum Studiorum curriculum feliciter decurrite, feliciter abſolvite.

DIXI.

Hæ ſex antecedentes recitatæ Alcmariæ CIƆ IƆCXLVIII. *Examine vernali.*

ORATIO LXVIII.

ALCMARIA TRIUMPHANS DE PACE BRITANNICA.

Ampliſſime D. Prætor, Nobiliſſimi, Prudentiſſimi DD. CONSULES. *Conſultiſſimi, Spectatiſſimi DD.* SCABINI, *DD.* SENATORES. *Reverendi DD.* PASTORES, *DD.* DOCTORES. *Clariſſimi, Præſtantiſſimi Collegæ.*

AUDITORES *Humaniſſimi, Literatiſſimi.*

PACEM, Amicitiam, Fidem, Securitatem, Antiqua Fœdera, Libertatem, Relligionem, Famam, Fortunas, Dignitatem, hodierno die, Laus Optimo Maximo in cœlis Deo, cum fratribus ac Sociis BRITANNIS, Univerſæ BATAVIÆ, & huic Illuſtri ALCMARIÆ, vobiſque, PATRIÆ PATRES Excellentiſſimi, ex animo nunc gratulor. PACEM, inquam, de Cœlo reducem, Auguſtiſſimam PACEM, cujus ipſo nomine tecta atque agri lætari videntur, vobis poſteriſq; omnibus fauſtiſſimè gratulor. Quæ non minore animos noſtros, omniumque Civium pectora hilaritate perfundit, quàm ſi diu ſiccam & ſiticuloſam Africæ meſſem amœniſſimus de Cœlo imber irrigârit. Divinâ enim bonitate

nitate & Clementiâ in priſtinum ſplendorem nos Belgæ reſtituti ſumus: Longè à nobis poſteriſque noſtris depulſo crudelium bellorum metu ac tyrannide. Primum cum Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege veteris injuriæ odiis prorſus extinctis. Tandem cum finitimâ Britannorum Gente novis fœderibus, novoque amicitiæ jure atque legibus ſanctiſſimè confirmatis. ô vere felix, ter & amplius felix hoc Aſtrum, quod nobis nunc Batavis de Cœlo affulget. Quando in ſummum nuper diſcrimen rebus noſtris adductis, Bellum PACE; odia & diſſidia blando ac venerabili CONCORDIÆ nomine permutamus. Nullâ, ut ſperamus, inpoſterum mali materiâ ab Inferis renaſciturâ, quæ Relligioſiſſimum amoris vinculum improbo aliquo conatu diſſolvet, aut labefactabit, Sed, animis ſemper firmis, ſemperque fidis invicem permanſuris. Quibus communem à nobis hoſtem pari robore & fortitudine propulſabimus. Divini Numinis ſolâ gloriâ, ſacrorumque ritibus ac cæremoniis utrique genti perpetuo cum vinculo ac fide futuris. Quæ una præcipua certiſſimaque eſt cauſa, quod ab ipſis Superis, meritò noſtris vitiis infeſtis, rem ac opem tam benignam conſequuti ſimus. Omnipotentis indignatione atq; irâ nunc totâ quaſi cineribus ſuis ſopitâ ac ſepultâ. Quaſi albæ gallinæ nos filii, ſolique inter omnes mortales digni, quos ſingularis Cœli benignitas tam paternè defendat, protegat conſervet. Quibus nulla hoſtium injuria, nulla tyranni crudelitas peſtem perniciemq; adferre potuit. Stamus immotâ tanquam rupe ſecuri, ab omni bellorum formidine jam procul remoti. Viribus noſtris, ac virtutis invictæ fiduciâ firmiſſimè ſemper innixi. Cum exteris nationibus, & Barbaris, alio ſub ſole, gentibus, unde periculum imminere aliquando potuiſſet, ſecuriſſimæ Pacis negotio feliciter confecto. Nunc, poſtliminio, in ipſum Libertatis Atrium magnis animis recepti.

Et,

Digitized by Google

Et, illa in Batavis tempora ac tempe amœniſſima vivimus, ut non uni Europæ ac Africæ; ſed ignoti novique orbis habitatoribus exemplo ac terrori ſimus. Quæ infinitis miraculis proxima ſecuritas, cum majorum noſtrorum ſanguine, tum ſtupendâ in bellis fortitudine in hanc uſque molem ac famam conſurrexit. Neque unquam, me Hercule! poſſim illuſtres Belgarum Triumphos, quos in ſingulos annos Victor ille Populus Hoſtium manibus extorſit, infra veteris ævi feliciſſimos ſucceſſus, ac temporum penè prodigia, annumerare. Qui terrâ marique, ſub invictis Auriacis & Naſſoviis, tot prælia, tot pugnas fortiſſimè geſſimus, ut eorum vix fidem capiet, aut intelligat ipſa Poſteritas.
„ Ut, non majore olim argumento de Aſdrubale
„ profligato Livius Salinator, & Claudius Nero
„ triumpharint; Scipiones de Africâ & Aſiâ ſub-
„ actâ; Quintus Flaminius de Liberatâ Græciâ;
„ Cato de ſubjugatis Hiſpanis; Paulus Æmylius
„ de Rege Macedonum; de Mithridate Lucullus;
„ Pompejus & Cæſar de orbis terrarum imperio:
quam florentiſſimus Belgarum Populus de partis terrâ marique victoriis, & cum Potentiſſimo Hiſpaniarum Rege, & Anglicanæ Reip. Protectoribus, nunc initis ac celebratis perpetuæ Pacis conditionibus. Certè, nunquam, vel ipſo Naturæ jure major felicitas feſtivitaſque fuit, vel plenius perfectiuſque gaudium eſſe potuit, quam poſt tot res adverſas, atque iniqua fatorum, novo hoc ſidere, & amore Divino cœlitus nunc affici ac recreari. Qui ſi ævi noſtri facta & fata animis noſtris expendamus, videbimus in punctulo hoc terrarum quaſi totius Univerſi imaginem: In quo à tot retrò annis ſurſum, deorſum res noſtræ ſunt volutatæ. In quo, tam immenſa, tamque infinita, tot rerum diverſarum multitudo Poſteros noſtros ac Nepotes in ſummam admirationem ſtuporemque rapiet. Una, inquam, Europa quas non faces, quas

quas non turbas dedit? penè accenſo hinc toto terrarum orbe in fatalem flammam ac ruinam. Tanquam ex ſupervacuo nunc ſit, antiquam Hiſtoriam lectione amplius frequentare: Nobis jam domi ac in memoriâ cujuſque noſtrum exiſtente utriuſque fortunæ vivo teſte ac exemplis. Quod inprimis in fato & funere duorum Regum Potentiſſimorum, Frederico & Carolo, videre licet. Quorum alter, cum Regia Conjuge, cum filiis Principibus, cum omnibus ſuis fortunis in exilium ejectus, Alter, horret animus meminiſſe, ipſa Subditorum ſuorum ſecuri crudeliter percuſſus. Super quo tam tragico argumento nec diſertus ego eſſe velim, aut poſſim. Qui ſatis in Belgio noſtro, & ipſo Patriæ hoc ſinu habemus, quod excutere nobis pulverem ac ſudorem poſſit. Quæ inſtar Martiæ arenæ, omnes fatorum eventus, dubiamque tot rerum aleam nobis ad oculos depingit. Qui tot caſibus, tot moleſtiis aſſiduè impetiti ac fracti. olim ſub Albano duce, altero Mezentio ac Phalaride, miſerrimam ſervitutem toleravimus. Quando omnis ad eam rem affectabatur via, ut Eccleſiæ jam oppreſſæ, licet lento gradu, certiſſima tamen ſui pernicies ac interitus pararetur. Cui, velut agmine facto, hoſtes infeſtiſſimi inſultabant. Eoque miſeriarum illa redacta, ut in mœrore atque luctu vitam ipſa morte graviorem exigeret. Ad omnem contumeliæ audaciam, ad inopiam, ad ærumnas nos tunc projecti, in fugâ, in ferro, in ſanguine verſabamur. Ut nulla bonis civibus rimula pateret, quâ ſui ſecuritatem aut Aſylum reperire poſſent. Hinc à ferro truculenti Tyranni, inde ab omnibus penè elementis vitæ fortunarumque graviſſimo periculo imminente. Quin etiam tunc temporis immaniſſimâ Hiſpanorum graſſante crudelitate, res eò noſtræ redierant, ut nulli Reformatæ Religionis vocem edere; nulli, poſt crudeliſſimum inquiſi-

quiſitionis edictum, liberum ſpiritum producere liceret. Veſtram ego, Religioſiſſimi Belgæ, virtutem intuitus, æternis vos laudibus in cœlum uſque attollo. Qui deformatam ærumnis ſuis Eccleſiam, è carcere ac tenebris in apertam lucem revocaſtis. Teſtantur hos Majorum luctus & lacrymas tot funera, tot flumina noſtro ſanguine reſperſa; tot trucidatorum Civium agmina; oſſaque totis campis albentia. Quando nullus à pœnâ & carnificinâ dies ceſſabat; nullum ad res honeſtas exercendas otium, tempuſque libero homine dignum, concedebatur. Quidam retortis in terga brachiis, aquis immergebantur; Aliis longâ fame lenta mors protrahebatur; aliis, injectis collo laqueis, ſpiritus extinguebatur. Multi carnificum gladiis objiciebantur; Parentes à Liberorum complexu; à charis Maritis propriæ Conjuges per diram mortem avellebantur. Fana atque domus cædibus, cadaveribus, cruore atque luctu omnia complebantur.

Tandem verò, gratia ſit ipſis Cœlitibus! Nos, Nos, Nationum Gentiumque terror, BELGÆ, feliciter ex hoc malorum Labyrintho eluctati ſumus. Donec iterum, eheu! nova ab Inferis Alecto & Hydra, illud immaniſſimum, cum veteribus Amicis, Britannis, Bellum ac Diſcordia repullulat. Qui nunc domi foriſque, confectis glorioſè rebus, ſub aureæ Pacis umbrâ gratiſſimam Quietem amplectebamur. Et nullam de armorum ſtrepitu, vel per ſomnium, cogitationem ſuſcipiebamus. Ecce, nova nobis à tergo Nemeſis. Qui, tanquam ſubito quodam ictu fulminis perculſi, tantò graviorum noſtris Provinciis tempeſtatem imminere, coram vidimus. Quaſi non aliunde incertam fortunæ aleam unquam didiciſſemus. Ut quoque ipſam Britanniam, fide, amicitiâ nobis pridem arctiſſimè conjunctam, nunc etiam hoſtem acerbiſſimum experiri deceret.

Qui

Qui opes, qui divitias, quo jure, quâque injuriâ ex viſceribus miſerorum Civium ſibi comparare ſtudebant. Qui communem liberi maris uſum ſuis ſic ſpatiis limitibuſque coercebant, ut nos â littore ac arenis, tanquam alteras Harpyas, ac infeſtam ſibi jam diu turbam, oppoſitâ acie ferroque prohiberent. Ab hac, inquam, parte, quâ immunes ſemper exſtitimus, inde novus nobis ad portam Cromvellius: qui, ſub Pacis prætextu, in Patriæ noſtræ viſcera rapaciſſimos ſuos ungues diſtringebat. Neſcios omnis mali ac bellorum, planéque imparatos, alieno ſic tempore, obruere, certè, nec fortitudinis, nec priſcæ virtutis eſt exemplum. Potuiſſemus nos Belgæ feliciter in armis ſubſtitiſſe, Galliarum Regis aliarumque Gentium amicitiâ atque fide nobis certâ, ſi cum Hiſpaniarum Rege ulterius confligendum fuiſſet. At cum Amicis, cum Pacis fœderumque Sociis, Bellum, poſt hominum memoriam, crudeliſſimum ſuſcipere, vah! quam ſordidum, quam ingratum fuit verè Pacis Patriæque Amantibus. Cum quibus, & propter Religionis Candorem, Puritatem, & Commerciorum celebritatem, nobis ſincera nuper amicitia & fides. Quos in charis amplexibus, in gremio, in ſinu noſtro hactenus tam benigniter geſtavimus, fovimus, eduximus. pro quorum Salute Nos noſtras animas toties in diſcrimen objecimus; toties illis operam, auxilia, & Pacis & Bellorum tempore, ſingulari cum promptitudine exhibuimus. Qui & ipſi, paullo antè, nec inficiamur, Nos quoque Belgas candidis ſuis pectoribus complexi fuerunt. Qui rebus noſtris in periculum adductis, ſæpe ab illorum manu feliciſſima præſidia habuimus. Tanquam firma ac invicta militia foret, in quâ ex Anglis, ex Scotis, ex Hybernis collecti exercitus ac Legiones. Meminiſtis, Humaniſſimi Auditores, quid una Scotorum Regina, Elizabetha, bene-

beneficiorum in nos contulerit. Quo affectu in Nos propenderit ex eâdem Regiâ domo, Rex Jacobus. Quæ Pietatis officia erga nos exhibuerit filius ejus, fide & charitate nobis, dum fata Deuſque ſinebant, devinctiſſimus, Rex Carolus. Nec minore obſequio, animique virtutibus Nos quoque Batavi in finitimos Britannos propenſi ſemper fuimus. Qui olim Fredericum Bohemiæ Regem noſtris auxiliis fortiter tutati ſumus, Illum in noſtræ Patriæ gremium, jam terris exulem, benignè excepimus. Qui nuperrime per Guilielmum II. Principem Auriacum Ejuſque Auguſtiſſimas nuptias in illius populi ſocietatem pertranſire, cum affectu ſingulari deſideravimus. Quare tandem, Belgæ, feliciſſimo, ut ſpero, omine, cum amiciſſimâ hac quondam nobis gente ac Republicâ in perpetui amoris fidem ac certamen deſcendimus. Nullo unquam tempore quicquam temerè denegaturi eſtis, quos ſemel noſtro pectori, pro ſolito candore ac officiis impreſſimus. Arctiſſimam ſemper inter nos & amorum & fœderum habituri neceſſitudinem. Veteris injuriæ memoriâ jampridem Lethæi ad fluminis undam, altiſſimo, ut ſic dicam, ſilentiorum gurgite demerſâ. Nunc demum tot Regum potentiſſimorum atq; Nationum, per univerſam Europam Amici atque Socii. Ad quam illuſtrem famam & fortunam Optimus Maximus in cœlo Deus feliciſſimè nos conſervavit. Noſtraque fortitudo, Conſtantia, Fides, Pietas viam nobis præmunivit.

“ Dicam igitur, Humaniſſimi Auditores, quam „infinitum, quam divinum atque excellens ſit „ beneficium, reſque inæſtimabilis, quam uno hoc „ Pacis titulo conſequuti ſumus. De benigna „ attentione ac favore veſtro, quo in Patriæ & „ Muſarum amantem propendere ſoleris, certiſſi- „ mam animo meo ſententiam induxi. Tu, fac, ô Opti-

ô Optime, Maxime in Cœlis, Deus, ut tenui"
noſtrâ facundiâ circa prudentiæ tuæ myſteria, &"
Pacem divinitus nobis conceſſam, ritè re-"
ctéque occupemur.

Bellum, quod pridem contra Britannos totis Belgarum viribus fortiſſimè geſſimus, hoc non modò opere ipſo nobis graviſſimum fuit, ſed & poſteris noſtris ex famâ & Annalium fide ipſo auditu juxta terribile ac prorſus incredibile erit. Quò utrimque maximi populi vires, invicem commiſſæ, univerſæ Europæ novæ fortitudinis exemplum oſtenderunt. Regiis opibus intra paucorum menſium decurſum, in certamina & pugnas duarum Gentium vix ſatis. Qui furor in ipſis ſuis incunabulis tantum humani ſanguinis conſumpſit, ut penè ſupplementa novorū Exercituum maritimorum, & navalium ſociorum par numerus defuerit. Nauticâ pube hinc inde ad militiæ ſacramenta prece ac pretio allectâ. Jam commerciis atque itineribus peregrini ſoli cœlíque, pro temporum injuriâ atque acerbitate, Batavo Typhi intercluſis. Atque hæc prima tantum ſunt exordia calamitatum noſtrarum. Tanquam armis luſoriis hactenus, & prælio tantum imaginario ſit decertatum. Tanquam leve ac puerile rudimentum illud fuerit, & majoris deinde bellorum apparatus exhibendi exercendique. Quibus ita tamen attritæ afflictæque & noſtræ & Hoſtium vires, ut totius penè ſæculi, quod vix biennium geſſimus, bellum fuiſſe videatur. In quo non tantum vilia & venalia aliquot è vulgo capita ceciderunt; ſed flos virtuſque virorum totius Angliæ ac Bataviæ. Et, cujus exceſſum meritò pii omnes lugent, alter ille Batavûm Macedo, aut Marcellus, Martinus Trompius, Cujus Viri laudes lauroſque æternas, & animam illam Patriæ & Deo devotam ſacro ſilentio malo præterire, quam Scholaſtico hoc pulvere ſordibuſque adſpergere. Vix

 credi-

crediderim infeſtis magis ſignis ab omni ævo eſſe
„ pugnatum. Cum aut Tyrum ligneo opere op-
„pugnaret Alexander; aut claſſem Amilcaris
„ Regulus; Mindarum Alcibiades; Pœnorum
„ Duillius; Græcorum Xerxes toto æquore disjice-
„ ret ac diſſiparet. Vel, cum Cæſar & Cleopatra
„ toto Oriente & Occidente in mutuas clades &
„ calamitatem concurrentes, terras & maria ſuo
„ Marte & claſſibus infeſtarent. Vos ipſi, Auditores, horreſco referens, & oculati & auriti teſtes hic fuiſtis. Quorum ſenſus atque animi, credo, adhuc iſtos in proximo tonitrus ac fulmina trepidant ac reformidant. Tanquam in ipſis Ætnæ fornacibus, aut Liparæ officina, novi Cyclopes arma tunc Jovi fabricaſſent. Quando hoc ipſum pulpitum, in quo nunc lætus ovanſque exulto, tanto metu ac fragore concuteretur. Perque vicinas ſylvas & limina Deorum Immortalium dolore noſtro atque gemitu latiſſimè circumfuſo. Hæc longè imparibus intervallis ſolita noſtra caſtra & exercitus, quos in continente, per tot annos, contra Hiſpaniarum Regem in aciem produximus, exſuperant. Cum modicis copiis, cum vallis & aggeribus, non tam barbara utrimque crudelitate, decertaretur. Tam grandi atque immenſa ſumptuum molitione nunquam neceſſariâ. Cum in obſidionem urbium ac caſtellorum; in exſiccandas paludes; in peditum, in Equitum turmas, quæ familiaris tunc nobis arena, facile fiſcus noſter ſufficeret. At, hæc bella maritima, toto Oceano, tantâ mole, quæ nuper inſtructa, plus quam Tagum, quam Pactolum, & utriuſque orbis divitias requirebant. Inciſis jam undique ærarii nervis & lacertis. Non universa Republicâ, non omni privatorum cenſu ad tantæ magnitudinis negotium, in alendum militem ſocioſque navales, pares unquam præſtiturâ impenſas ac ſtipendia. Uni Deo Optimo, Maximo, Immortali,

tali, Auditores, ſola hæc gratia debetur. Qui periculoſiſſimis Reipubl. temporibus tam prorſus intolerabile à noſtris cervicibus jugum ſaxumque amovit. Sub quo faſce & pondere iniquo duo fortiſſimi Populi, Belgæ & Britanni propediem eodem caſu concidiſſent. Finitimis hinc indè gentibus, tanquam in funus alienum, ſiccis oculis, ſine lacrymis ac dolore, jure nobis parentaturis. Non dubium eſt, quin tot Piorum vota, preces, ſuſpiria, zelus Chriſtianæ Religionis offenſi nobis hactenus Æterni Numinis animum aureſque feliciter tandem expugnârint. Videritque tandem ex alto DEUS, quam multi cum apud Batavos, tum apud Britannos, genua & manus ſuas incerârint. Jamque errorum ſuorum veniam pacemque ſuppliciter cœlum ipſum expoſcerent. Quâ de causâ Nos, Humaniſſimi Auditores, è ſacra pagina, cum Prophetâ Moſe meritò canemus: FORTITVDO ET LAVS MEA, DOMINVS; QVI FACTVS MIHI IN SALVTEM. GLORIFICABO DEVM MEVM; DEVM PATREM NOSTRORVM, ET EXALTABO EVM. DOMINVS QVASI VIR PVGNATOR; OMNIPOTENS NOMEN EJVS. DEXTERA TUA, DOMINE, CELEBRATA EST FORTITVDINE. QVIS SIMILIS TVI INTER FORTES, DOMINE, QVI MAGNIFICVS ES IN SANCTITATE, TERRIBILIS ATQVE LAVDABILIS, FACIENS MIRABILIA.

Quare Vos, Illuſtres Fœderati Belgii Celſiſſimi ORDINES, rem Deo Optimo, Maximo ſacram, Civibus veſtris utilem ac ſalutarem præſtatis: quod ſolennem Triumphi diem publicâ authoritate decreveritis. Factoque à divinis pulvinaribus ac precibus auſpicio, inde Populo univerſo

Digitized by Google

verſo Ferias, Ludos, Panem & Circenſes, vetuſto more, exhibeatis. Ut, in tanti beneficii memoriam ſempiternam, nos & Poſteri omnibus numeris abſolutam perfectamque hilaritatem, publicò etiam cum gaudio, teſtaremur. Quæ Pompæ ac Ferculorum oſtentatio etiam apud profanas Gentes præclarum ſui uſum & conſuetudinem habuêre. Quando, aut prolatis Imperii finibus, hoſtem armis deviciſſent; aut aliud à Diis Immortalibus munus beneficiumque obtinuiſſent. Ita quondam
,, Ægyptiorum Rex Seſoſtris, præter Ludorum,
,, Epularumque magnificentiam, quatuor captivos
,, Reges ad currum junxit. Ita Camillus, expugna-
,, tâ Vejorum urbe, Jovis Soliſque exemplo, al-
,, bentibus Equis Capitolium inivit; Pompejus A-
,, fricano triumpho; Cæſar Gallico; Elephantis;
,, Nero Hermaphroditis; Aurelianus Cervis; Helio-
,, gabalus quaternis Canibus, mox Tigribus, & ali-
,, quando nudis Virginibus. Quo inprimis tempore non indignè eſt habendum, ſi nos à Cyrrhâ aut Permeſſide Vates de noſtro aliquid Genio ad publicum hunc applauſum & coronam attexamus. Quando magna apud Civem eſſet improbitas ac flagitium, ſolum eſſe immunem à ſenſu publicæ hilaritatis. Qui nunc Religione, Libertate, Fortunis cujuſque noſtrûm, Pulcherrimâ Pace, receptis, majore argumento, quam de Potentiſſimo Hoſte, armis domito ac devicto triumphemus. Omnium igitur voto & exſpectatione major, Tu, de cœlo nunc redux, Pax Aurea, Salve. Fons unice ſalutis humanæ, Jucundissima Pax, ſalve, Sacratiſſimis noſtris Muſis templiſque, Suavissima Pax, ſalve. Belli Britannici meta, ac finis omnium malorum, Optatissima Pax, ſalve. Cujus cœleſtem ambroſiam atque dulcedinem, poſt infelicem bellorum amaritudinem, nos, ſpero, Batavi pleno ore ac pectori-
,, bus propediem deguſtabimus. Tu, inquam,

Pax

PAX ALMA, PAX AUREA, innumeris " triumphis ea potior. Tu, optima rerum, quas " homini noviſſe datum. Tu, unum rebus afflictis " remedium, utilis victis, victoribus pulchra. Quâ " non modo ii, quibus natura ſenſum dedit, ſed " etiam ſaxa & ſolitudines lætari videntur. Tuæ in " poſterum amœnitates, tuæ deliciæ, otia, gaudia, hinc Illuſtrium Belgarum, inde Fœderatarum Gentium animos magna hilaritate pertentabunt. Ipſa demum SAPIENTIÆ ac Literarum STUDIA, immane quantum! ſub hoc tuo ſecuritatis præſidio efflorescent ac luxuriabunt. Quando non ferro, aut chalybe, non ſulphure, non telis, non facibus, non veterum Cyclopum incudibus res agetur; ſed à vivâ virtutum flammâ atque gloria divinæ mentis igniculos incendemus. Quando Juſtitiæ Soror incorrupta Fides ſuum ſibi Theatrum vendicabit. Gymnaſia, Academiæ priſtino ſplendori reſtituentur. Quando nos à Parnaſſo ſemipagani Vates ad ſacra Apollinis carmen afferemus noſtrum. Et Pluteis, Armariis, Bibliothecis, Philoſophorum denique porticibus debita ſua majeſtas decuſque accedet. Mox centum poſt terga catenis Marte & Vulcano compeditis. Unde ad Belgicæ Libertatis Aſylum, tanquam ad priſcæ ſanctitatis Aram, nobilis Eruditorum turba ſe conferet. Militia quoque noſtra Togata, otiumque Literarium longè ultra Imperatorios Faſces atque Paludamenta glorioſè verticem ſuum attollet. Non jam amplius de humano ſanguine & carne aliquo Thyeſte aut Phalaride ſententiram dicturo. Sed, Clementia; ſed Modeſtia; ſed Liberalitate, Principumque Virtute ac exemplis in vitæ legem atque conſuetudinem tranſituris.

Prorſus numero carent Bona noſtra, Auditores: quæ ſub uno Pacis nomine tam læti feliceſque recepimus. Domi, foris alium colorem, aliam rerum faciem cuncta promittunt. Et nunc, libe-

Digitized by Google

rato à ſervitutis ſuæ jugo Patre Neptuno, noſtra in poſterum in tuto commeabunt navigia. Pervio in omnes terras, extra anni ſoliſque vias, itinere Belgarum. Ut, quibus hactenus divitiis opibuſque ab alio cœlo in hunc orbem noſtrum advectis, ſupra modum elati fuimus, in eadem deinceps Fortunâ perpetuam poſſeſſionem ac faſtigium obtineamus. Facilè præteriti temporis injuriam Mercurio noſtro reparaturo: Quando iterum libero velorum remigio per aperta Æquora, & univerſum Oceanum Neptunicolæ noſtri ferentur. Ultrò ipſâ nunc Arcto & Septentrione malos, antennas, tabulata ad claſſium uſus fabricamque ſuppeditaturo. Nunc & à Danis, à Gothis, à Cimbris, à Vandalis, & toto illo Cœli glacialis tractu intra noſtra quoque mœnia ac navalia habituri, quod, aut Pacis, aut Bellorum tempore, uſui, aut ornamento eſſe poſſit. Solitum eſt fortes animos, inter adverſa diu luctatos, generoſiore impetu ad majora ſemper aſſurgere: ſuique exiſtimationem, etiam poſt atras nubes hyememque emiſſam, novâ quadam animi alacritate accendere. Qui nunc tanto crebriore, quam unquam, navigatione cuncta terrarum ac maria frequentabimus. Nuſquam gentium aut locorum intercluſa nobis Naturæ fœcunditate. Quid Seres, quid Thraces arent; quantum ferat aut metat Sabæus; quantum in horreis poſſideat ipſa Aurora & Veſper, domi computat Batavus. Thulem remotam, Tameſin, Tagum, Sequanam, Rhenum, Danubium, ſua hæc jactat littora Batavus. Et nunquam minus ſecum ipſo Palinurus noſter contentus, quam, ſi per inertem glaciem atque aſpera Brumæ frigora, affixus jam ſuæ glebæ, clavo uti nequeat. Qui tunc demum felicem beatumque ſe deprædicat, quando, aut Batavâ Centauro, aut Argo aliquâ & Æmilia vehitur, nobilemque ſylvæ filiam ſua manu & arte Magiſter gubernat. Fieri non poteſt, ut non maſ-

cula

cula Neptuni proles futuro inſtet operi & lucro. Quæ ipſum Acheronta, & oppoſita noſtris pedibus veſtigia, ſpe melioris fortunæ, labore Herculeo penetrat. Novum à Colchide vellus exſpectamus. Nondum magnæ matris gremium penitus eſt exhauſtum. Nondum omnia à nobis Britannus abſtulit. Plus ſoli adhuc à tergo eſt, quod favente Pacis ſereno, occupantis erit. Hæc, dum dico, H. H. Auditores, noſtræque Palladi & Mercurio auguſtiſſima hæc tempora gratulor, videre mihi videor hic in propinquo, totis campis lætas collucere faces; Ruricolarum tuguriola & mapalia majorem fumum ſpargere. Et, ni fallor, priſco ritu nova Compitalia celebrari. Ecce, à vicino, portâ, fortaſſe, Egmondana aut Bameſtræ villicus intrat ſolito ſuo more, vultu animoque defecatior. Hic de bellorum feriis, & inito cum ſociis Britannis fœdere certiſſimum nobis nuncium apportat. Sua illa incendia, totoque caligantes littore fumos, nil niſi patriæ Securitatem, Lætitiam, Triumphos, ob Cives ſervatos, portendere. Solennia Cereri & Baccho ſacra fieri. Nunc ordine ponendas vites; inſerendas Melibæo pyros; in quincuncem dirigendas arbores, vallos furcaſque bicornes operi aptandas. Nunc viridi in cæſpite exultim ludere Hamadryades, Satyros, Napæas; reſonare ſylvas Amaryllida; Theſtilim & Galatheam, Allia ſerpillumque herbas contundere olentes. Nec jam amplius ſtivæ & aratro metuendum, ut miles barbarus depaſcat culta novalia; arma & faces tecto injiciat: aut tunicatam agri quietem tympana ac litui interturbent. Sed Halcyonia; ſed Theſſala Tempe, alteroſque jam Elyſios in Morinos, in Batavos, in Friſios noſtros revertiſſe. Pro rauci æris clangore, ſub frondoſa ilice & opaca Lauro dulces volucrum concentus audiri. Pro immanibus baliſtis & tormentis gravioribus Muſicos ab Orpheo & Am-
 phione

phione modulos recitari. Pro prædâ, pro rapinis, pro diris vaſtationibus, jam, ſacro Silentio, Libero Patri, Cereri, Dianæ litari. Militiæque inſtrumenta, ſicas & gladios, in aratra & vomeres conflari.

Tempus eſt, ut nunc à Rure & ſylvis noſtris, longâ feſſi viâ, in ipſam Urbem adſcendamus. Tu, da dextram mihi, PAX ALMA, da dextram oro, ut parem beneficiis, tuiſque meritis corollam atque orationem pertexam. Vix primum à limine pedem promoveram, quin ſtatim in lætas undique Civium acclamationes incido; totiuſque fori communem applauſum arrectis auribus percipio. Hic de publico Fiſco, de Ærario, de Cenſu, de Tributis ac Vectigalibus plurima fiebat mentio. Sed, quàm pridem, multò liquidiore ac liberaliore calculo & rationibus: Cum de grandibus in bellum ſumptibus faciendis, ſuæ quiſque bulgæ ac fortunis pertimeſceret. At jam neminem fore, aut pertinacem, aut difficilem, ut, pro ſuis facultatibus Rempublicam liberaliter juvet ac defendat. Circa ſortem ipſam nullum eſſe periculum aut diſcrimen, ſi quid fœnori, ſi quid ſummæ decedat. In tuto ac vado eſſe ſupellectilem, theſauros, agros, domos. De quibus paulò ante, cum bella in procurſu ac in procinctu eſſent, deſperandum penè à ſingulis. Jam purum & ſine labe ſalinum, jam pratoria, jam menſas, jam cæterum auri argentique pondus, tot dona incuſa atque infabricata Poſſeſſorem „ſuum manere. Apud quos jam lance beatâ Da„cicus & ſcripto radiat Germanicus auro. Et Cau„ſidici lectica Mathonis, plena ipſo, axe citato, „Flaminiam pervolat. Ubi mox de finibus, de „terminis agrorum ac poſſeſſionibus diſputabitur. „Uter plures domi ſervos alat, aut ruri equos „paſcat. Quam pretioſo lecto dormiat; quam „pellucido poculo bibat; quam multa magnaque

paro-

paropſide cœnet. Nihil amplius de truci Gorgone, de fera Ægide, aut Aquila, de caſtris, de claſſibus in foro diſſeritur. Blandula Pacis nomina, ſacra Amicitiæ ſymbola, Convivia, Ludi, Circenſes, Theatra omnibus in ore. Jam reſpirantibus ab omni metu ac terrore Belli fortiſſimis Belgarum Proceribus. Quando aliis nunc oculis Lares noſtros Liberoſque intuebimur. Aliis oſculis officiiſque ſuam ſibi quiſque Penelopem propitiabit. Quando multis, præ gaudio, lacrymæ excident: Quas non diſtrictus enſis ſuper innoxia cervice vi ſuâ potuit elicere. Denique omnis vitæ mortalium ſumma in hoc uno conſiſtit; ut tandem Felicitatis noſtræ fundamento Divinæ PACIS faſtigium imponamus. Ut, meritò nunc cum ſacro VATE exclamare nobis liceat: INFERIORES SVMVS OMNIBVS TVIS BENEFICIIS, O DEVS. QVID REPENDAM TIBI, JEHOVA? CALICEM LIBERATIONVM ACCIPIAM, ET NOMEN TVVM INVOCABO. JVBILATE DEO, OMNES TERRÆ. PSALMVM DICITE NOMINI EJVS, DATE GLORIAM LAVDI EJVS.

Ut verò de hac PACE Britannicâ jucundiſſimos proſperoſque ſemper ſucceſſus habeamus, in utroque Populo Veritas, Fides, Conſtantia firmiſſimè retineri debet. Quibus Virtutibus Regna & Imperia, tanquam altiſſimis defixa radicibus, æternum florere, tutoque ſubſiſtere poſſunt. Quo ſemel fulcro publico iſti ædificio ſubtracto, omnia, neceſſe eſt, in pejus vergere. Quippe, novæ ſocietatis, Fœderum & Amicitiæ illud eſt primum & proprium, ut Diſcordiâ, ut injuriis, ut bellorum fomite, litibuſque, prorſus ex animo & memoria deletis, in unum quaſi corpus animamque coaleſcamus. Vetere, inquam, ma-

lorum ſemine, atque odii materiâ, ut generoſos ſpiritus decet, tacitâ oblivione ſilentiiſque prorſus extinguendâ. Et quodcunque priore bello argumentum ſive temeritatis noſtræ, ſive inſaniæ alienæ fuerit, illud jam totum ac univerſum, meliore nomine atque titulo, in conſuetudinem moreſque amantium, convertatur. Quibus, poſt brevis iræ furorem, fortiores igniculi atque impetus innaſci ſolent. Pari amore atque affectu inpoſterum apud Belgas Hiſpanos, Britannos, Scotos, Hybernos complectemur. Et in liberâ Republicâ æque de CROMVELLIIS, de FEREFAXIIS, quam de noſtris NASSOVIIS & AURIACIS virtutes deprædicari patiemur. Per ſanctiſſimæ oblivionis legem, AMNESTIAM, omni injuriarum memoriâ in perpetuum deletâ, exſtinctâ, obliteratâ. Niſi peſſimo Poſteritatis exemplo, novi Fœderum Ruptores, Falſarii, Prævaricatores, Hominum nequiſſimi appellari velimus. Certè, de nobis Batavis, olim fidiſſimis Romanorum Sociis atque Fratribus, dextram Fidemque, Tibi, Britanne, promittimus. Qui de vitâ, de Fortunis noſtris abire multò jucundius habemus, quam à pactionibus, & promiſſis, & datâ ſemel fide latum unguem recedere. Hoc tamen prudenter cauteque providendum eſt, ne, delibuti tranquillæ Pacis dulcedine, ad ſecuram mollitiem, & ſegne otium prolabamur. Ne, fortaſſe, Sinone aliquo, aut ſubtiliter invento ſtratagemate, in tranſennam inducti, omnem de humanâ perfidie ac fallaciis curam & cogitationem deponamus. Etiam ipſius togæ atque Pacis officium eſt, in omni li-
„ mine ac littore diligenter excubias agere; non
„ facilè militem ſacramento exſolvere, qui Pacis
„ quoque tempore Reipublicæ pro ornamento
„ eſt. Diſciplina enim militaris acriter retenta
„ principatum terrarum Romano imperio peperit.

rit. Et, revocato priſco more, exercendæ ſunt " legiones, perinde ac ſi hoſtis ingruat. Nam, ſi- " ne milite multa, quamvis egregia, tamen inva- " lida. Quod ſæpe in Bello Civili ac ſubitis Po- " pulorum diſſenſionibus apparuit. Quando, dimiſ- ſo exercitu, & milite exauctorato, in extremum diſcrimen adducta eſt Reſpublica. Hæc in maximis rebus negotiiſque adhibita induſtria, Illuſtriſſimis PATRIÆ PATRIBUS, Celſiſſimis Belgii ORDINIBUS, non ſine ingenti laude & gloriâ attribui debet. Quorum ſingulari Prudentiâ, Fortitudine, Viribus, Virtute, vigiliis contra omnem injuriam & oppreſſionem tam fortes & felices in hunc uſque diem ſubſiſtimus. Quibus ſolis, poſt DEUM IMMORTALEM, acceptum refertur, quod Bellorum facto nunc fine, perpetuam cum Finitimis Pacem & Amicitiam celebremus.

Hæc tam pretioſa rerum, Humaniſſimi Auditores, Armorum Ferias, QUIETEM Publicam, Libertatem, Religionem ut porrò ſanctam ac inviolatam conſervemus, opus eſt DIVINO DUCTU & PATRUM Auſpiciis. Relligio " enim & Pietas, firmiſſima Reip. ſunt vincula: " quibus, tanquam ſacrâ anchorâ, Salus noſtra " innititur. Cultus namque Deorum optimus eſt, " idemque caſtiſſimus & ſanctiſſimus. Omnia- " que proſpera eveniunt colentibus Deos, adver- " ſa ſpernentibus. "

TV, ô OMNIPOTENS, ÆTERNE, MISERICORS, IN COELIS DEVS, FAC, VT FOEDERATI NOS BELGÆ NVLLO VNQVAM TEMPORE HÆC IMMORTALIA BENEFICIA ANIMIS INGRATIS POSSIDEAMVS. VT FACTA CVM EXTERIS NATIONIBVS FOEDE-

Digitized by Google

RA DIV PROSPERA, FELICIA, SARTA TECTAQVE CONSERVENTVR. VT RELLIGIO, VT LIBERTAS, VT CVRIA, TRIBVNALIA, TEMPLA, GYMNASIA, SCHOLÆ LONGISSIME SVBSISTANT, FLOREANT, LVXVRIENT. VT PAX ALMA, PAX AVREA, QVÆ CVM BRITANNIS ET HISPANIS FOELICITER NVNC INITA, NOBIS ET POSTERIS SPLENDORI, ORNAMENTO, AC VNICVIQVE NOSTRVM SOLATIO ET SALVTI ESSE POSSIT.

DIXI.

Habita Alcmariæ CIƆ IƆC LIV. *Pridie Triumphi Publici de Pace Britannicâ.*

ORATIO LXIX.

Habita à

GUALTERO LANSCHOT. NOB. *Lugd. Batt.*

GUILIELMUS AURIACUS.

Belgarum Libertatis & Orthodoxæ Religionis deſenſor atque arbiter ſum *Guilielmus Auriacus:* tot illuſtrium nepotum Stator Satorque. Domo & ſanguine Germanus, præſtantiſſimo & fide & indole populo oriundus. Quorum ſi facta inclyta utrâque paginâ commemorare quis cupiat, ipſam, puto, fortitudinem, Conſtantiam, Candorem; Majeſtatem tot Regnorum ſimul ac nationum decus ac virtutem inveniret. *Iuliana* mihi mater fuit, illuſtriſſimis avis ataviſque

que digna virago. Pater, *Guilielmus*, nomine & meritis immortalibus toties in ſerâ poſterorum memoriâ cùm laude & gloriâ nominandus. Omnis ille noſtræ familiæ eſt nitor, quo ſic illuſtri nunc famâ vos, *mei Belgæ*, inceditis: à Regum & Cæſarum proſapiâ in veſtram Rempubl. non minus glorioſè, quàm feliciter diffuſus. Ætate jam maturior, de prole & poſteris cogitare incepi: Vt & jucundam noſtri imaginem chariſſimis vitæ virtutumque hæredibus relinquerem. Primo in *Maximiliani* Imperatoris illuſtriſſimi familiam me immitto: cui fidum & fidelem me generum probavi. Poſt primæ Conjugis honeſtè depoſitos luctus, inclytam ducis *Mauritii* Filiam *Annam* in matrimonium recepi; ſed fatis non proſperis ac faventibus. iterum thalamo jam orbus ac amoribus. Hinc ad illuſtrem *Borbonii ſanguinis* Domum me contuli: ubi rurſum gemino jam cineri *Carlottam* uxorem ſuperinduco. Ab eadem Fatorum clade jam iterum impetitus, ad novas & noviſſimas nuptias animum adjungo. Iamque tot ducum ac Principum affinitate clarus, regio ac egregio *Colimorum*, apud Gallos, ſtemmati pulcherrime inſertum innexumque me volebam. Quales quantique Heroes ex crebris iſtis connubiis orbem terrarum impleverint, ſatis ſuperque in omnium adhuc oculis hîc coram lucet. *Mauritios*, *Fredericos*, *Guilielmos*, illa Lumina & Columina veſtræ Libertatis, à noſtro, inquam, toro & amore habetis. Quorum tutela ac præſidiis etiamnum in tuto Pacis nunc gremio illuſtris Belgarum populus conſiſtit.

Quorum tenuia deſpectaque fortunæ initia ſi mecum animo recolligam, tacito quodam ictu Divinæ iſtius Providentiæ concidere mihi videor. Quaſi ille unus ego ſervatus ſiam è communi illâ flammâ, qui, deſperatis Eccleſiæ ac Libertatis, negotiis, auxilium & perfugium exiſterem. Vt, cer-

certè, dubium ſit, utrum majorem conceperit triſtitiam Cæſarianus exercitus, tunc temporis me dimiſſo, an in primis Imperii initiis Belgarum populus lætitiam. Cui tanquam novum aliquod ſidus Ego de Cœlo tunc exortus ſum.

Quorum caſus atque calamitas tam præcipitis erat periculi, ut niſi Opt. Max. Deus ſiſtere illam ſolus atque unicus poſſet. Legum publica jam ruina, Tyranno cuncta ſuo arbitrio verſante. Non Senatus authoritas, non ſuffragiorum jus & ſanctitas quicquam valebant. Omnis Reipubl. ſocietas & conſuetudo interierat, dolo & inſidiis optimo cuique clandeſtino ſcelere paratis. Nec hiſcere nec mutire contrà quiſquam auſus. Principis vox pro oraculo erat, licet infeſtiſſima & turpiſſima imperantis. Qualis tunc ſcæna eſſe ſolet, in quâ aut Nero aut Tiberius aliquis dominatur, cum

——verſo pollice vulgi
Quemlibet occidunt populariter.

Non potui hiſce meis oculis tam immane facinus ac flagitium perferre. Erat nimia in Liberum Populum crudelitas. Procerum capita velut pro pilis habebantur. Innoxiorum civium fortunæ evertebantur. Liberi, uxores in conſpectu virorum trucidabantur. Flammâ & igni ſacra Deorum pulvinaria diripiebantur. Antiqua privilegiorum teſtimonia ſub pedibus conculcabantur. Solus Imperator callidiſſimus vitæ & necis ſpontaneum arbitrium poſſidebat. O luctuoſam ac lamentabilem iſtius ſæculi ſortem! quando nec ipſum ſervitutis nomen in tuto cuiquam erat: ipſâ obſequii gloriâ nemini niſi cum ſummo diſcrimine relictâ. Hæc ut divinitus Ego & animo & oculis meis percepi, ita Deo Duce & Authore iſti malo juratum me hoſtem ſum profeſſus. Non potui, ſtimulante Pietate & Conſcientia, imbellem & inermen Belgarum populum, cui tam vilis ac ſervilis tunc

tunc imago, in hoc malorum labyrintho deſtituere.

Cauſam Libertatis, æquitatem defectionis ab immaniſſimo, non defenſore ſuorum civium, ſed carnifice, juſtam eſſe, & plus quam neceſſariam totus animo meo probabam. Et quid ni? Nedum cervici ac jugulis noſtris ſecuritas eſſe poterat, quando divina & humana jura nuſquam locum, nuſquam perfugium haberent. Igitur periculoſe laboranti Eccleſiæ, ſepultis jam dudum legibus, fractiſque per omnia Batavorum rebus, manum & auxilium adferre malui, quam ſic innocuam & oppreſſam tyrannide gentem ultro in prædam Albano relinquere. Multo melius eſſe cenſebam, pro Deo ac piorum cauſa arma in hoſtem diſtringere, quàm peſſimè imperanti cùm turpi adulatione ſerviliter parere. Si fidem, ſi jusjurandum violare unquam licet, tunc illa, illa, inquam, immanis ſæculi tempeſtas fuit; quando aut ſacra & penates omninò deſerendi, aut ſponte in cruentas Tyranni manus incidendum. Belgæ eſtis, hoc eſt, libertatem, religionem, fortunas, privilegia veſtra juxta animam chara habetis. Nec facile in partium ſtudia diſceditis, niſi vis major, niſi conſcientiæ theatrum meritò ſic poſtulent. Quare, abjecto ſemel tyrannidis illo jugo, fortiter in libertatem nos recepimus. Et hanc ipſam, quam intuemini, meridianam lucem ſic jucundam & amænam poſteris Belgarum fecimus. Quæ nunquam tam grata ac illuſtria beneficia domi foriſque uſurparetis, Cives, ſi non crudeliſſimis imperiis maturè obviam iviſſem. Arma illa militantis Eccleſiæ, preces & lacrymas in aciem deduxi. Quibus divino illi Numini conſervationem & tutelam noſtri maſculè extorſimus.

Nam ſine illo tibicine, ac rupe immobili, planè infirmum ac impium erat, ſalutarem tam tenuibus noſtris rebus ſucceſſum expectare. Quo ſe-

ſemel feliciter pietatis jacto fundamento, paulatim gliſcere libertas noſtra cœpit; caput ſuum in majus attollere Eccleſia; bonorum cauſa melius ſperare; ſenſim interire ac langueſcere illa ab Ibero immiſſa tempeſtas. Quamque olim abjecti atque humiles fuerimus; tam brevi tempore, ductu ac auſpiciis Cæleſtibus in ſpem novæ fortitudinis nos promovimus. Quippe nulli mortalium ignotum eſſe poteſt, quam res Belgarum ad extremum puteum tunc gererentur: cum non locus miſericordiæ apud nationes, nec fiducia ſalutis noſtræ in propriis armis & virtute uſquam reperiretur. Cum Regum principumque ſocietate indigni, adhuc communi Rebellionis ſtigmate inureremur. Veluti ludus plane ac jocus malè adverſantis ac alternantis fortunæ. Ex hoc fatali miſeriarum periodo ſenſim nos produximus: aliâ nobis de Cælo face ac ſidere rurſum exoriente. Nec aliter, quam ſi per majorum oſſa ac cineres ad illuſtre famæ faſtigium tranſcendere neceſſe fuerit. Vnde ad firmiorem Rempub. factus eſt aditus, & prior illa rabies cum impetu pene deſinere viſa eſt. Quâ potiſſimùm viâ progredi Cæleſte Numen ſolet, & tunc opem ſuam miſeris probè feſtinare, quando aut decumana pericula proxime terrent, aut deſperatio rerum ad infanda nos adigit. Ita vetus Iſraëlitarum Eccleſia diu preſſa, nunquam oppreſſa. Toties ab Antiocho, à Sennacheribo ad extremos egeſtatis terminos redacta, nunquam funditus deleta aut everſa.

Illa demum arma proſperè ſe habent, quæ legitimo jure nituntur; quæ divino conſilio in communem hoſtem expediuntur. Tales, gratia Superis, nos Belgæ ſumus: qui, cogente malorum extremo, publicam vim, pericula, tela, cædes, flammam & ignes perpeti maluimus, quam non ferendæ ſervituti inſuetas cervices cum pudore ſubjicere. Hoc unum fortaſſe in poſteris meis de-

ſide-

ſideraturus, ut pari ingenio, pari modeſtiâ bella gerant, non ſuâ magis Ambitione pravè inducti, quam fervidâ in Deum religione ad neceſſariam armorum tractationem coacti. Quippe non ferarum more innocuum inhiare ſanguinem debemus; non humanæ carnis nundinationem aut mercatum inſtituere. A latere hoſtem arcere licet; & tunc demum vim & injuriam à nobis repellere, quando in ſalutem & tutelam noſtri receptus nuſquam datur. Sine illo, & vitæ & ſanguinis noſtri non modò oſores, ſed & crudeliſſimi carnifices ſumus.

Igitur auſpiciis ſemper divinis pergite, *mei Belgæ*. Et, ingruente aliquâ aliunde calamitate, fortiter in aciem deſcendite. Non ſolliciti de eventu rerum, quem Opt. Max. Deus regit ac gubernat. Non animis viribuſque fracti eſtote; piorum incepta ac conſilia fido nunquam tutore carent.

Hæc veſtra erit palæſtra, *Filii Principes*, in quâ cum extremo vitæ ſpiritu pro Religione, pro Libertate maſculè ſemper contendetis. Ecce, paternæ Vobis virtutis ſignata veſtigia, & ſaluti Belgarum obſidem hanc animam cum fide ſemel datam & oppignoratam. Ecce, ſicam nefariam, quæ tot annos in jugulum meum parata, tandem in caput hoc miſerum, deſtricta fuit. Vos, inquam, *macti Heroes filii, Mauriti & Frederice*, ex hoc vulnere meo ac penetrali pectoris, totidem guttas atque lacrymas combibite: Quibus, univerſo hoc teſte, patriæ patriſque rogo piè riteque parentare poſſitis.

DIXI.

ORA-

ORATIO LXX.

Habita à

TIBERIO PUTEANO,
Alcm. Bat.

MAURITIUS AURIACUS.

EN, Batavi, patriâ Phœnix de morte reſurgo
MAURITIUS, primus Naſſoi ſanguinis ultor,
Et tanti ſceleris vindex. Qui matris ab alvo,
Vix auram vitalem hauſi, cum protinus altè
Viſceribus mediis fixum immotumque ſederet
Inferias, GUILHELME, tuas, ulciſcier armis
Albani contra furias, ſiculumque ſecures.
Dic mihi, Calliope, partas longo ordine lauros;
Dic acies, & bella Patrum, ſub numine noſtro
Per Morinum fines, & rura Brabantia geſta,
Flandriacaſque urbes! ubi crebro milite portas
Fregimus, & ſtrictis toties decurrimus armis,
Hac ſcena eſt noſtri martis, laudumque paleſtra;
Hac ſunt fatalis, Batavi, præludia metæ,
Poſt ſcelus Heſperium, & Patria funeſta Parentis
Fata, Britannorum ſylvis conſtraverat undas
Tarteſſi male ſuada fames. jamque arva Batavûm
Cantaber, & claram debellaturus ELISAM
Progreditur, direque obtutu incendia ſpirans
Intonat horrendum. Non ſic tremit ardua tellus
Diſrupto adverſi ſi quando turbine venti
Confligunt, volvuntque ipſos ad ſidera fluctus.
Non ſic aggeribus divulſis ſpumea moles
Exit, & oppoſitos evincit gurgite montes,
Cum ſtabulis armenta trahens. tum pallida ceſſit
Claſſis, & Æolias tranſtris timor addidit alas.
Hei! mihi, qualis abit percuſſo milite, quaſſis
Navibus, & ductâ per denſa cadavera prorâ.
Vertitur interea polus, & ruit oceano nox,

In-

Involvens atris terraſque axemque tenebris.
Tempus erat, quo prima quies gratiſsima laſsis
Serpit, & ejectis affert oblivia curis.
In ſomnis ecce ante oculos GUILHELMUS *adeſſe*
Viſus erat genitor, largoſque effundere fletus
In gremium. ô quantum tunc hic mutatus ab illo
Mœnia Lemniacis cum frangens obvia telis
Truncatas laceraſque manus per tela, per enſes,
Sterneret, & campis ALBAM *ſuperaret apertis.*
Confuſus formâ antiquâ, vultumque genaſque
Coram oculis, ſignans: unde, ô fortiſsime Ductor,
Unde venis, ut te poſt tot funeſta tuorum
Funera, poſt varios divumque hominumque labores.
Exhauſti aſpicimus? quæ lux Phœbæa pererrat
Ora, atque humanis apparet major imago?
Surge, ô. Nate, refert, Patriamque his eripe flammis.
Inſtat PARMA *ferox, & caſtra potentia Belgis*
Opponit, toto facturus Marte ruinam.
Sat pelago Albionique datum eſt. jam Scaldis in undis
Arma Tagi, galeaſque & Bœtica pectora volvat.
Sic ait, & manibus ferrum diſtringit, & haſtam
Fulmineumque rotat gladium: promittere martem
Incipit, & ſeros proponere mente nepotes.
Hybernarum inſtar nivium, cum Iuppiter Alpes
Horridus aërias atque alta cacumina veſtit,
Straverat attonitos pubes Tarteſſia campos,
Iamque acres accendit equos, jamque obvia ſternit
Agmina, collatiſque invadit prælia ſignis.
Prædam quiſquis agit, ſpolioque inſultat opimo,
Multaque in adverſos opponunt arma maniplos.
At Batavo neque genua labant, neque frigore pectus
Solvitur, aut gelidus fugit in præcordia ſanguis.
Attonito tanquam lupus inſidiatus ovili
Provolat ad prædam frendens, ſiccoque cruentas
Lancinat ore dapes, & hianti gutture fumat:
Haud ſecus immanes animis nunc concipit iras
Belga minax, hoſteſque oculis metitur, & ambit.

Con-

Conſueti mavortis opus, frænoque remiſſo,
Ardet Arauſiacis cœlum convolvere flammis.
Altera mox noſtris attexit Pergama regnis
CESPES, *& antiqua Troja ſe pandit imago.*
Altera clauſtra Sinon laxat: quæ fabula quondam
Iliacas acies, & bella horrentia, vatem
Compulit Aonium deſcribere verſibus: hæc nunc
In Batavis vera & nequicquam falſa videmus.
Poſt hæc victa meos ornat ZUTPHANIA *faſces.*
Acceditque novis ſuperata DAVENTRIA *lauris.*
Iam vinctas das HULSTA, *manus. das præmia belli*
Das faſces, NEOMAGE, *mihi. tuque inclyta muris*
Friſiacis STENOVICA *cadis.* COEVERDIA *cœlum*
Vertice quæ pulſas, & famam in ſecula mittis,
Hic etiam Auriacas Pateris cum fulmine dextras.
VERDUGO *licet iratus, totieſque cohortes*
Inſtruat, & totum juxtà promittat Iberum,
Quam memorem te fortem animis, GROENINGA *potentis*
Et decus & pretium imperii? molimine tanto
Quæ contra Batavos bellum feliciter urges,
Tandem laxatâ longâ obſidione feroces.
Das ſupplex poſtrata manus. Naſſovia pubes
Ad ripas Amaſis facundi gaudia promit.
Auriacas iterum dextras ſpectate, Quirites,
Non uni ſe fama loco & victoria credunt.
In morinis agitur nobis ſpes altera prædæ,
Et majora parat Mavors. Turnhoutia tantis
Teſtis adeſt rebus, quas nunquam ſera vetuſtas
Eradet faſtis annorum, animiſque nepotum,
Sævus ubi Batavûm telo jacet hoſtis, ubi ingens
VARACUS, *caſique duces volvuntur arenis.*
Majus opus moveo, felix bellator in armis
MAURITIUS. *Reſtant alio mihi ſidere ſortes.*
Fatidicæ, ſimplex nequicquam induſtria nobis
Sufficit. Intereà muros opponit Iberus
Undique, & adverſis certamina deſtinat aſtris.

Hos inter MENDOSA *fremit, multumque minatur,*
Sed fruſtra, BELGIS: *impar congreſſus Achilli.*
Ac velut aligerâ percuſſus arundine taurus
Mille petit repetitque vias, atque obvia ſternit,
Dentibus infrendens, ſonitu nemus omne remugit:
Sic ruit in denſas alacer MENDOSA *cohortes*
Continuo durum exoritur certamen, & ingens
Hinc atque hinc Bellona furit: MORINI BATAVIQUE
In flammas & in arma ruunt. Pugnamus eodem
Quo cadimus, pars magna, loco; nec caſtra, nec urna
Diſtinguenda ſatis. Pro Libertate fideque
Militat ipſe Polus, Zephyrique incapta ſecundant.
Cedit Iber victus tandem, & veſtigia retro
Flectit, & antiquos gradivi ejurat amores.
Hactenus innocuo ſpumantia ſanguine tela
In Batavos detorſit Iber. nunc BELGA PHILIPPUM
Aggredior, pelagoque & terris arma miniſtro.
Intrat & oceanum noſtro de littore claſſis,
Miratur molem Nereus, miratur & arces
Turrigeras, hominumque animas hic intus agentes.
Ilicet attonitis Flandrorum allabimur oris,
Et laſſas quaſſaſque rates ligat anchora morſu.
Vix lata hoſtiles intrarant agmina arenas,
Sub pedibus mugire ſolum, & juga vaſta moveri
Reſpicio, mixtaſque involvi pulvere nubes.
Accelerat MAURORUM *acies, pro more tyranni,*
Immanem ore ciens fremitum, & clamoribus inſtans.
Haud mora: mox ſolvi jubeo de littore puppes,
Ut nulla effugiis uſquam loca tuta ſuperſint.
Aut pugnando animam miles deponere debet
Turpiter aut patriam communi à peſte tueri.
Non fuga Naſſoas lauros tardabit, & acrem
Spes Batavum nulla eſt uſquam miles via, nulla
Vitandi martem ratio: locus omnis in hoſtem
Provocat, & fortuna omnis nunc alea jacta eſt.
Degeneres animos timor arguit. undique fatis

Tal-

Pulſamur, Socii, gemino circumdamur hoſte.
Hinc mare terrificis ſcopulis undiſque minatur,
Heſperius vigil inde leo denuntiat iras;
Et ferrum innocuo lateri. ſtat ſemita pulchris
Auſpiciis, cælumque dedit læto omine ſignum.
His dictis timor abceſſit mentemque ſerenat
Cælitus optati gliſcens fiducia belli.
Iamque calent animi parte ex utrâque, & in armis
Concurrunt turmæ, tremit excita murmure tellus.
Bellantûm creſcit furor, undique & undique Titan
Telorum ſtridore pari & mucronibus horret.
Heſperidum hîc cecidêre duces, cecidere Batavûm
Hîc fortes animæ; victor victuſque ſepulchro
Clauditur, & cernit coram ſua vulnera quiſquis
In medio. pars poſcit opem, ſed ſanguine fuſo
Supplicium luit, & pænas ſub tartara ducit.
Pars cadit hamatis dirâ obſidione ſagittis;
Pars in frûſta videt laniatos corporis artus,
Membraque diſpergit canibus relicta per agros.
Naſſovius tandem Mavors dat ſigna favoris
Cælicolûm, medioque tubas animare theatro
Gaudet, & à Morinum populis depoſcere lauros
Victrices. ALBERTE, *tuos hîc cernere manes*
Fas fuit, & vinctis penè addita colla catenis,
Captivumque Tagum, tali victoria curſu
Præcurrit celeri, & Batavo præludit ovanti.
Non mea, Poſteritas, hæc facta & gloria dici
Iure queunt: tua ſunt Divûm Pater, atque hominum Rex,
Arbitria in bello: tua ſola potentia rebus
Prælûcere meis viſa eſt: ceu luna tenebris
Emicat, & ſpiſſam noctem diverberat Eos.
Eſt animus Batavis equidem generoſus in armis,
At fruſtra conatus ego defendere BELGAS,
Herculeumque ſuis evertere ſedibus hoſtem,
Ni Deus æternâ nobiſcum lege coiſſet,
Heſperidûm ſemper populo contrarius armis.
Haud aliter, quàm ſi bacchetur ovilia circum

Hyr-

Hyrcanus Leo, & aſſiduus deſpumet in aſtus:
Sic Belga in Morinos jam nunc exultat, & ardet
Igne novo fervens, tabo properare ruinam.
Dant rurſum RHENOBERCA *manus, &* MEURSIA *victa*
Auſpiciis ductuque meo. BREFORDIA *faſces*
Tradit, & antiquus SALIUS *de finibus exit.*
Omni parte meus Mavors in ſidera vergit,
Et terrâ pelagoque feror per carmina victor,
Sidere non uno contentus & æquore. Mundum
Per diverſa meis titulis ac viribus addo.
Victorem me Bruma videt, me frigora victum
Eſſe negant, Superûm ſervit clementia votis.
GRAVIA *poſt tantas accedit denique lauros,*
In laurum matura novam. ſic SLUSA PHILIPPO
Diffidens, gaudet NASSOO *jungere dextram,*
Regnatorem Aſiæ contra. ſic milite quondam
Iuliacum latè domui, litemque diremi
Principibus, ſic applauſit fortuna labori.
Res eſt ſumma loco ZOMÆ *ſub manibus altis*
BERGA *potens, quando Maurum tot millia ſtravi*
Una acie, & rurſum vobis pomaria feci
Libera, per ſeros umbram factura nepotes.
Dum mecum majora minus exordia libro
Et proferre ultra imperium fiducia conſtat,
Incidit Hacheſis vicina fila ſenecta
Hâc aliter poſſet cecidiſſe ANTVERPIA *dextrâ,*
Et nunquam tunc BREDA *capi. ſed Numine lævo.*
Quis vitam extendat, felix aut bella miniſtret?
Tu ſuperas FREDERICE *animis & pectore firmo,*
Macte Heros, natus populo properare ruinam
Heſperidûm, & Chriſto plus ultra quærere regnum.

DIXI.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO LXXI.

Habita à

CORNELIO BACKERO,
Alcm. Batt.

HENRICUS FREDERICUS. AURIACUS.

EHeu! ſumma dies, & inexorabile fatum
Advenit! fuimus Batavi, famamque decuſque.
Geſsimus. afflictum, Mauriti, linquere Fratrem
Crudelis potuiſti, infanda ut bella videret?
Et tantis iterum Libertas fracta periclis?
Nunc te, magne heros, mors pallida miſit ad Orcum,
Et Chriſti gentem multo in mœrore relinquis.
Imperii conſors Frater jam pulchra retracto
Arma manu, Martemque pium. gens Libera noſtra
Sanguine fundata eſt. Eccleſia crevit in iſto
Amplexu. nobis nulla eſt mora, protinus orbi
Fortem animum nova per virtutum exempla daturus.
Si Martem indomitum poſcat, furialiaque arma
Cantaber, & veteres irarum accenderit æſtus,
Herculis intendam nervos; contrà ocius ibo.
Quò Deus, & quò fata ſinent. Victoria Belgis
Annuet, & totus vivam cataphractus in armis.
Hac noſtra Fortuna domus: ſic vivere dulce
Et Fratri Patrique fuit; ſic teſtibus olim
Venturis tollet ſe in majus fama Batavum.
Ergò libens humeros iſti ſupponimus axi,
Naſſoviaque diu populum virtute regemus.
Interea horrendo Morini clamore frementes
Adverſi apparent armis, infandaque latè
Ardeſcit crudis ſeges enſibus; undique campo
Funduntur, denſique aditum cuſtode coronant.

Ge-

Getulus ſtabula alta leo ceu nocte peragrat,
Gaudet hians immanè; ſonat nemus omne tumultu:
Illis membra quatit torpor, ſtat frigore ſanguis.
Tum ferro Auriacus cingor, Tyrioque trilicem
Loricam, & nitido clypeum ſquallentem orichalco
Inſertabam aptans lateri: peditumque equitumque
Crebreſcunt ſonitus, & ſtricta haſtilia terrent.
Longa via eſt, Batavi, qua cunctas dicere lauros
Fas erit, & dubios rerum pertexere caſus.
Primus in obſequium pronus Gradive, fuiſti
Cum Salios *domerem, &* Grollæ *ſub mœnibus altis*
Victrices aquilas, & ſigna Auraica coram
Spectarem, tantis rerum ſucceſſibus auctus.
Hinc ſe præpetibus porrò victoria pennis
Extulit, & latè terris pelagoque triumphos
Duximus. extremos alio ſub ſole Moluccas
Contudimus. ſtupet ipſa Thetis ſua damna, nec unquam
Ingemuit majore animi Rex clade Philippus.
Quæ rerum natura parens penetralibus imis
Abdiderat, cedunt belli nunc jure Batavo.
Vincimus occaſum ſero ſub veſpere, Belgæ,
Eoaſque domos. nunquam ceſſare parati,
Aut finem ſpoliis facturi: Calpe & Abile
Ante ſuas det victa manus, Naſſoaque nôrint
Imperia, & Patrum pariter dictata capeſſant.
Pergimus Auroræ thalamos intrare ſecundis
Auſpiciis, ubi nunc nobis Japonia *dextras.*
Iungit, & affini ſociat ſe fœdere Java,
Auriaca pars magna tubæ. victoria finem
Neſcit, & in variâ molimur gente triumphos.
Ulterius gliſcit belli furor: arma per orbem
Circumferre novum juvat, & ſpe viſere lucri
Pattagonum *populos, &* Mexica *litora tranſtris*
Frangere. felices iſto quoque ſidere pugnas
Geſſimus, & ſpoliis nimium gaudemus opimis.
Ipſa triumphales Belgis Olinda *labores*
Attribuit, victam & ſeſe domitamque fatetur.

Aſpice quas illo gazas de ſole tuliſti
Auſpiciis, ô Belga, meis: quam ſorte ſiniſtrâ
Pugnârit toties nobiſcum decolor Indus!
Exuimus Pactolum omnem, Betimque Tagumque
Divitiis opibuſque ſuis. hic Heinius *acer*
Tarteſſum ſubigit, mediiſque in fluctibus alnos
Proceras onerat gemmarum aurique ſaburrâ.
Sic pretioſa domi rerum nunc quiſque tenemus,
Quæ quondam Veſper, gremioque abſconderat Ortus.
Sic benè curatis rebus ſub Sole remoto,
Et pretiis auctis nummorum ingentibus, intra
Fixas ſtare nequit metas Fortuna bonorum.
Belgica Libertas veterem depoſcit Achillem,
Et ſatis eſt pugnaſſe foris. ſunt altera Belgis
Pergama, defendi poterunt quæ autoribus iſtis.
Vix ea fatus eram, ſubitò cœlum omne fragore
Miſceri, & viſus mugire per æthera clangor.
Arma manu læti capimus. pars ſpicula vibrat,
Hi ſpumantem hortantur equum, & ſimul undique tela
Intorquent longe dextris, ferrumque retractant.
Pars aratam aciem opponunt. ipſi agmine toto
Per juga, per ſcopulos Morini, per litora curva
Diffugiunt, ſonituque ferit rapida ungula campos.
Inſtamus tamen, ac per denſa haſtilibus arma
Fit via, terrificus clamor ſe tollit ad auras.
Obſtabat Rheni ripis Rhenobecca, *Batavûm*
Devaſtare agros ſolita, & vim ferre colonis.
Ergo alacres urgemus opus, Martemque potentes
Aggredimur, tanta ut moles & fabrica Patrum
Pareat imperiis. rapidum mox æthera fulmen
Excipit, & latè flamma fulſere per agros.
Intonuere omnes mox undique & undique partes
Cœlorum raucaque tuba præſagia terrent.
Itur in Eumenedum thalamos, & viſcera terræ
Ipſa patent. ne qua nobis fiducia deſit.
Sic nos telorum tantum non imbribus urbem
Obruimus, ferroque vias aperimus & igni.

Ar-

Digitized by Google

Arte & Marte pari ſolertiæ gloria belli
Quæritur : hiis avibus creſcunt exordia pugnæ.
Infandas acies contrà trux Cantaber infert.
Iſala mox pontem, calidâ inflammatus ab irâ,
Accipit, & mediis capimus penetralibus hoſtem.
Uritur omnis ager vicino in rure Sicambrûm,
Vulcano ſuperante lares; ſpes ipſa potentum
Fit minor, atque animi pariter luctumque metumque
Concipimus. veteres iterum ſordeſcere lauri
Incipiunt; horrore gravi ſic mentibus ægris.
Hos inter populi quæſtus Veſalia *curas*
Leniit, & multo melius ſe fata dedere.
Tunc novus exoritur plauſus, ripæque lacuſque
Litoraque, & pulſa reſonant ad ſidera valles.
Sic ubi jactatur Tiphys maria omnia circum,
Multum huc atque illuc. jam certa occumbere morti
Defeſſus ſtatuit. cum ſors, caſuſve Deuſve,
Fragmina remorum arripiens, ſupereminet undas
Et tandem adnavit terræ. tum figere dona
Neptuno, & gaudet votas ſuſpendere veſtes.
Facta domi ſecura quies. deſpondit Iberus
Nequicquam fortes animos. fiducia Rheno,
Atque Iſalæ Pax alma redit. Velavia *buſtis,*
Corpora cæſorum mandat, peſtemque ſepulchro
Obruit, & veteres cernit remeare colonos.

Nondum fama ſuum Naſſoæ expleverat orbem,
In majus Bellona vocat. Brabantia *terret*
Mole ſua Sylvæ *Belgas. hic tempus agi res,*
His ſeſe poſſet ſpatiis jactare Metelli
Gloria, ſeu Decios ſpectare in pulvere priſcos.
Mauritii *tentata manu eſt urbs inclyta: ſed non*
Debuit illa meo ſpolium tunc cedere Fratri,
In noſtram ſervata fidem, ſolatia ſeri
Temporis, & gemino miracula ſeptima mundo.
Ergò alacres, omni poſitâ formidine, Sylvam
Concutimus, belli vires glomeramus in unum,
Et caſtris loca ſignamus, cuſtode nec uno.
Sulphure perpetuo muros, & fulmine crebro

Terremus, mortemque oculis non una Megara
Objicit. hac Troja facies, & pugna Gigantum.
Vincitur hic iterum moles auguſta Brabantum.
Inque meos ſubit amplexus, labentibus annis,
Dommala, *qui toties potuit non milite vinci.*
Undique terribilem ſonitum dedit are recurvo
Buccina, proſiluere omnes, haſtilibus aura
Strident, & circum volitamus milite campos.
Incluſum in ſylvis cervum ceu vividus Umber
Latratu inſequitur, dumiſque ſilentibus errans
Scrutatur roſtro, pradamque in dentibus optat.
Cujus Trajecti *ad Moſam non venit ad aures*
Fama potens? Cum non ſublimi vertice turres,
Non urbem. Populi caput, & vicina ſubegi
Tungrorum & Morimûm *tractus, & flumina tantum*
Nota mihi, ſed Limburgum, *atque adſita circum*
Regna Ducum adjeci Batavis. hac laudis arena,
Hic cedro, & dignus ſeris annalibus annus:
Quo ſic felici in Romam pugnavimus aſtro.
Immani quando fremitu & ſublimibus armis
Erumpunt Morini, & caco ſtat pulvere cœlum.
Continuò glomerati hoſtes, figuntque rotantque
Telaque ſpiculaque & criſpatum haſtile lacerto
Intorquent denſi. multos demittimus Orco
Heroas, lateque aperit ferrata viam vis.
Parce, Heros, Moſa exclamat, mihi parce: triumphus
Iſte tuus, Frederice Pater, *tibi ramus oliva.*
Debetur merito toties. ſic fata ferebant,
Trajectum *ut veſtris manibus. ſicut hoſtia ad aram,*
Nunc caderet. Macte Heroum, Dux inclyte bello,
Quem tanto auguſti memorabunt ore nepotes.
Dixerat. Interea nobis contexitur alter
Ramus, & Albionum *fertur de litore Fama*
Concuſſa Heſperidum claſſis: cum Duna, Taguſque
Aſpiciunt in aquis noſtra miracula gentis.
Bella gerunt elementa ſimul, mihi pontus & ather
Militat exemplo. hîc pandas vorat unda carinas,

Fer-

Ferrum alibi lethale notat, cum milite merſo;
Abſorbetque ſuis ingentem Oquendo *Charybdis*
Fluctibus. hic videas fortes in gurgite Gallos.
Hemskercoſque *iterum naſci, quando impiger urget*
Trompius *Auriacas partes, regniſque Philippum*
Exuit. O liceat Virtutem extendere factis
Talibus, & populos Belgarum faſce tueri
Militia! ſtupeo, Omnipotens, tot in ordine lauros,
Tot dextra monumenta mea! vix altera cælo
Tempeſtas, aſtaſque redit, ruit altera rurſum
Excidio Troja, & Batavum Marsplenius ardet.
Flandria *quàm noſtros, cives, exhorruit enſes*
Saucia vulneribus, multoque à ſanguine tincta!
Illa rogus docuit belli quid poßit Erinnis,
Caſtrorumque metus. nuper documenta dediſti
Hulſta *potens, & tu Ganda florentis aſylum,*
Saſſa, *decus noſtra nunc & tutela ſalutis.*
Illa foris ſunt acta, Patres, *ſucceßibus olim*
Divinis: at plura domi confecta labore
Aßiduo, ut Belgas optata in regna locarem.
Et Libertatem juxta, pomaria latè
Extendat Chriſti regnum, Pietaſque nepotum.
Vixi ego, quemque dedit curſum, Natura, peregi
Iam Divûm ſatur ambroſiâ, cœloque receptus.
Te penes imperium, Fili. *In Te tota recumbit*
Et Patria ſecura ſalus, & fama tuorum.
Tu, GUILIELME, *vides, ſeu civica bella renaſci,*
Seu Pax de cælo Populos amplexa Batavum eſt,
Fortem animum curamque geras. & priſca Parentum
Nomina tranſcribas totidem per ſacla Triumphis.

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO LXXII.

Habita à

CORNELIO SCHAGEN, HOOCH-LANT.

GUILIELMUS AURIACUS II.

EGo *Fortiſſimi Batavi*, Nepos ſum à Magno illo GUILIELMO AURIACO, Primo veſtræ Libertatis Authore ac Atlante. Patruus mihi fuit inclytæ ac Celſiſſimæ memoriæ Princeps MAURITIUS. Pater, illuſtriſſimus HENRICUS FREDERICUS, Hujus Imperii & Provinciarum, terrâ marique, nuper Præfectus ac Dictator. Socer meus, magnus Britanniarum REX, CAROLUS. Hi gloriosâ omnes pro Patriâ morte defuncti, Veſtris Auſpiciis, *Potentiſſimi Ordines*, hanc tam auguſtæ Libertatis defenſionem meis hiſce humeris & conciliis, piè fortiterque aſſerendam, tanquam ab inteſtato, reliquerunt. Quod eo majore cum voluptate onus in me ſuſcipio, quo magis Majoribus meis illuſtrem hanc Spartam, divinitus datam, exornare religioſiſſimum fuit. Nulla enim eſt animorum indoles generoſior præſtantiorque, quam illa ipſa, quæ propriâ induſtriâ veterum Fortitudinem ac imagines adæquare conatur, quæ non ſub pallio alienæ virtutis deliteſcere cupiat, aut ſuorum ſpecioſa facta pro propriis obtrudere. Sic Ego à primis unguibus natales meos, ſic Avorum res geſtas æſtimare didici, ut facilè hæc aliena & adventitia contemni in me patiar: ſi non, domeſtico teſte ac exemplis, vivum quoque Virtutis meæ exemplum poſteritati relinquam. Pro ſpeculo atque imagine glorioſiſſima Majorum facta uſurpo. quæ ubi ad oculos & animum toties admitto, egre-

egregia quadam flamma pectus mihi accenditur. nunquam à divina hac amuſſi, per culpam meam, aut ignaviam, me ſubducturus. Hoc primum à Deo Optimo Maximo, cum incredibili deſiderio, petiturus, ut antiqua virtute, conſtantia, Fide, tanquam ſummo cæleſtium donatus beneficio, omnes vitæ actiones, conſilia, cogitationes ſanctiſſimè & regere, & dirigere poſſim. Sive domi, ſive militia id ſiat, exemplo paternæ fortitudinis, viva virtutum monumenta ad poſteros transcribam. Belga ſum, & Belgicæ Pietatis indole. nunquam quicquam felicius, aut jucundius, in vita habiturus, quam ut Patriæ Patrique ſumma gratitudine, obſervantia, fide perpetuò me devinciam. Omnia obnixè facturus, quæ Libertas, quæ Religio in fido unquam Principe deſiderare ac velle poterunt. Nunc, laus Deo, in gremio beatæ Pacis tranquille vivimus: ſtabilito cum Hiſpaniarum Rege fœdere & amoribus. Non arena Martia in aciem & pugnam nos vocat, in medio conſtituta Lauro & Præmiis. Non alter uſquam eſt orbis, qui Alexandrum in novam ſpem & prædam exſtimulet. Ad utrumque tamen tempus, ſive bellorum alea ſit tentanda, ſive in Togæ illo tranquillo vivendum, parem animi conſtantiam profiteor. Certum perſpectumque vobis habete, *Quirites*, non parum inde gloriæ meo Principatui accedere: quod *Avi*, quod *Patrui*, quod *Patris* Virtutibus in illum adducta Reſpublica Quietis Terminum, ubi, cum orbis totius admiratione, ſuam ſibi felicitatem gratulari, ac de illa jure gloriari poſſit. Nihil prius, nihil poſterius hac veſtra, *Belgæ*, ſecuritate unquam animo meo & cogitatione aſſequi poſſum. Quam Imperii veſtri ſortem libens lubenſque præfero difficili ac periculoſo militiæ Sacramento. Quæ cum nobis, favente hactenus Zephyro, tam benignè affulſerit, ea tamen temporum vices exiſtere poſſent,
 qui-

quibus meritò Matribus deteſtata bella dicis quoque manibus devovere liceret. Quid, inquam, de cæleſti benignitate unquam majus? quid melius de eâ exſpectare quiſquam auſit? Foris, imperii limitem ultra Anni ſoliſque vias, immane quantum! protendimus. Domi, parta *Pax* eſt, noſtra fortitudine ac armis victricibus. Hiſpaniarum Regis intimas vires ac viſcera non ſcrutati tantum, ſed ſolidè depaſti ſumus. ut pretioſiſſimas Tagi Pactolique opes, ipſa Indorum ſpolia atque gemmas in noſtris jam ſupellectilibus ſuperbè annumeremus. Abſit, vetera Bellorum odia novis iterum ſimultatibus ac injuriis propullulent. Quæ, eheu! Majorum noſtrorum rogi atque cineres non ſine juſto adhuc dolore perſentiſcere videntur. Quando tam miſerè cum Eccleſia, cum Republica, cum privata ſingulorum fortuna conveniebat: ut non à ſana ratione prorſus alienum videretur, aut ſpontè fugam aliquò capeſſere, aut ultrò ſuos manes & mortem in ſui tutelam à divino Numine implorare. Quando ferro ignique ſacra & profana devaſtabantur; nullius pietas, fides, ingenium quemquam à pæna & ſuppliciis immunem præſtabant; omnia Tyranni ad nutum oculoſque pompta ac parata erant.

At ignoramus, *mei Belgæ*, quàm ſubitò, quàm inopinatò nova nobis belli materies è latebris ſuis reſurgere ac renaſci poſſit. aut Pacis ſanctitate ſuis legibus malè conſervata; aut Civilium inimicitiarum fomite ſopitas hactenus inſidias rurſum ab Inferis regurgitante. Vtcunque fata ſe dederint, fidem, fortitudinem, fortunas meas pro viribus in Rempublicam probabo. Potius hanc ipſam animam, qua vivo, cum omnibus ornamentis meis, quàm Religionis, quàm Libertatis defenſionem peſſimo exemplo deſerturus. Sed, nolimus malam hanc beſtiam, abominabile bellum dico, poſtliminio in theatrum reducere. Hoc multorum

Prin-

Principum animas crudeliter exſtinxit; hoc vaſtitatem agris, ruinam & cladem civibus, violationem ſacris & profanis intulit.

Quanquam verùm id ſiat, tunc demum clariſſimis Imperatoribus patentem ſuarum laudum campum aperiri, quando militaris diſciplina in caſtris inter ſigna excubias agit. & triumphalia Ducum nomina aut crebris certaminibus, aut proſperis obſidionibus clara celebrantur. Pluribus ſæpè ac frequentioribus Victoriis terra marique ab ipſis reportatis, quàm annorum ſtipendia promeruerint. Nihil quidem Ego meis Majoribus Bellicæ virtutis præmia invideo. Satis feliciter illorum fato in proſperam meam famam & fortunas reſervatus. Habeant illi laborum ſuorum ampliſſimam mercedem tot murales, tot roſtratas, tot Civicas Coronas. Meo in Togâ Principatui nequicquam nobilis argumenti materia gloriaque unquam defuerint. In Comitiis cum Patribus provideo ac delibero, ne quid Reſpublica detrimenti patiatur. ne legum & juris ſanctitas pravorum judicum odiis malè ſubſerviat; ne peſſimis largitionibus in Curiâ, in Tribunalibus uſquam ſit locus. Hoc induſtrius ago, ut domi civium ſit ſecuritas; foris, veterem terrorem ac formidinem arma noſtra circumferant. Plurima ſunt negotia, quæ Principum curas & cogitationes in medio quoque Pacis gremio ſatis moleſtè, ſatis periculosè exercent. Modò extra noſtrum littus & ſolem digredimur, & cum exteris nationibus Pacis fædera ſancimus: ut non minore Libertatis publicæ fiducia foris, quàm domi vivatur. Atque utinam! ſic vitæ mihi fila & fata ex alto proſperet Clementiſſimus de cælo Deus, ut meam erga Belgas fidem, pietatem, conſtantiam vivis ad memoriam exemplis perpetuo comprobare ac teſtari poſſim. Et non minus glorioſo Victoriarum procurſu, quæ Pacis tempore ſuis excubito-

bitoribus quoque debentur, Illuſtri Batavorum Reipubl. porrò charus, porrò acceptus atque utilis eſſe queam. nulla interveniente rerum caligine atque nebula, quæ piiſſimis pro Patria & libertate laboribus unquam officere valeant.

Illud unum in vita mea, *Quirites*, concoquere nunquam animo poſſum, quod perpetuo fidei Chriſtianæ aſſertori, hujus Imperii Socio, Socero meo, Regi Potentiſſimo, truculentiſſimæ Carnificum manus, quod infandum non modò dictu, ſed auditu ſupremum, pro pudor! ſine culpa, ſine merito ſuo, plus quàm Barbarâ ſævitiâ Capitis ſupplicium irrogarint. Cui facto ſimile unquam facinus ab orbe uſque condito in terris extitiſſe, ipſa Hiſtoriarum veritas & annalium fides commemorare erubeſcent. Ad vos, *Orbis terræ Principes*, innoxius ille ſanguis, cum flagrantiſſima vindictæ cupiditate provocat & appellat. Vobis, *Chriſtianiſſimi Reges & Amici*, nunc Circus & Scena aperitur. Ne aut impunè tam immanis flagitii exemplum habeatur; aut aliquò inde apud poſteros diuſtabilis memoria recolatur. Cæterum, à Fide, à Conſtantia, à Fortitudine mea nequicquam recedo. Soli cordium ac operum humanorum Inſpectori Deo debitam & dignam tanto ſpectaculo & ſcelere ultionem permiſſurus. Ego, quemadmodum veſtro Ductu & auſpiciis, *Patres Conſcripti*, hujus Imperii curam & cuſtodiam in meos ſemel humeros fideliſſimè ſuſcepi, id porrò, Deo Duce & Authore, ſedulo inſtituam, ut Majorum ſtimulatus virtutibus, Boni quoque Principis Officio jure ſemper optimo defunctus eſſe videar.

DIXI.

ORA-

ORATIO LXXIII.

De Providentia Dei.

Habita à

NICOLAO BACKERO, *Alcm. Batt.*

ADmiranda, *Audd. HH.* ſunt beneficia, quibus illuſtris Belgarum populus, proximo mundi ſæculo, divinitus fuit affectus. Hæret animus, ſtupet lingua vel in tacita cogitatione tam conſummatæ perfectæque felicitatis. Quaſi albæ gallinæ filii ſimus, ſoli inter omnes populos digni, quos ſingularis Dei benignitas tam paternè, tam clementer protegat ac defendat. Quibus nulla hoſtium injuria, nulla tyranni crudelitas, vel leve aliquod damnum, aut minimam fortunæ calamitatem incutere hactenus potuit. Vobis, *illuſtriſſimi Patriæ Patres*, Auriacæ domus immortalia decora ac columina, Vobis, inquam præcipuum inde honorem ac gratitudinem meritò debemus. Tibi, *Guilielme Princeps*, noſtræ felicitatis natalia accepta ferimus. Qui per prærupta, per præcipitia illa Fortunæ primum poſteris tuis viam aperuiſti. Qui ſtupendo rerum ſucceſſu immanem Philippi tyrannidem, & juratam Albano ſævitiam fortiter domuiſti, perfregiſti. Tibi, *dive Mauriti*, per paternæ virtutis veſtigia feliciter fortiterque eunti, in majus provectæ felicitatis procurſum jure tribuimus. Qui accepta in tuas manus, immane quantum? Belgicæ ſalutis proſpera initia feliciſſimo incremento in ſummam altitudinem produxiſti. At quibus te laudibus hoc loco efferam, invictiſſime *Henrice Frederice Princeps*, qui annorum ac præfecturæ tuæ ſpatia totidem novis triumphis ac victoriis glorioſiſſimè adæquaſti. Quem anni pene ſoles & ipſa Zodiaci nunquam

ceſſantis orbita frequentiore obſidionum ſucceſſu & victorem & imperatorem vidit. Ab hac illuſtri Majorum gloriâ, qui dignus ab illa *Arbore Surculus*, iterum in ſpem & ſolatium reip. Belgarum natus es, magni iſtius Avi Nepos. *Guilielme Princeps.* Novo demum robore & auſpiciis fœderatarum Provinciarum orbem in tuos humeros ac tutelam ſuſcipiens. Magna, fateor, veſtræ virtutis memoria, *Diviniſſimi Heroes*, & infinita in Patriam vis amoris veſtri. Quo affectu ac ópere incredibili poſterorum vota & gratias in ſæculorum ſæcula meritò demeruiſtis. Nec ulla unquam de cœlo dies tam ingrati temporis ac ævi naſcetur, quæ noſtram aut animi nobis inertiam aut à vobis geſtarum rerum oblivionem aliqua infami notâ turpiter objiciet. Quamdiu ſpecioſum illud Batavorum nomen exſtabit, ac faſti & annales in manibus poſterorum; tam quoque longum Auriacæ domus memoria omnium animos ac pectora includiſſimâ virtutum recordatione adimplebit. Quippe, ſola illa organa ac inſtrumenta fuiſtis, quibus, tanquam fidiſſimis operum ſuorum ſociis Opt. Max. Deo viſum eſt limitem novi imperii per tot exteras gentes nationeſque longiſſimè proferre.

At multo inferiores omnibus tuis beneficiis, ô! Deus, nos Belgæ ſumus: Quorum ſalutem & fortunas tanto tuo favore ac bonitate, & nunc & olim paternè complecteris. Soli Divinæ tuæ Providentiæ, non caſuum temeritati, hæc tot operum latentium fata adjudicantes. Quæ ingemiſcentis Eccleſiæ vulnus & lachrymas animo amplius æquo haud perferre ſuſtinuit, & tandem in bilem & ſtomachum converſa, omnem ſui furoris ac indignationis vindictam uno quaſi ictu in caput immanis tyranni effudit. Sub hoc uno ſapientiæ divinæ clypeo, contra omnem impiorum injuriam, ſarti tectique noſtri quondam majores tutiſſimè

tiſſimè delituerunt. Vnde in omni eorum conſilio atque opere cæleſtis quædam virgula apparuit: quâ ſua in tantis tenebris ac periculis eminentium rerum veſtigia tunc ſecure defigerent. Iiſdem conſiliis ac divinæ Majeſtatis arcano, res Belgarum publicæ in majus ſe ferunt. Hâc unicâ face ac auſpiciis ad ſtuporem uſque & horrorem viſentium conſpicuæ ac florentes. Qui nunquam ſine hâc ope eluctari potuiſſemus, ex tot malorum lerna ac labyrintho. A multis retro annis præda ac pabulum immaniſſimis hoſtibus: & niſi unico tunc ictu pariter omnes de medio tollendi. Sed ſuo nos munimine ac cuſtodiâ benigniſſimus protexit Deus. Qui primus in aciem nobiſcum deſcendere; primus in hoſtem depugnare pro nobis ſolitus. Qui Panicum terrorem tyrannis incutere, nobis adamantinâ tectis tunicâ, robur atque animos pluſquam viriles ſubminiſtrare, qui ventos & aëra claſſibus noſtris aptare; turbinem ac procellas exercitibus oppoſitis. Hæc per omne Belgium novo in diem miraculo experiri nobis licet. Quibus tam dextrè cuncta ſuppetunt, tamque feliciter tot victoriarum læti ſucceſſus ad arbitrium veniunt, ut dubitare haud poſſis, utrum clementia Dei erga nos ſit major, an civium ſpes & exſpectatio inferior. Quibus vigiliis artibuſque, ſi publica Belgarum cura magis magiſque floruerit, invicti ſemper erimus. Sin aliter, properè adeſt ruina ac interitus tot illuſtrium, in hac gente, factorum. Igitur id ſumma cum religione in Deum omnipotentem, virtute in proximum eſt agendum, ne temerè tanti Rectoris ope ac gubernaculo deſtituti videamur. Regum & regnorum ſalus ab hoc ſolum fonte derivata, in Patriam populoſque fluxit. Ortus & occaſus, inquam, omnium rerum, ab hac unâ Providentiæ cœleſtis periodo dependet. Quæ priſco Fatorum vocabulo involuta, præſentia ac futura ordinat ac diſponit. Qui oblu-

obluctari, fruſtra eſt; parere omnibus mortalibus neceſſe. Quod in vetere, quod in recente Eccleſia vivis apparet exemplis. Quæ, licet concuſſa ſæpius, ſalva tamen, ac ſine naufragio enatavit, nunquam ex toto crudelitate hoſtium, aut fuganda, aut exſtirpanda. Docet noſtro hoc tempore præſertim à tot annis luctu ac ærumnis deformata Germania. Quæ poſt laceram & fractam Religionis cauſam, nunc aliam induit faciem. Nova rurſum ſpe ac gaudio in priſtinæ felicitatis poſſeſſionem arrecta. Videor meis auribus aliam nunc buccinæ vocem accipere, & pro horrore & ſtrepitu crudelium bellorum, claſſicum triumphale per Teutonum rura ac regna commoveri. Vos firmum modò fidumque in cœleſtibus auxiliis præſidium collocate, maſcula Germanorum pectora. Veniet exoptatiſſimus ille de cœlo dies, quando nube malorum depulſa, non amplius caſuum atque infortuni veſtri memineritis. Quando priſtinis animorum affecti gaudiis, veterem fortunarum ſedem novi rurſum coloni ſecurè poſſidebitis. Reſtituta in integrum Eccleſiâ, bonorumque cauſa cæleſti patrocinio in antiquum florem ac dignitatem provecta. Deſævit nunc illa terribilis Bellone procella. Impio tandem Gradivo in ſua vincula ac carceres detruſo. Mox puro ac aperto ſereno in lares veſtros ac delubra redeunte Deo ac Pietate. Similem cum nobis Belgis fortunam habituri, qui poſt ingentia, à Septentrione fulmina, iraſque gentium, mitiore nunc Cœli clementia perfundimur. Dudum exactis tyrannicidis: quorum imperia pluſquam barbara ac Manliana, noſtris armorum viribus procul à cervicibus, removimus: nunc in ſecuram pacis ſempiternæ ædem glorioſiſſima memoria recepti. Scilicet, nulla fatorum vis, nulla fortunæ injuria eſt tanta, quæ æternis fixum radicibus ſacrum Sionis montem loco ſuo dimovere, ac prorſus concutere poſſit. Intume-

tumeſcant hinc inde flammarum globi atque ignes; allatrent rapidiſſimi undique canes ac lupi: facilè illorum rictus excipiet Christiana Patientia: Quæ tranquilla eſt mediis in undis, quæ nunquam fiduciæ ſuæ robur intercidere patitur. Non ignara cœleſtium conſiliorum ac conſuetudinis. Quæ tunc propinquiora eſſe ſolent, quando periculi magnitudo & calamitas maxime nobis minatur.

Hoc clementiſſimi Dei conſilio, cum nihil unquam ſit certius, nihil ſanctius, ô! *Mei Belgæ*; omninò id nobis incumbit, ut omni animorum vitio funditus exſtirpato, ad divinæ Majeſtatis gloriam cuncta conſilia noſtra ac monitiones ſanctiſſime inſtituamus. Ut procul habita à nobis ſuperſtitione gentium, nec adulterinæ opinionis ſucco imbuti, ſinceram divini numinis venerationem, animo & corpore teſtibus, ſedulò comprobemus. Quod cum diligente noſtrâ opera ac Pietate, poſteros edocuerimus, haud dubium eſt *Potentiſſimi Belgarum Proceres*, quin conſuetâ hactenus felicitate florentes, in omnium ſeculorum fidem ac memoriam veſtræ Pietatis, fortitudinis, imperii magnitudinem, glorioſiſſime tranſcribetis.

Quæ, ut nobis & poſteris rata ac certa eſſe poſſint, ad tua, ô! *Omnipotens*, *Æterne Deus*, ſacroſancta pulvinaria nos humiles ſupplicesque proſternimus. Tu, *Clementiſſime Pater*, faxis porrò, ſub tuæ Providentiæ divina tutela ſortes felicesque ſubſiſtamus. Pacis jucundiſſima tempe ac tempora in poſterorum ſeram memoriam feliciter ſe extendant. Et Imperium hoc noſtrum tam fideliter, quam fortiter Auriaco ſanguine fundatum & ſtabilitum cum Solis & ſiderum regionibus determinetur. Nos quoque in illuſtri hac Alcmariâ, cum muſis ac civium fortunis, diu incolumes, diu florentes vivamus, floreamus. *Hoc* inquam, *tu faxis*, ô *Benigniſſime Deus*, *propter Filium tuum*, *Domi-*

Dominum noſtrum, Ieſum Chriſtum: cui ſit laus, honor, gloria in ſæcula ſæculorum.

DIXI.

Hæ Antecedentes quinque Orationes ſunt habitæ Alcmariæ CIↃ. IↃCL. XIII. *April. Examine Vernali.*

ORATIO LXXIV.

Habita à

JACOBO LANST, *Edam. Batt.*

ROMULUS.

Romulus ego ſum, primus Romani nominis & imperii Sator Statorque. Qui à pulchra Trojanorum origine & diis ipſis cœleſtibus, feliciter ſum oriundus. Tam illuſtri ſtemmate ac domo, ut dubitem, an majori cum laude de meorum natalium ſanctitate, ſplendore, an de vetuſtate illorum gloriari poſſim. Supra humanæ ſortis faſtigium elatus, ab ipſa, inquam, divi Mavortis familia ac gente ortum traho. niſi, ingentia regum nomina, SYLVIOS, CALPETIOS, TIBERINOS, AGRIPPAS, AVENTINOS, AMULIOS, inter majores meos annumero.

—— Exornant undique ceræ
Atria, Poſſum, *pictos oſtendere vultus*
Majorum, & ſtantes in curribus Æmilianos,
Et Curios jam dimidios, naſumque minorem
Corvini, & Galbam auriculis naſoque carentem.

Quorum cervicibus tota Reip. ſalus, tanquam tutiſſimis fundamentis ac columnis, innititur. Quorum animos magnitudo imperii cum ſiderum ſpatiis determinat. His ego, auſpiciis, Quirites, ad illuſtris gloriæ faſtigium tantis tamque divinis

nis ſucceſſibus perveni. Omni mea induſtria in hoc ſolidè defixa ut parem imperio majeſtatem ad ſeros uſque poſteros tranſcriberem. Tanquam ſalutare aliquod ſidus, è cælo in terras demiſſum, unde Principis Populi feliciſſima initia, ad perfectum, ſui robur cum juſta ætate aliquando accedent. Sed adverſa multa, ut in maximi momenti rebus contingere ſolet, Fata & Fortunam noſtram concuſſerunt. Scelus Amulii, fratris Avi mei Numitoris, hoc agere turpiſſimè inſtituit, ut nunquam Ego in hominum memoria ac theatro accenſendus fuiſſem. Hujus Pater, Procas, Numitorem & Amulium reliquerat. Amulius regnum, quod Numitori debebatur, fraude occupavit. Igitur ne vindex ex fratris genere oriretur, ipſeque regno extruderetur, Rheam Sylviam, Numitoris Filiam, Veſtæ Sacerdotem conſecrat. Quæ perpetuæ virginitati devota, à Marte Deo compreſſa, Me & Remum fratrem peperit. Quod cum Amulio prodigioſè ad aurem veniret, matrem Rheam carceri includit, noſque ambos, recentes in lucem editos, ad Tiberim exponit. Hac tam barbara & immani ſpe fretus, ut inter fluctuum voraginem & altiſſimos aquarum gurgites exſpiraremus. Aliter in fatis fuit. Dii cæleſtes noſtri curam geſſere. Ecce, quo alio niſi nutu & conſilio Superum? Tiberinus amnem repreſſit. Negantque ipſa elementa facinori tam inaudito & horrendo novam injuriam ſuperaddere. Nos ſecundo æſtu ad ulteriorem ripam protinus ac illæſi penitus deferimur. Fauſtulus, regii pecoris magiſter, vitæ utriuſque Soſpitator exiſtit. Statimque ab uxore Laurentia, ejuſque uberibus miro ac incredibili amore recreati ſumus. Abſit hiſtoriæ vana hìc fides, tanquam ſi ſcorto aliquo, aut ſylveſtri nos lupâ & ferarum monſtro enutriti ſiamus.

Dicite, Quirites, quomodo ſatis dextera ego unquam

unquàm fide & memoria Deorum immortalium erga nos curam & amorem teſtabor? impia Amulii ſcelera juſtiſſimi dolores excipiunt. Statim, quandò jam ætas nobis validior, de honeſta ultione cogitare ſalubriter incepimus. Non paſſi illegitimo tramite Regem regnare, qui fratri contumelias, nobis nepotibus præcipitem mortem ac ruinam deſtinaſſet. Pari odio magnaque fortitudine in obtruncandum Amulium macti incurrimus, & Avo Numitori, quod illi per vim ereptum erat regnum, per virtutem reſtituimus, ita *autorem ſcelus*

Repetit, ſuoque premitur exemplo nocens.
Vidi cruentum carcere includi ducem,
Et impotentis terga plebejâ manu
Scindi Tyranni.

Ego ille ſum Romulus, Quirites, qui ſingulari Deorum cura in vita & imperio conſervatus, veſtri nominis infinitam gloriam ultra anni Soliſque vias tam fortiter quàm feliciter propagavi: volo, ut hoc die me Regem veſtrum attentè audiatis. Dicam de imperii noſtri ſanctitate, ac illuſtri geſtarum rerum memoria, quando neminem in hoc circo exiſtere putem, qui non libentiſſimè auribus ſuis uſurpet majorum ſuorum famam & virtutes apud poſteros recenſeri.

Regia ego ſtirpe & ſtemmate inclytus, mox majorum meorum veſtigia mactus ingredior. Non contentus, ab humili initio partam dignitatem turpi luxuria aut libidine labefactari. Quippe Regum eſt, non minore animo & alacritate fortunam ſuam promovere, quam Deorum conſiliis & voluntate ſemel partam poſſidere: Igitur maturè facto opus fuit, ut, quibus auſpiciis imperium accepiſſem, pro virili anniterer, ne, bona ſpe & amplitudine ſucceſſuum fruſtratus, rurſus ad nihilum recidere hoc patiar. Undique ſolitudo & terrarum vaſtitas. Regnique magis ſpecies inanis, quam

quam aliqua regio nomine digna majeſtas. Nondum à jure legum, à pœnæ auctoritate metus in ſubditos; nondum commercia negotiorum, aut ſocietas civium firmis parietibus continebatur. In tam arduo & præcipiti fortunæ impetu, nihil, præter prudentiam & ſanctiſſimum curiæ conſilium, deſiderabatur. ut aliquandò, quod prodigiosè à Diis immortalibus oblatum imperium, hoc Juſtitiâ & Relligione florentiſſimum poſteris relinquerem. Igitur de mænibus novæ urbis cogitare cœpi. Quo in opere adverſa multa noſtras operas & molimina interturbant. Hinc Remi fratris invidia; inde auguriis nos cæleſtibus in dubios rerum eventus diſtrahentibus. Remus Aventinum, Ego Palatinum montem conſcendo. Ille ſex vultures, Ego, quod felicius ac plenius erat auſpicium, duodecim oculis meis deſigno. a) *Sic victor augurio urbem excito, plenus ſpei, bellatricem fore. Sic illa aſſueta ſanguine & prædâ aves pollicebantur.*

Sic Divûm favore Puer Mavortius
Fundavi Urbem ſepticollem Romulus.

Ad tutelam novæ urbis vallo & mænibus erat opus. Hujus dum ridet anguſtias Remus, ille tanquàm prima victima, munitionem & natales tanti imperii mox ſanguine ſuo conſecrat. Non jam amplius in dubio poſteris & populo,

Urbem Romamne Remamne vocarent.

Ergò lætis auſpiciis creſcere indies tecta urbis video. Feliciter, jam jactis fundamentis, ac diis quoque ipſis authoribus. Qui ab humili & agreſti caſa nos in incredibile fati & virtutis faſtigium terrâ marique extulerunt. Quo populo nihil, Hercule, unquam majus de cœlo Sol vidit; quâ Dominâ civitate

—— *Nihil in terris complectitur altius æther.*
Cujus nec ſpatium viſus, nec corda decorem,

Nec

a) *Florus.*

Nec laudem vox ulla capit. Qua luce metalli
Æmula vicinis faſtigia conſerit aſtris,
Armorum legumque parens.
Orbem jam totum victor Romanus habebam,
Quà mare, quà terra, quà ſidus currit utrumque.
Quantum diſtant à Tigride Gades
Inter ſe quantum Tanais Niluſque relinquunt.

Age, tu mactus eſto nunc apud ſuperos, Reme Frater. Et vos exemplo meo diſcite; poſteri, non ſibi quemquam ex pari regem ferre poſſe, & maximum flagitium eſſe, quæ uni placuere, hæc infra Regum vota & voluntatem æſtimare.

Nunc ad majora nos Fata ducunt. à Legum & armorum cuſtodiâ incrementum imprimis ſumere oportet, quod à tenero initio maturitatis periculum habet. Finitimi omnes, neſcio, quo odio in me propenſi tanquam ſi cunctis terror & naturæ operoſæ prodigium fuiſſem. Credo, benigna nimis Deorum ope in hanc uſque horam, ad haſce faſces in vita reſervatus. Igitur, mitioribus remediis fruſtra adhibitis, ad doctos dolos & ludorum inventa confugere ſapientiſſimum judico. Locum Aſylo conſecravi, ubi mox reos criminum ac delicti, contra omnem violentiam, præſidio meo tutos volo. Ut, more gentium, tali argumento Pietatis, res noſtræ in majus ſe promoverent. Facta exteris nationibus copia, ut illarum vita ad miſerabilem infortunii ſcopulum objecta, hîc in alta ſecuritate & tranquillo quaſi portu deliteſcerent. Ludos Neptuno ſolennes inſtituo. A Volſcis, ab Etruſcis, Samnitibus, Fidenatibus, Faliſcis frequentiſſima hominum multitudine evocata. Ad hæc ſolennia Viri, matronæ, pueri innuptæque puellæ, à Sabinis potiſſimum magna ſe manu conglomerant. Hic, quia matrimonia à finitimis non impetrabantur, manu capta ſunt. Ego, & mei Quirites, quiſque ſibi placitam à Sabinis Virginem oculis deſignamus. Oborta ſubitò

magis

magis nuptiarum novâ ſpecie, quàm theatri alicujus inimicâ geſticulatione, Virgines, inquam, matronæque quæ ad ſpectaculum venerant, prædafuêre. Ignoſcite nobis, Poſteri: qui non aliâ facundiâ, aliiſque artibus rem Romanam juſto incremento ſtabilire potuimus.

Quid tam duros & aſperos in novam gentem eſſe oportuit? Quare non conjugii ſocietate in unum imperii corpus coaleſcere voluiſtis? An digni hâc contumeliâ habeamur qui non prolem, non poſteros de noſtro quoque ſanguine cogitemus? Qui divinitùs fundatum imperium nullâ liberorum propagine familiâque amplificemus? Hæc noſtra nunc, Sabini, ſunt ſpolia. Tu, Tati Rex, bello te vindica, ſi in fœdus amicitiæ, quod læti libenteſque offerimus, nos ultrò nolis recipere. Plena periculo res, ſed pulcherrimum eventum habuit. Pacem cum Sabinis, poſt triennale bellum, hiſce conditionibus ineo, ut Tatio in ſocietatem regni recepto, populus à meo nomine Romani; à curibus, Tatii Patriâ, Quirites appellarentur. Sic tandem unanimi conſenſu odiis ac injuriis omnibus exſtinctis, in mutuum imperium ſuccedimus. Salute populi Romani honore & viribus. immane quantum! adauctâ, tandemque rebus mortalium Tatio exempto, poſt quinquennii decurſum, ſolus utriuſque populi clavum & curam capeſſo.

Nunc ad alia & magis alta & ardua animus noſter incaleſcit. Quaſi divino nutu ritibuſque præmonitus, ab his auſpiciis & initiis maximarum rerum incrementa me habiturum. Quæ ut bene, ut proſperè nobis vortant, regiam dignitatem firmis præſidiis ac armata corporis cuſtodiâ aſſerendam puto. Dictum factum juvenes trecentos, à celeritate negotiorum conficiendorum expeditâ Celeres dictos, alio nomine Troſſulos, ex nobiliſſimis familiis eligo. Utque in arduo magis enite-

Eniteſcat imperii ſplendor, & improborum conatibus terror metuſque obſtet, eminentiori ſatellitio duodecim Lictorum, cum adjungo: quibus Præeundi, Submovendi, Puniendi poteſtatem concedo. Cunque Reipublicæ jam cura cumulatim ſeſe augeret, in legum ac armorum præſidiis egregiè induſtriam adhibeo. Populum in quatuor Tribus divido, & mox, accreſcente civium numero, factæ ſunt in urbe tribus triginta quinque. Ut nemo jam jure mirari poſſit, quomodo, tam brevi tempore ad ſtupendam hanc magnitudinem P. Romanus, conſurrexerit. Nam, cum primus ad militiam gradus fieret, vix terna peditum millia, & equitûm trecenti in cenſu fuere. Poſtea pluſquam quadraginta peditum millia & equitum mille in centurias adſcripta. Inde in immenſum Famæ & Gloriæ procurſum progrediente imperii maturitate, De quo poſterorum annales, haud dubio, utrâque paginâ teſtabuntur. Ita paulatim, imperii famâ in majus provectâ, ad PATRUM curas & conſilia me compono. Initiò Senatores centum deligo: quibus, cum Sabinis civitate communicatâ, alios centum adjicio. His omnibus ex nobiliſſimo genere ac gente oriundis.

Sic bene ordinata domi Republica, quis veſtrum unquàm temere admirari auſit, Quirites, me foris res quoque longè maximas effeciſſe? Et hanc noſtri Nominis excellentem gloriam, armis initiò partam, armorum quoque viribus excellentiorem auguſtamque magis compoſuiſſe? fruſtra enim eſt, res unquam magnas exordiri velle, quando non ad manum adſunt bellorum inſtrumenta: ſine quibus nihil unquam me aut poſteris dignum efficere potuiſſem. Ideo glorioſè de Acrone triumphum duco, Jovi Feretrio ex opimis ſpoliis templo dedicato. Ideò Vejentes, Cæninenſes, alioſque noſtræ felicitati infeſtiſſimos hoſtes toties à me fuſos fugatoſque video.

Pergi-

Pergite mei, Quirites, pergite, &, qua cæpiſtis animorum alacritate, in armis, quibus contra omnium gentium odia & invidiam fortes ac felices ſubſiſtitis, Romani Nominis gloriam, decus, ac præſidium collocate.

DIXI.

ORATIO LXXV.

Habita à

PETRO LANGEREYS,

Alcm. Batt.

NUMA POMPILIUS.

ITa Romule, amplificatis egregiè regni rebus, & famæ monumentis, felix beatuſque ad Superos tranſmigraſti. Nobis in ſemitam hanc regiam triſtiſſimis ſucceſſoribus relictis. Tu Sanctiſſimæ Bellonæ præſidio in æternitatis illa adyta introductus, tui amoris ac memoriæ recentis æterna veſtigia reliquiſti. Nos in mæſtiſſimo pulvere, in mortis propinquæ triſtiſſimo apparatu anxiè ſolliciteque ſubſiſtimus. Tu, qui primus imperii Romani Conditor, pridem è medio ſublatus, in Divûm ſanctiſſima conſortia abriperis. Nos & rem Quiritium publicam in ancipiti Fortunæ arbitrio deſtituis. Tu, eheu! Nonæ Caprotinæ teſtes ſunt, è conſpectu noſtro ad Cælitûm concilia contendis. Dum ſummi imperii arcana moliris, & exercitum populi Romani, ejuſque vires & robur juſtiſſima cenſione perpendis. Nos interea miſelli, Quirites, deformati ærumnis ac miſeriis noſtris, in luctu in lacrymis, ſummo cum mærore ac luctu, hodiernum hunc Solem intuemur. Tanto magis in deliquium ſanæ mentis abrepti, cum prava ac inertia multorum judicia de te, mi

te, mi Romule, intelligam. Quaſi in minuta fruſta diſcerptus, Patrum ſuffragio, nihil de te amplius reliquum feceris. O prava! ô deperdita mortalium judicia! Optimus quiſque gloriæ ſuæ virtutis fulgorem æquis oculis in poſterorum memoriâ conſpici patiantur, Sine te, Romule, quo loco unquam fuiſſemus? Sine provida tuâ opera ac conſiliis num quicquam Romano Nomini uſquam gentium ac nationum reliquum fuiſſet? In mera caligine, in denſiſſimis tenebris jacuiſſemus, Si non cura ſingularis tuæ ſagacitatis nos ad omnia magna & inacceſſa pluſquam viriles animos ſubdidiſſet.

Jam purum putumque Interregnum erat, Republicâ ut ſolet, in partes diſtractâ. Jam vulgi tumultu cuncta in deſperationem & turbas iverant. De proſperis domi foriſque rebus, una ſalus & ſpes ſupererat, novi Regis ſanctiſſima Inauguratio. Ne tamen civitas Romana incerto duce fluctuaret, Patres Conſcripti curam tuendæ Reip. ſuſceperunt, factiſque decuriis Decemviros ſubſtituerunt. Ex illis unus Regii honoris ornamenta, Imperiique inſignia, per quinque dies, uſurpabat. Poteſtas penes ſolum Senatum erat eligendi Interregis, qui niſi auſpicatò, adhibitis primum ſolennibus, religioſè voluntatem ſuam profitebatur. Tandem verò in periculoſiſſimis imperii rebus Ego Numa Pompilius Regi Romulo ſuccedo, quem Curibus Sabinis agentem ultrò petivere ob inclytam vitæ religionem. Nihil ego dubito, aut detrecto, Quirites, tantæ dominationis molem à majoribus acceptam in hoſce humeros meos ſuſcipere: Hoc vobis, ſpero, hodie oſtendam, nunquam me minus Romulo publicæ ſalutis aut amantem aut cuſtodem exſtitiſſe: Ille omnia intrepidè in armis agendo, Ego efferatum jam diu populum ad modeſtiam, ad continentiam unius religionis vinculo coercendo. Patiamini, quæſo,

Quiri-

Digitized by Google

Quirites, ut pari cum ſilentio, in hac purpurâ, de rebus à me geſtis ad vos verba facere nunc poſſim.

Populus Romanus, ſub rege Romulo pluſquam barbarâ feritate in bellum& ſanguinem exarſerat, ſpretâ ac contemptâ Religione Deorum immortalium. In multorum ac innocentium cladem, in vaſtationem finitimarum gentium promptus & paratus. Solis rapinis, incendiis vi publica & privatâ ad ſummam crudelitatis infamiam graſſabundus. Nihil bonarum legum inſtituta apud degenerem populum initiò valebant. Nihil injuriæ, audaciæ, ſceleri, illorum obvium erat. Omnia libidine, luxuriâ, adulteriis polluere prorſus impune habebatur. In nequitiam, nefas, ſcelera, ſine more ac modo improbiſſimus quiſque ferebatur. Sic vitâ Populi Romani prorſus pravâ ac corruptâ, obnoxium tantis periculis regnum, ſolâ pietatis fiducia fretus, felix capeſſo, & ut malis morbiſque præſentibus maturè remedium adhiberem, mox à temporum occaſione conſilium ac prudentiam imploro. Videbam neque ab armis, neque à militum copiis, regno meo ſecuritatem parari poſſe. Populo jam per omnes provincias planè exaſperato: Cui tantum ludus ac jocus, fuſo cruore manus improbas imbuere; in innoxia corpora nefarium mucronem ſtringere, ex raptu ac viſceribus victarum gentium ſpolia colligere. Hæc una erat voluptas ac ſolatium impiis civibus, quo ſui imperii prima cunabula & natales exordiebantur. Igitur ad communem Patriæ peſtem averruncandam,&homines ſub jugum mitiorisdiſciplinæ redigendos,totam regni molem & induſtriam, ad religioſos Numinum cultus converti. Quia mortalium animi nunquam melius, nunquam ſalubrius intra modeſtiæ gyrum ac metam continentur, quam præſcriptâ illis vitæ ſanctimoniâ, & à Diis Cæleſtibus in ſcelus & flagitium propo-

ſita juſtiſſimæ ultionis formidine. Cum Deâ Egeria nocturna colloquia & congreſſus, ſpecioſo nomine, ſimulabam. Cujus ab ore ſalutaria in Remp. monita oſtendo. Quibus parum mites & modeſtos animos ad aliquam manſuetudinem & humanitatem deduco. Quando enim Numinum reverentia hominis præcordia atque fibras paulo altius pertentaverit, mox à facili initio vehemens virtutum flamma ſubſequitur. Quicquid vel temerè, vel turpiter ab aliquo perpetratum, illud oraculorum fide ac ſuppliciis expiabam. Facta illi ingentium præmiorum ſpe, ſi vaticinantis Deæ juſſa ac voluntatem religioſo obſequio expedirent. Inde magna & incredibili pænarum atrocitate propoſita ſi ad antiquam vitiorum conſuetudinem deſciſcerent. Quo legum ſanctiſſimarum myſterio brevi in tantum profeci, ut poſito annorum ubique metu, jam non minus mihi de ipſò Sacerdotio, quam de Regii honoris auſpicio gratularer.

Ab hoc felici ſucceſſu porro ad majora enitor. Quippe negotia ſuſcepta in lætiſſimo erant procurſu, Diique immortales hoc ſuæ Divinitatis opus etiam ultro promovere videbantur. Statim ingenti numero Pontificum collegia inſtituo, ſanctiſſimam eſſe Auguratus diſciplinam jubeo! Sacra & ceremonias aliorum meâ authoritate & privilegiis honeſtiiſſimo loco haberi volo. Flamines Diales, Martiales, Quirinales, peculiari Deo conſecro. Singulis id negotii in manus do, ut nihil inanſum ac intentatum relinquant, quo inconditam illam turbam & expers ſacrorum vulgus ad vitæ ſanctitatem modeſtiamque permoveant. Ut domi foriſque omnia ad legum normam ac Deorum præſcripta ordinarent. Ut nihil inauſpicatò, nihil ſine prævio Cæleſtium nutu uſquam permitterent. Non ignarus Ego, quid boni inde habitura regnorum felicitas, quando in omni negotio curioſe Deorum opem & præſidium advocemus.

Brevi

Digitized by Google

Brevi alias ruitura imperii poteſtas, quæ juſta Siderum Superumque contemplatione fœde deſtituitur. Hinc ad optimum ſui habitum compoſita Repub. receptui mox ſignum datur. Non tubæ, non claſſica circum aures tonant.

—— Diræ ferro & compagibus arctis
Clauduntur belli portæ, furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis, fremit horridus ore cruento. a)

Pro armatâ cohorte, & cataphractis equitum catervis, videas longo ordine incedere cum ſuis vittis & infulis ſanctiſſimi ordinis Patres Patratos. Pro lorica atque Ægide jam lituos ac verbenas geſtari. Pro Martis illo pulvere, Circique certamine Augurum templa ac regiones deſignari. Pro Paludamento, pro Capitolii ornamentis, pro Quadrigis albis, jam Iani rurſus Ædem, & arcana imperii pignora, Palladium & Ancilias oſtentari. Aliud mihi regnum eſt, Quirites, quam primo hujus imperii atque Orbis Statori Romulo. Cujus quidem dextera ac fide hunc Populum legitimus ſucceſſor accepi; ſed rudem omnium ſacrorum, in ſuo ſe ſanguine, & cædibus perpetuò volutantem. Mihi, ad ſimilitudinem Cæleſtium ſiderum, cuſtos imperii flamma ſemper præ oculis vigilat. Ille ſpoliis victarum gentium ſuperbire, alieno ære ac opibus famam quærere. Ego morum & animorum cultu barbaras nationes ad vitæ ſocietatem hortari. In optimis quibuſque artibus poſteritatis memoriam cogitare. Quantò melius præſtantiuſque eſt. Quirites, legum authoritatem ſancire, Annum in ſuos menſes, certaſque stationes redigere; feſtos dies à nefaſtis diſcriminare. Vt nihil ſanctiſſimo hoc loco de veſtra, ô Virgines Veſtales, laude commemorem. Quarum in cuſtodia Dii Penates, & ille perpetuus Ignis Divæ Veſtæ honoribus religioſiſſimè conſecratus.

a) *Æneid.* I.

Cui tanta, tamque ſingularis inerat ſanctitas ac religio, ut ſi forte alicujus negligentia extinctus hic eſſet, etiam ipſa Veſtalis Sacerdos à pœna & flagris immunis haud eſſet. Quid erat, ô Romule, quod turpiſſimo Virginum Sabinarum raptu Tibi, Poſteriſque tuis tam infamem ignominiæ notam inureres? Quod pro armillis aureis, tantæ rei pretio, mox caſtiſſimam puellam militari atrocitate clipeis obrueres? Ego illarum Virginitatem æternis beneficiis nunquam exornare deſinam. Contra quarum decreta nulli magiſtratum intercedendi poteſtas; Quibuſque perpetuum hoc eſſe volo, ut quando in ſacerdotium adſcitæ, ſui juris exiſtant, ut libera manu mittendi, teſtandique arbitria habeant. In harum, inquam, Virginum ſinum, fidemque ſecretioris conſilii, teſtamenta deponi volo. Illis imperii faſces præferri; Illis à Prætoribus, à Conſulibus in publica via ad omnem occurſum honores exhiberi. Quis miretur, Quirites: Hoc noſtrum imperium in tanta Deorum veneratione, ad ſtupendam quoque ſui magnitudinem excreviſſe? Vrbem Romam, Mundi Compendium, Arcem nationum ac regum, Lumen gentium, Orbiſque miraculum evaſiſſe! Hinc ab Oriente Euphratem, inde ab Occidente Oceanum, à Meridie Nili cataractas, à Septentrione Danubium atque Rhenum cum admiratione oculis noſtris intuentibus. Quare id unum Ego omnes nationes Poſteroſque meo monitu edocere velim, ut poſt habitâ bellandi cupidine, ab ignobili armorum tractatione recedant. Poſitoque in Deum Opt. Max. religioſæ Pietatis fundamento, atrocem aliquando *Romuli* ſpiritum deponant, *Numæ* eſſe incipiant.

DIXI.

Hæ Antecedentes duæ Orationes ſunt habitæ Alcmariæ CIↃ.IↃCL. XIV. *Sept. Examine vernali.*

Diſ-

Diſſertatio Scholaſtica,

De

BELLO ANGLICANO.

ORATIO LXXVI.

De

Rerum Humanarum Inſtabilitate.

Habita à

JACOBO JOHANNIS, SCHAGEN.
Alcm. Batt.

MAgna H. A. rerum Publicarum Regnorumque viciſſitudo, magna inconſtantia. Nihilque in abditæ naturæ operibus tam firmum ac diuturnum, quod non ad fatalem ſui ruinam ociſſime contendat. Quippe, omnia excelſa atque ardua in præcipitem ſui caſum devergunt, miſerrimis mutationum vicibus obnoxia. Nihil inquam in univerſo hoc orbe, quod luminum ille Pater Sol aſpicit, quod non cum tempore paulatim deſinat, ac in pulverem & ſordes ſuas natales revertatur. Nam ſemel à mundi exordio data lex eſt: quod orta occidant, quod aucta ſeneſcant, & inveterata conſumantur. Hoc publica, hoc privata, in omni negotio abunde teſtantur. Adeo, ut, quodcunque cæca olim antiquitas de fragilitate rerum humanarum per nebulam, & nubem, quaſi hallucinando, hariolandoque ſtatuerit, hoc noſtro imprimis tempore vivis ad oculum exemplis proponatur. Iudicaverunt ſapientiſſimi homines, Fortunam in omni re dominari; nihil ſine hujus tacita gubernatione accidere; omnia ab illius arbitratu, tanquam à firma fatorum lege dependere. Quæ cuncta nos Chri-

 ſtiani

ſtiani ex alto deridemus. Prorſus nihili facientes deliria cæcutientis iſtius ævi, lubricæque ac vacillantis Deæ Fortunæ otioſa ſomnia.

Quanquam tamen hoc noſtro ſæculo tanta rerum ſit diverſitas, tanta in humanis rebus inconſtantia, ut certe non mirum ſit, ſi Ethnicorum illa judicia mentem ſæpe humanam à recto ſui clavo judicioque abſtrahant, ac perturbent. Nos vero, nobis prævia divinæ revelationis luce, nihil fortuito, nihil temere unquã accidere credimus: Cœleſti quadam Providentia humana omnia ordinante, à qua ſola rerum noſtrarum ſive felicitas, ſive infelicitas veluti à ſtabili quadam catena dependet.

Ego igitur H. A. veſtra bona cum venia, humani generis incertas vices paulo fuſius aperiam. Et edocebo, quantas turbas, & tumultus irrequietus mortalium animus excitet. Et indies, quam nihil certo pede ſubſiſtat, omnibus noſtris negotiis, tanquam in lubrico, ac labyrintho quodam conſiſtentibus. Vtile profecto, hoc tempore argumentum. Qui nova indies nobis monſtra præ oculis videmus, nihilque ſuo loco fixum certumque experiundo, proh dolor! nunc diſcimus. Quando ſola inconſtantia eſt conſtans. Hæc Sparta H. A. mihi potiſſimum demandata: qui breviſſime præfari debeo, quo filo, ac ſerie mutationum res humanæ conſiſtant. Vos Præſtantiſſimi *Domini Collegæ*, mox de periculoſo Belgarum fato, de *Bello Britannico*, neſcio, quam monſtroſo nunc partu ab inferis regurgitato, verba facturi. Hoc etiam atque etiam, obnixeque nos rogamus H. A. ut nobis hoc loco breviſſime dicturus, benevolas veſtras aures non denegetis.

Quando alternas ego rerum vices apud animum meum tacitus mecum pervolvo, eſt, profecto, quod ſine horrore, ſine gemitu meo ſubſiſtere vix poſſum.

Tanta undique me impellunt humanarum rerum

rum pericula & mutationes. Nam quocunque loco fortunæ fulgor & majeſtas maxime ſe oſtendit: inde ſubitus mox metus, & ſumma calamitas eſt exſpectanda. Quippe nihil in alto poteſt conſiſtere, quod non ab imo fundamento ſui ruinam ac peſtem moliatur. Non tam diverſa aëris conturbati eſt procella ac tempeſtas; non tam varii lunæ defectus, & labor elementorum ſibi diſcors; quam humanarum rerum indies crebra mutatio ac viciſſitudo. Vbi, eheu! cuncta mortalitate damnata ſunt, & inter peritura vivimus. Vbi nihil tam ab ingenio perpolitum, nihil tam ab induſtria perfectum, nihil tam ex ſolido ære aut ferro elaboratum, quod non tacito annorum decurſu, & temporum vetuſtate conſumatur. Ingentes ædificiorum moles, Regum ſpecioſa Palatia, ad fatalem terminum ſubito decurrunt. Ægyptiorum ſtupenda Pyramidum monumenta, jam diu in cinerem & favillas ivere. Orbis illa ſeptem miracula non amplius uſquam apparent. Roma, Carthago, Byzantium à culmine ſuo jam ante longum tempus in præceps ceciderunt. Fortiſſima Tyrus, inexpugnabilis Troja niſi nudum nobis nomen relinquunt. Vetus illud ævum, & tot antiquæ majeſtatis decora, tot Regum Principumque nomina ac theatra ſuis tenebris ſilentiiſque immerſa. Quod imprimis in quatuor mundi Imperiis videre licet. Fuit plurimos per annos inclyta Aſſyriorum Monarchia, quæ quondam ad ſummum evecta faſtigium, nunc ſolo æquata jacet. Viguit Perſarum, Græcorum, Romanorum pollens ac potens fama, uſque ad maximarum gentium invidiam, & odium clara. Sed noſtro hoc tempore abunde ſatis malorum experimur: unde tanquam domi in lazario, atque ſpeculo videre licet, quantum viciſſitudinis res humanæ ſingulis vane oſtendant. Dii boni! noſtra hac ſola ætate quid non evenit! noſtro hoc, inquam,

ſæculo, quid non ſuo more jocata eſt lubrica hæc fortunæ alea! Quam ſurſim & deorſim res noſtræ ſunt volutatæ! quam infinita, ac immenſa fatorum materies poſterorum inſerta annalibus! Vna inquam Europa, quæ fulmina, quæ tonitrua non dedit! Pene accenſo univerſo terrarum orbe hac ſolâ flammâ. Cujus mox ſcintillæ ultra Garamantas & Indos volitarunt: communi tot gentium properatâ ruina ac vaſtatione. Adeo ut valde parum atque exiguum videatur, vetuſti ævi commentaria nunc ſapere. Noſtra, pro dolor! hac ipſa ætate ſic luxurie malorum fætâ, ut prorſus alienum agi videatur, ſi veterum exempla adferre in medium velis. Plus una nobis Germaniâ & Belgica in annalibus ſuis recitante, quàm ut ſedulus illa Lector cuncta legendo cogitandoque poſſit percurrere. Vt de ipſis præliorum eventibus nihil hic addam, ac in ſolas Regum purpuras & diademata oculos meos convertam, quàm admirabili diverſiſſimarum rerum mole & imagine animi noſtri obruentur! Duo maximorum in Europa Regum FREDERICUS & CAROLUS huic ſcenæ pro exemplo ſufficiunt. Quibus ſceptra & coronæ à fatis ipſis data videntur in certiſſimum rerum humanarum ludibrium.

Quæ dum tacitus mecum cogito, H. A. dubito an non nova nobis Pelopis domus in familiaris fortunæ hoc ludicro appareat. Et plus indies rerum novarum nobis domi ſuppetat, quam omnis olim antiquitas ſuis nobis monimentis aperiat. O admirabilem fortunæ inconſtantiam! O nullo credibilem in ævo mortalium rerum inſtabilitatem! Quas merito cum theatro mimico & orcheſtra comparare licet. Nam quemadmodum in illa multæ perſonæ prodeunt vario habitu! ſic in aula & purpura magnorum Regum evenit: nam qui modo in edito dignitatis ſuæ ſolio excelſe elucet: ille mox ex improviſo triſtiſſimarum rerum profun-

fundo immergitur. Et ſæpe qui in infimis hæret ſubſelliis, ad ſolium ex ſerva natus, glorioſe aſcendit. Scilicet,

Valet ima ſummis.

a) *Mutare, & inſignem attenuat Deus*
Obſcura promens. hinc apicem rapax
Fortuna, cum ſtridore acuto;
Suſtulit, hic poſuiſſe gaudet.

O ſtultiſſimi mortales, qui animos veſtros in fluxis fluidiſque fortunæ rebus collocatis, qui ad nominis æterni memoriam laſciviter contenditis; qui in opibus caducis, in ſplendido luto ac futilibus rerum vitæ beatitudinem ſtatuitis. Larvæ atque intemperiæ vos exagitant: merus hic furor & inſania eſt, una mortalitas omnia humana ſuis tenebris ſilentiiſque involvit. A Regia & recta via omnes deſciſcitis; ad optimum diſciplinarum cultum; ad animi generoſi exercitium penitus langueſcitis. Quare nunquam ego ſatis digno riſu & cachinnis excipere res humanas poſſum, quæ omni fumo & vento leviores, nihil certi, nihil ſtabili in ſe habent. Quod vivo exemplo depingitur in Dionyſio, qui à Regali ſceptro ad ſordiſſimum vitæ genus redactus, excuſſaque capiti ſuo corona Regia, ad humilem ſcholæ pulverem ac ferulam dimiſit. Et in *Iulio Cæſare*, qui quamquam imperium à Gadibus uſque Auroram & Gangem protenderet, tamen à Caſſio & Bruto tribus & viginti vulneribus in ipſa Curia inter Patres confoſſus. Quod in facie toto orbe ſecunda SEIANO, in TARQUINIO REGE, aliiſque quam plurimis apparet. De quibus pulcrè Satyricus:

b) *Quales ex humili magna ad faſtigia rerum*
Extollit, quoties voluit Fortuna jocari.

De hiſce hoc loco diſſerere non tempus, non occaſio poſtulat. Alias noſtro ore atque calomo de

 illis

a) *Horatius lib. 1. od.* b) *Iuvenalis Sat. III.*

illis fortunæ nugamentis abunde diximus. Video Collegas meos, quibus ne impedimento ſim, ad dicendum paratos.

Satis ubique obviam eſt H. A. quam inſtabili gradu res humanæ conſiſtant. Quam illæ multos in altum tollant, ut lapſu graviore ruant. Ut nihil de ipsâ mortalitate noſtrorum corporum hic addam! quæ ætas indies depaſcit. Quæ celeriter in lucem edita, celerrimum ſui tenorem, intra paucorum annorum decurſum abſolvunt. Eheu!

Quid brevi fortes jaculamur ævo
Multa? quid terras alio calentes
Sole mutamus?
Quidquid Sol oriens, quidquid & Occidens
Novit! cæruleis Oceanus fretis.
Quidquid vel veniens vel fugiens lavat,
Ætas Pegaſeo corripiet gradu.
Quoque fortuna altius
Evexit ac levavit humanas opes,
hoc ſe magis ſupprimere felicem decet.

DIXI.

De
BELLO ANGLICANO.

ORATIO LXXVII.

De

Variâ Fortunâ & Succeſſu Rerum Belgicarum,

Habita à

NICOLAO GREBBERO.

Purmerend. Batt.

NOn neceſſe eſt, H. A. nos à priſcis Hiſtoriarum monumentis, rerum humanarum inconſtantiam confirmare; neque ab exterorum moribus atque conſuetudine experimenta de-

deſumere. Quandoquidem in ipſa hac Belgarum Republica hæc dubia & anceps fortunæ alea ſuam utramque paginam faciat. Vbi & Bellorum & Pacis tempore, res longe maximæ evenerunt: quæ fidem omnium Annalium, & memoriam ſeræ poſteritatis excedunt. Præſertim vero, quando paulo ante actam, ſub Hiſpanorum dominatu, vitam noſtram & fortunam cogitemus. Guttatim contabeſco, quaſi in aquam indideris ſalem, cum deplorandam majorum noſtrorum conditionem mecum tacitus perpendo. Intentoque animo omnes illas calamitates ærumnaſque examino: quibus ſub immani illa Tyrannide olim vexati ſumus. O hominum quos terra ſuſtinet, infeliciſſimos! In quantis vos, ô mei Belgæ, anguſtiis! in quibus tunc animi fortunarumque extremitatibus ætatem agebatis: Ad quam deplorandæ ſortis imaginem tunc miſere vos redacti! Cum ſub Regiæ Tyrannidis nutu, miſeram ſervire ſervitutem cogeremini. Nec uſquam vobis aliqua præſidii, aut libertatis tuta eſſet ſecuritas. Eſt memoria quando ſperata nobis libertas, truculentiſſimo Tyranno ſubjiciebatur, Belgæque ad atrociſſimam ſervitutem compulſi; haud ſecus, ac in communem deſperationis parietem compacti viderentur. O nimium dira nimiumque dura Belgarum fata! quibus, tanquam agmine facto, hoſtes infeſtiſſimi inſultabant; quoſque eò miſeriarum adegere, ut ſemper pavidi timidique, inſidias ac ferociam ſævientis Philippi formidaverint; in mærore & luctu vitam ipſa morte graviorem exegerunt: modò fortunis ſuis exturbati, modò ad mortis ſupplicium inſontes protracti. O tempora! ô mores infelicium tunc Provinciarum! Nihil niſi vincula, niſi carceres, niſi catenas majores noſtri quotidie verebantur. Si ad alia tuendi corporis remedia, tanquam ad certiſſimam ſalutis tutelam confugeres, nihil niſi deſperata rerum tuarum facies præ

Digitized by Google

oculis. Niſi in uno cœlo ac benignitate Divina, ſpem tuam collocabas, omnibus humanis auxiliis, ad opem ac ſolatia intermortuis. Quis verò ille adeò à rectâ ratione alienus, ut æquo animo, ſuſceptâ ſervitute, libertatem ſibi adimi patiatur? quæ, certè res una non æſtimabilis! quam nemo bonus, niſi cum animâ ſimul amittit. Hac ſolâ de causâ, vos, ô fortiſſimi Belgæ, libertatem tanto in precio habuiſtis, ut extrema omnia experiri, omnibus fortunis orbari, quam hujus poſſeſſione carere malueritis. Vos per ferrum per ignes, & mille vitæ diſcrimina, hanc defendere conati eſtis. Vos Barbarorum impietatem & idololatriam exoſi, cruentis Tyrannorum manibus, Religionem ſartam tectamque eripere ſtuduiſtis. Vltimi diſcriminis tentato toties periculo, cum civium fortunis, ac liberorum ſaluti, nuſquam tutum portum reperiretis. Nulli, vel in tacito pectore, ſalutis ſuæ authorem profiteri licuerit. Heu miſera atque infelix Eccleſia! adeone in prædam te rapi malorum hominum truculentia? adeone tibi inter inhumanæ Barbariæ conſtitutæ carnifices, fallaces ſemper doli atque tranſennæ intenduntur? Veſtram, ego Religioſiſſimi Belgæ, virtutem intuitus, æternis vos laudibus in cælum meritò extollo. Qui deformatam ærumnis Eccleſiam, & in occulto latentem Fidem, Probitatem, virtutes omnes tanquam ab inferis reduxiſtis. Vos, vos, appello, viri fortiſſimi, qui multum pro Republica perpeſſi, virili more, hoſtium arma repreſſiſtis. Qui contra juratum libertatis veſtræ hoſtem, contra fidelium ſectorem, contra funeſtum bonorum omnium Tyrannum gladium eduxiſtis. Vos immortalem apud omnem poſteritatem memoriam veſtri nominis præmeruiſtis: quam nulla unquam vetuſtas obliterabit. Vos, utroque ſole vobis teſte, per orbem nationum omnium felices deprædicabimini. Vſque in ſæculorum

lorum perpetuitatem, clari; inquam, æternique eritis. Quare & jure & merito, ad bellum, unicum felicitatis veſtræ Palladium, confugiſtis, ferroque & invictâ armorum vi, ad libertatem iter aperuiſtis. At verò, per quanta periculorum præcipitia, per quantos rerum caſus, tam horribilem, tam infeſtam ſalutis peſtem effugeritis, nemo eloquentiſſimâ oratione exornare, aut enarrare poteſt. Teſtantur illam inauditæ Tyrannidis nefariam vim tot ſtuperatæ virgines, tot ſpoliatæ ſuis liberis honeſtæ matronæ, tot tenelli infantes avulſi à ſuorum complexibus atque gremio. Quando è vulnere ac viſceribus deploratæ civitatis, miles Barbarus voluptatem percipiebat; quando ſica & gladius intra tecta & cervices noſtras, cum timore erat diſtrictus, omniaque aut fœdam ante oculos mortem, aut triſtiſſimum exilium ac perniciem minabantur. *Eheu!*

Qui gurges aut quæ flumina lugubris
Ignara belli? Quod mare Belgii
Non decoloravere cædes,
Quæ caret ora cruore noſtro?

Quocunque oratione & cogitatione mea pregredior H. A. illò fluctuantis Patriæ mæſtiſſima fortuna me rapit. Nuſquam eſt locus à Philippica diritate integer; nuſquam Lares ſine ſanguine atque cæde. Quæ non dubium oculus ille cæleſtis, jam dudum obſervat, tandemque digna ſceleribus ſupplicia ſtatuet, ne tanti mali memoria unquam de tabulis Divinæ vindictæ diſpungatur.

Prô ſancta pietas! pro Gubernator poli!

Haud te latet, ô omnipotens in cælo Pater quantum innocui ſanguinis, laxatis tyrannidis ſuæ habenis, truculentiſſimus Hiſpanus profuderit. Qui agris vaſtitatem, fortunis exitium, liberis civium corporibus vim, conſcientiis ſervitutem attulit. Sed, benignâ tuâ gratiâ, magne Deus, adhuc ſtamus

ſtamus incolumes vivimus, vivimus non ad deponendam ſed ad augendam noſtri memoriam. Hoſtibus ſcilicet placatis, civibus ſalvis, pace perfecta, bello cum potentiſſimo Rege extincto, lætis auſpiciis, omni formidine animum liberavimus. Curas, timores omnes protervis in mare Creticum ventis portare debemus. Vt quam olim peſſimis afflicti modis, nunc liberum animi ſpiritum, inter ipſa incendia, armorumque tonitrus ſecure trahamus; nec quenquam aut turpiter ſerviendo, in ſocietatem noſtram ſolicitemus, aut improbe regnando, ſub ingratæ ſervitutis jugum coerceamus. Tandem optima amicitia atque fide, cum Regum potentiſſimo contractâ, noſtriſque domi rebus feliciter defenſis munitiſque, niſi Deum Opt. Max. peccatis noſtris infenſum extimeſcimus, Hoc porro unum nobis mactis animis ſemper proponimus, ut nunquam Divinæ bonitatis clementiæque obliti, pro libertate, pro religione, pro aris ac focis, animas noſtras jucundiſſime offeramus, atque periclitemur.

DIXI.

ORATIO LXXVIII.

De

INITIIS BELLI ANGLICANI.

Habita à

PETRO BORDING.

Purmerend. Bat.

PUlcherrimam rerum Humanarum imaginem H. A. mox in Collegâ meo intuiti eſtis. Qui prima hæc rudera & rudimenta Reipublicæ Belgarum oculis noſtris ſubjecit. Oſtendens in hoc familiari ac domeſtico exemplo, quàm Res

Huma-

Humanæ ſuam quæque periodum habeant, temporumque arcanâ vi ac moderatione ad ſui vel faſtigium, vel ruinam contendant. Quæ omnia in noſtrâ Rep. vivis ad oculum exemplis edocemus. Qui domi foriſque confectis glorioſe rebus, ſub aureæ Pacis umbrâ gratiſſimam quietem amplectebamur. Et nullam uſquam gentium de bellis cogitationem, vel ſpe vel metu, percipiebamus. Ecce, noſtra nobis à tergo Nemeſis, qui tanquam ſubito fulminis ictu percuſſi, novam rurſum Provinciis noſtris tempeſtatem exhorreſcimus. Et, qui nullâ injuriâ quemquam mortalium indignè læſimus, in arma & furorem, eheu! præcipites ferimur. Quaſi non aliunde levem ac lubricam Fortunæ manum cognoſceremus: ut Britannum quoque nobis olim fide, amicitiâ conjunctiſſimum, hanc peſtem & hydram, in innocuam Belgarum gentem teſtari oporteat. Qui nunc opes, divitias ſibi ex ſanguine amicorum & viſceribus miſerorum, quo jure, quaque injuriâ comparare ſtudet. Qui communem liberi maris uſum, ac navigandi antiqua jura ſuis nunc limitibus coërcens, nos à littore & arenis, tanquam infeſtos ſibi hoſtes ac Harpyas depellit, omnemque terrarum commeatum atque aditus nobis Batavis, ſi per vires ſuas hoc poſſit, crudeliter eripere conatur. Et jam exultabat ab exilio Eccleſia. Trophæa magna victoriarum ſolennitate parietibus noſtris ſuſpenderamus. Nihil minas, nihil metum, aureo hoc mundi ſæculo, nobis faciebat. Qui ſub armatæ Palladis auſpicio maxima ſemper effecimus. Qui toties terrâ marique ſuperiores exſtitimus; Iberorum Regem, Aſiæ & Africæ domitorem debellavimus, nunc ſub togatæ hujus deæ clypeo & tutelâ molliter & magnificè vivebamus. Sine tumultu, ſine periculo, arx Nationum, domicilium atque aſylum miſerorum exulum. Omne Claſſicorum murmur ſilebat; litui tubæque nul-

lus

lus jam permiſtus ſonitus. Bellaque matribus nuper deteſtata, jam ex toto conticeſcebant. Nuſquã armorum vis Belgis timorem faciebat; ſatis belluarum ritu in mutua vulnera concurſum erat. adeoque amæniſſimâ hujus quietis dulcedine conſopiti, ut quærendus penè aliquis hoſtis eſſet, cum quo ſimultates & belli conſuetudinem haberemus: ne nova Campaniæ fomenta viriles Belgarum animos enervarent. Ne juventus noſtra, ſolidâ perpetuaque pace confectâ, omnem bellandi apparatum, & conſueta caſtrorum exercitia, quaſi rudi Minervâ deponeret. Seſeque totam luxuriæ & inertiæ corrumpendam daret. Cui modò quieſcenti humus cubile, cui militiæ pulvis, & alia incommoda epulis jucundiora fuerunt. ne mox voluptatem, inſtar ſummi boni amplecteretur; illam ſerio diligeret; in illius gremio, cum Pionis & Romanis effæminatis, ad otium & inertiam prolaberetur.

Ita feliciter H. A. ſub amænæ Pacis auſpicio vitam egimus: Qui terror & horror tot gentium fuimus. Nunc nobis, prô pudor! pro pace bella, horrida bella renaſcuntur. Pro fœderibus amicorum, ferrum, pronum ad cujuſque necem & ſupplicium.

Eheu! quantus equis, quantus adeſt viris
Sudor. quanta movent funera Battavum Genti.

Novum ſcelus novus anhelat hoſtis. peſtem nefariam patriæ molitur. nobis atque huic urbi flammam minitatur. ô Dii immortales, ubinam Gentium ſumus? ubi nunc fæderum illa ſanctitas religioſa. Illa Anglici & penè Angelici, ut ſic dicam, virtutum priſtina imago? Eheu! ſub terras & tenebras dudum hæc pulſa receſſit. Novus ad portas non à Carthagine, ſed à propinqua Britannia eſt Hannibal. Qui de patria, de noſtrorum omnium interitu, de totius terrarum orbis exitio flagitioſe ſecum cogitat ac deliberat. Prô Deum atque

que hominum fidem! Hoccine pulcherrima Pacis fœdera celebrare? Hoccine triumphales tædas in tranquillis Batavorum tholis templiſque accendere? Eheu! quibus, inter roſas amœniſſimas & violas, nunc illis lacrymarum fons triſtiſſimus aperitur. Vah! quam inopinata! quam ſubita malorum tempeſtas, quando aurea prorſus ſæcula nobis imaginati, in triſtiſſimum ærumnarum, labyrinthum ſine noſtra culpa, ſine aliquo prorſus argumento, incidimus. Occluſo Iani jam templo, extra anni ſoliſque vias imperii limitem proferebamus. Ab hac parte, quà immunes ſemper exſtitimus; unde nullum periculum animis noſtris propoſuimus, novi, ecce reſurgunt Albani, novique fœderum ruptores Metii. Qui ſub Pacis involucro maximam bellandi materiam moliuntur. Dirum, me Hercule! facinus quod nulla unquam obliterare ſilentiis ſæculorum memoria poteſt, aut unquam exſtitiſſe, non crudeliſſima, apud ſeram poſteritatem, natio populuſque credat. Vt illi, quorum fide & commerciis jam à longo tempore, ſine metu & ſuſpicione, uteremur, in noſtrum caput ac perniciem tam improbo conatu conſurgerent. Dicite, Chriſtiani Auditores, quæ unquam inter homines ſanæ mentis fides, quæ amicitia, quæ religio retineri poteſt? ſi ſacra Polluere; ſi Pacem & otia inter amicos conturbari contingat? Sed, hæ tuæ partes erunt, mi Collega, qui diſerto, ſpero, ore & calamo veterum Amicorum perfidiem ac fallaciam deſcribes. Mihi ſuffecerit primum tibi limitem aperuiſſe. Qui tunc probe meo munere perfunctus videbor, quando aliquam partem & perſonam in deſcribendo alternantis Fortunæ ingenio pro virili ſuſtinuerim.

DIXI.

ORA-

ORATIO LXXIX.

De

Perſidiâ Britannicâ, eorumque bello injuſto.

Habita à

JOHANNE CASEM-BROOT.
Hag-Batt. Nob.

OMni in ævo N. A. Amicorum fida ſemper fuit ſinceritas, & in retinendis ſocietatibus ac fœderibus firma conſtantia. Tantò ſanctiora mutuæ fidei ſacramenta, quantò magis hæc religioſo Dei cultu invicem conjuncta ac ſuſcepta fuerunt. Hæc animorum Pietas, & Amicitia nobis hactenus cum proxima Britannorum gente, non ab annis; verum à tot luſtris, celebrata fuit. Sed nunc cum illo, tam nobis dilecto quondam populo, bella crudeliſſima adminiſtramus. Ipſorum perfidie nos ad inexpectata defendendæ ſalutis remedia compellente. Qui nos in utramque aurem dormientes armorum tubarumque horribili boatu ad arma, & cuſtodiam noſtrorum corporum coëgerunt. Quare meritò totus terrarum orbis in tantum ſcelus & audaciam ſtat attonitus. Vix hoc animis ſuis ipſa capiente barbarie, qui tantus furor, bellique crudelitas, inter illas nationes exiſtere poſſit: Quarum ſacra & altaria ſub iiſdem Numinis auſpiciis tam religioſe coluntur. Cum nihil conſtantius in rebus humanis eſſe poſſit, apud ipſos idololatres, & à vera pietate alienos, quam cum illis in pace vivere, quorum facta & vitam eodem tenore officiiſque ferri videmus. Quales, profectò, & noſtra & patrum ætate Britanni fuerunt. Quorum animi & conſcientia ipſa fidiſſimis nobis Batavis vinculis devincta fuit. Quorum decus ac præſidium tan-

tanti ſemper fecimus, ut iiſdem cum iis ſacris nos vivere perpetuò putaremus. ne per levem nubeculam prævidentes nebulam hujus formidoloſi belli. Quæ ſi orbis Chriſtianus nobiſcum perpendat, eſt quod communi ſuffragio Britannum illa levitas meritò vapulet. Cujus Gentis antiqua fædera, Reges, principeſque ſi nos ab inferis revocemus, quam non litem ſuis poſteris meritò Intenderent! quàm de pace & amicitia illos ſanctè commonefacerent! Sic prorſus ſublata in poſterum omni materia ac fomite, unde fortaſſe enaſci aut enutriri potuiſſet aliquis igniculus, qui animos noſtros in diſcordiam ac ſimultates accenderet. Prætereo tot publica, tot privata officia, quibus nos à tot annis cum iſta gente ſanctiſſimè ſemper viximus.

Omnibus hiſce ſacris temerè pollutis, & nunc ab ipſis non noſtra culpa, violatis, in atrociſſima cum veteribus amicis bella incidimus. Quæ omnium gentium, ac populorum judiciis, jam dudum damnata, apud ipſos poſteros, ſumma cum admiratione, ad horrorem uſque commemorabuntur. Cujus belli apparatum ſi aliqua noſtra negligentia aut culpa concitaremus, eſſet aliquis armorum prætextus, quo tutò ſe defenderent. Nunc ab omni accuſatione & injuriis alieni atque liberi, prius hoſtilem cervicibus gladium recepimus, quam de indicendis bellis cogitavimus. Quod contra omnium nationum, ipſiuſque naturæ ſacra & conſuetudinem; contrà fœderum ſocietatem; contrà ipſam barbarorum legem, rituſque efferatiſſimarum gentium.

a) *Sed jam Serpentum major concordia. Parcit*
Cognatis maculis ſimilis fera. Quando leoni,
Fortior eripuit vitam leo? quo nemore unquam
Expiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit, rabidâ cum tigride pacem

Per-

a) Iuvenalis ſat. xv.

Digitized by Google

Perpetuam: ſævis inter ſe convenit urſis.
Aſt homini ferrum lethale incude nefandâ
Produxiſſe parum eſt.

Vis ipſa nobis infertur ſub pacis tractatione: quando utrinque ſilere arma debent. Noſtræ naves mercibus ſuis deſpoliantur; boni Mercatores fortunis ſuis exuuntur, quando ne claſſicum adhuc belli ſignum dediſſet. furitque jam intus accenſa belli rabies, & diſcordia, cum nemini adhuc veſtigium ejus indignationis appareret. Vos Patriæ Patres, per prudentiſſimos Legatos, viros inclytos, PAWIOS, CATZIOS, SCHAPIOS, NEOPORTIOS, de fœderum ſanctitate, & amoribus mutuò colloquimini: Iſti verò ſub lingua ſua ſcorpium ac peſtem moliuntur nefariam. Nos in triumphos, in ſpem celebrandæ amicitiæ cuncta domi apparamus: Illi animis diſcordibus, non niſi de ſanguine, de viſceribus noſtris ſecum deliberant. Quis N. A. poſt hominum memoriam, tantum ſcelus oculis unquam legit? Quis animo ſuo percepit? Si à Siculo tyranno, aut uſque ab extremis barbarorum finibus hæc tanta nobis injuria contingat: anne illam æquis animis perferre poſſemus? nunc ſub ſpecie, atque amicitiæ prætextu pronaſcitur mala hæc hydra: Qui à ferro, à licita & legitima vindicta nos Belgæ nunc manum abſtineamus? vim vi repellere oportet, ne nobis ipſis mortem & exitium properemus; poſteriſque noſtris cauſam nos jure accuſandi relinquamus. Videntur nondum Regio ſanguine expleti; nondum tot ducum principumque innoxiis manibus ſaturati: Vt etiam crudele bellum in amicos, in ſocios ſuos, ſine jure, ſine legum tutela proferre conentur. Quam audaciam, Optimus Maximus in cælis Deus, nunquam perferre poterit. Qui illorum nefariis manibus, præ indignatione ſua juſtiſſima, meritas, aliquando pœnas attribuet, fruſtra truculentiſſimi homines,

Pie-

Pietatem, Fidem, Humanitatem vitæ veſtræ prætenditis: Si imbellem populum, & jam in otio degentes Belgas, malorum prorſus ſecuros, vi armata invaditis. Vſque adeo ab omni ratione alieni, ut ne vel ſcintilla bonæ fidei relinquatur, quæ in prima quaſi herba, hæc bellorum ſemina extinguat? non in mentem veniebat, quibus auxiliis, quibus pecuniis vobis & inopiæ veſtræ ſuccurrimus? Quam animo fraterno ac familiari, nos in ſocios ejuſdem Religionis exſtitimus? Quibus lacrymis, quibus ſuſpiriis, quando bello domeſtico vos intricati, nos cælum & ſidera, pro veſtra ſalute ac incolumitate teſtati ſumus? Pro pudor! intermortua eſt omnis virtutum memoria. Quæ nulla beneficia noſtra agnoſcit; nullam affinitatem ſanctam habet; omnia humanitatis ac legum ſacra contemptui & ludibrio exponit. Ipſa denique Maria, quæ liberrimi ſemper juris fuerunt, noſtris manibus & commerciis penitus eripere, manifeſtam dat operam. Quare rerum ipſâ naturâ ad hoc nobis impultrice, ad juſtiſſima arma nos Batavi confugimus: Non aſſueti ab aliquo externo hoſte jugum ac dominationem improbam pati. Sed animam, ſed ſalutem, ſed fortunas noſtras, pro honeſta cauſa in medium adducere, & cuncta periclitari potius, quam vel latum unguem à fide, à conſtantia & ſemel dato pignore turpiter recedere. Vides, Britanne, quam felicia nunc ſidera Batavis exoriantur? quam ſecundo nuper prælio, ſub ipſis veſtris mænibus, ad Tameſin, ſit pugnatum? jacta eſt rerum noſtrarum haud infelix alea: unde majora in dies ſperare licebit. Ecce veſtris nunc in oculis priſca Batavorum fulget induſtria: qua res ſuas, qua libertatem, qua Religionem tueri ſolent. Omnes extrema ſubire parati, quam non juſtiſſimi belli titulo præmuniti, ad cæleſtia conſilia militiamque confugere.

DIXI.

ORA-

ORATIO LXXX.

De

Remediis Belli Britannici

Habita à

SIMONE CNOLLIO,
Alcm. Batt.

QUare, tu, mi Collega, tam acerbè in turpitudinem ac perfidiam Britannorum inveheris? cur tanto cum animi mærore de illorum infidelitate conquereris? noſtine cuncta mortalium negotia divinæ providentiæ clavo regi atque gubernari? Nihil caſu, nihil fortuitò accidere; ſed omnia provido Dei conſilio ac voluntate contingere? Rumpant ſocietatis antiquæ fœdera; diſſolvant priſtinæ amicitiæ vinculum. Eſt, eſt Omnipotens in cælis Deus, qui ſuis oculis cuncta hæc videt; qui æqua juſtitiæ lance mortalium crimina expendit. Ille Britannorum dolos arteſque non inpunitas relinquet; verum, ſumptâ aliquando vindictæ ſecuri, gentem illam radicitus exſtirpabit:

Rarò, enim, antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Noli igitur animum deſpondere: juſtum piumque eſt bellum, quod cum Britanno adminiſtramus; juſtiſſimis cum perduelle hoſte armis decertamus. Non, ut cum Alexandro ultra Thulen, ultra Herculis columnas imperium promoveamus; ſed ut cum Græcis contra Xerxem patriam ab inpreſſione defendamus. Vt vitam à cruentis latronum ſicis; poſſeſſiones à violentis prædonum unguibus protegamus, ad ARMA confugimus. Non ſponte in arenam deſcendimus: Sed Anglorum perfidia, nos ad ineunda præliorum diſcrimina, invitos; dolen-

dolenteſque protraxit. Nihil igitur de proſpero ac felici rerum noſtrarum eventu dubitandum. *Quos enim innocentia tegere non potuit, eos tegere armorum præſidium oportet.* Docent illud exemplo ſuo proavi noſtri: Quibus cum Hiſpaniarum tyrannus intolerabile ſervitutis jugum imponere ſtuderet; odio inplacabili in Libertatem & Relligionem ſuſcpto, illi ad bellum, unicum ſalutis Palladium, confugerunt, & tandem contra juratum Libertatis hoſtem; contra funeſtum civium bonorum tyrannum, victores exſtiterunt. Maſculo & virili te eſſe animo velim, mi Collega. Nunquam Optimus Max. in cælo Deus bonam cauſam, ejuſque authores neglexit. Graſſentur pro brevi tempore, in piorum claſſem & fortunas ſæviſſimi latrones; odia ſua inimicitiaſque expuant in immeritum Belgarum populum: Deus Opt. Max: in procinctu aderit. Qui non patietur vineæ ſuæ cultores, Relligioſiſſimos Batavos, ex toto opprimi. Qui, licet per æqua & iniqua, per fluxus & refluxus, tandem ad ſperatum ſalutis portum ſuos deducit. Quippe,

Nil deſperandum, Chriſto Duce, & auſpice Chriſto.

Hic periculum capiti noſtro quod inpendet, maturè depellet. Hic in ipſorum capita diſcrimina convertet. Qui hactenus viros vireſque ad cohibendum violentiæ incurſum, ad frangendum Hiſpanici furoris impetum ſuppeditavit; ille porrò Belgium noſtrum ab ingruente Anglorum tyrannide, à fædis Harpyarum unguibus ſartum tectumque conſervabit. Nec deſunt nobis pro Libertate defendenda maſcula Heroum pectora. Quorum fortitudinem alter adhuc orbis non ſine ſtupore admiratur. Qualis adhuc noſtræ ſaluti incumbit, ille generoſiſſimus ac invictus Archithalaſſus, TROMPIADES. Qui, non, ſuâ virtute, non animi induſtria, non ſua ſtrenuitate ullis veterum ducibus eſt inferior. Qui, dum, vitali hac luce

luce perfruitur, ſperandum eſt, ab illa manu aliquid divinum ac ſingulare noſtræ Libertati eventurum. Quo viro, neſcio, an quid præſtantius fortiuſque pater Oceanus ſalſis ſuis in undis unquam adſpexerit. Qui armis victricibus omnes Oceani ſinus & receſſus, omnes portus & latebras peragravit. Qui paucos adhuc ante dies tuam, bone Deus! clementiam & amorem teſtor, quibus non funeribus, vulneribus, cadaveribus hoſtes noſtros triſtes, deformatos ac luctuoſos reddidit. Quàm divini animi maſculam fortitudinem nulla unquam ætas pari gloria poterit deprædicare. Quàm potentiſſimi Reges principeſque non niſi tacitâ invidiâ perſequentur. Quæ nobis Batavis, novo bello inpeditis, novas iterum vires animoſque ſubminiſtrat. Age, macto animo, Heros magnanime, iiſdem experimentis gloriæ tuæ magnitudinem metire. Non patere inpunitam Britannorum perfidiam; hanc inprobiſſimorum hominum colluviem ſic violenter per vicina littora campoſque vagari. Ab inpuriſſima hac hominum ſentina maria noſtra repurga. Superſunt adhuc multi & caſſudis, & pelagi patientes viri; quos non luxuria, non opes, non Campaniæ fomenta; ſed tubarum ſtrepitus, equorumque hinnitus delectant. Qui toties nudi ſub pellibus excubias egerunt; toties animi ſui robur adverſus hoſtem fortiſſimo exemplo oſtenderunt. Habet plures adhuc patria noſtra Decios, Brutos, Catones; qui conſtantem animi virtutem hoſtium furori objicient. Qui nunquam tacitè hoc ſinent, ut plus, quàm barbara & ferina Britannorum indoles aliquid de Belgarum ſalute ac ſecuritate delibet. Nondum penitus quoque nobis deficiente divina Naſſoviorum manu: Quorum hactenus conſiliis, & admirabili animorum induſtria in hanc famam & gloriam ſemel nos ereximus. Illi, inquam, fortiſſimi Heroes tyrannorum audaciam ſua virtute ſu-

te ſuperabunt: Illi ſuo ſanguine ac viſceribus patriæ ſalutem ex ipſis Chimeræ faucibus facilè expedient. Vivit adhuc, vivit illa vivida ac victrix virtus invictiſſimi fortiſſimique Herois, MARTINI TROMPII. Qui, non ſibi: Non ſuis fortunis; ſed patriæ, ſed Reipublicæ ſecuritati vivit. Qui non ſuorum gloriæ ac laudi ut ſerviat, vivit; ſed, ut hujus ſæculi, ut liberorum, ut conjugum, ut poſterorum omnium agat negotium. Nulla, mi Collega, deſperandi eſt ratio. Nullum bene de patriâ judicandi periculum. Age, tu, animum mortis terrore carentem firmis manibus retine.

——— *Nec ante tubas tremor occupet artus.*

Nondum noſtræ claſſis eſt nudum remigio latus. Nondum

Malus celeri ſaucius Africo
Antennaque gemunt.

Integra adhuc ſunt lintea, ſilvæque filia nobilis plurima adhuc reſtat. Nulla, inquam, arma deſunt, quæ hoſtium furor requirit. Ferrum & ignes ſunt in armamentariis. Viva ac animata ſulphura, Vulcaniaque arma dabunt ſuis incudibus noſtri Cyclopes; puppes, tabulas, rudentes, anchoras in promptu habemus. Totus ille, inquam, apparatus thalaſſicus in noſtris eſt manibus. Et vos, ſpero, potentiſſimi à Daniâ, & Sueciâ Reges Principeſque, veſtra quoque agmina & copias brevi in campum producetis. Non æqua unquam mente laturi, quod innoxius ille CAROLI ſanguis ſic fruſtra atque infeliciter vocem ſuam ad cælum attollat.

Nunc tempus agi res;
Nunc defenſoribus iſtis Eſt opus.

Quibus, utinam! Optimo Maximo Deo præſente ac propitio propediem ſe adjungant illa inclyta Palatinæ domus decora & ornamenta *Roberti*, *Mauritii*. Qui omnes inſtructiſſimis terrâ

marique copiis atque claſſibus illatam illuſtri veſtro nomini & familiæ injuriam gloriosè fortiterque vindicare debetis. Vt Britannica illa peſtis ac tyrannis noſtro quoque hoc ſæculo merita ſua pœna ſuppliciiſque afficiatur. Tu, inprimis, Carole fili, qui divina quadam providentia ex impiiſſimorum parricidarum manibus nuper elapſus, tuo ductu atque auſpiciis ſanctiſſimam hanc militiam aggredere: Vt aliquando optimi Parentis manibus debito jure ac officiis perſolutis, Libertatem, Relligionem ſubditorum tuorum fortunas priſtinæ ſuæ gloriæ ac integritati reſtituas.

Sed hactenus A. O. humana induſtria, armiſque mortalibus, pugnavimus: Quibus tamen ne plus æquo nos tribuamus, piè ſapienterque eſt providendum. Quæ domi foriſque nihil ſunt utilia; ſi non juſtiſſimæ cauſæ titulo in manum ſumantur. Cum illis ex ære & ferro clypeis jungenda eſt illa cæleſtis armatura. Qua olim hoſtium ſuorum caſtra Chriſtiani illi milites atque Imperatores Moiſes, Gedeon, Iephthes & Regius Propheta Rex David, perfregerunt. Qualis Piorum eſt illa Oratio ad Omnipotentem in cœlis Deum, quæ omni mucrone & cuſpide eſt fortior. Quibus machinis ſi probè inſtructus ſis, jam ingenti victoriarum ſpe animum obfirmare licet. Quas nulla tyrannorum induſtria valet perfringere: Nullæ equitum peditumque phalanges perrumpere. Quâ ſolâ, inquam, armaturâ firmiſſima urbium mænia, momento citius ſunt debellata. Numeroſiſſimæ inimicorum catervæ in religioſi victoris arbitrium feliciter ceſſerunt. Quibus auxiliis ac ſanctiſſimis Eccleſiæ munimentis, præcibus & gemitibus, non dubium eſt, quin hoc ipſo neceſſitatis arcticulo Omnipotentem in cælis Deum medullitus permoverimus. Qui fidem, qui relligionem qui juſtiſſimam belli noſtri cauſam intuitus,

tuitus, hoſtes noſtros indelebili pudore ſuffudit, nos honore & gloriâ coronavit. Quare nos cum piiſſimo Moiſe manus noſtras in cælum pergamus attollere; Dum pugnat pro Libertate, pro Relligione novus Joſua. Quare noſtris plauſibus, piis noſtris orationibus cælum porrò reſcindere oportet, & ſacro ſanctis ſuſpiriis relligioſiſſime apud Deum noſtrum intercedere. Quia, quodcunque divinis auſpiciis ſemel ſanctè ſuſceptum eſt, nunquam inanes ſucceſſus conſequitur. Quippe in tua eſt manu, ô Altiſſime Deus, Pax & Bellum. A te ſolo Regum ac populorum corda & conſilia dependent: Qui pro arbitriis cæleſtibus omnia divina, omniaque humana regis ac gubernas. Qui hoc periculoſiſſimo bellorum tempore, pro admirabili tuâ clementia, ſingulari nos beneficio affeciſti; ut adhuc contra furorem ac tyrannidem totius in nos irruentis Britanniæ fortiter feliciterque ſubſiſtamus. Et, nedum per inertiam effætis imperii viribus, priſtinam Belgarum fortitudinem in novum orbis terræ theatrum ac triumphum inducamus. *Tu, ô bone Deus, immitte mentem hoſtibus paci atque amicitia deditam; ut ex vetere ritu atque formulâ novo amore, noviſque concordia vinculis invicem coaleſcamus. Ut non amplius miſerorum cadaveribus ac ſanguine Oceanus repleatur. Nec littora noſtra tot crudelium latronum inſidiis atque cædibus infeſtentur. Quæ, ſi olim hoſpitibus ferus Britannus, & nunc Belgarum populo ſæviſſimus hoſtis, nobiſcum vota ſuſcipere nolit; faxis, tu, ô Clementiſſime Deus, tuo nutu atque auſpiciis, vis conſilii ipſorum expers mole ruat ſuâ. Et nos aliquando in illuſtri hoc Gymnaſio devictis, & adjectis imperio noſtro Britannis læti ovanteſque triumphemus.*

DIXI.

Digitized by Google

AMNESTIA.

Scripſimus hæc nuper Martis crudelis ad aram,
Talia cum Pietas Vatibus arma daret.
Nunc alia in Batavis pendent anabathra tigillis,
Totaque mutata eſt ſcena fideſque Fori.
Pro Satyrâ & mordente joco, poppyſmata dantur
Blandula, & hîc populo vox niſi grata ſonat.
Auſpiciiſque piis CROMVELLIUS audiet olim
FRONDE SACRA evinctus tempora, *Noſter Amor.*

Quinque Antecedentes Orationes Recitatæ Alcmariæ CIↃ IↃCLIII. XII. *April.* Examine *Paſchali.*

ORATIO LXXXI.

De Lege Romuli

Ne quis præſente muliere corpus denudet, aut obſcœnos ſermones habeat.

Nobiliſſimi, Ampliſſimi, Spectatiſſimi DD. Coſſ. Doctiſſimi, Clariſſimi, DD. Scholarchæ. Reverendi, Præſtantiſſimi DD. Paſtores; Chariſſimi DD. Collegæ. Audd. Humaniſſimi.

REX ROMULUS cum videret, novum imperium non ſine Legum reverentiâ & authoritate diu poſſe conſiſtere, & jam circum ipſam matrem ſuam cum ſummo periculo luctari, hoc ipſum ille alacriter feliciterque inſtituebat, ut rudem inertemq; populum ad excellentem humanitatem & modeſtiam informaret. Igitur quemadmodum in turbulento ac difformi imperio præcipuè decet, Patriam in Filios authoritatem indeliba-

libatam eſſe voluit; jus vitæ neciſque regium penes patrem quoque exiſtere. Præterea cum hoſtibus finitimiſque ita religiosè ſanctèque agendum, ne quis unquam Pacem induciaſque aut fidem Romanam exteris nationibus ſemel datam temerè turpiterque frangeret, aut violaret. Liberalium verò ſtudiorum tam inſignis amator ac æſtimator Rex Romulus, ut Civem ingenuum à quæſtuoſis opificum artibus planè abſtinere, honeſtiſſimo decreto ſanciverit. Denique quod ad humanæ vitæ ſocietatem, quod ad ſingularis modeſtiæ virtutem maximè faceret, impias Scortationes & Adulteria tam acerbo odio eſt proſequutus, ut viro & cognatis impunè fuerit, quocunque mortis ſupplicio, adulterii convictam afficere. Meminiſtis *Humaniſſimi DD. Auditores*, quod præteritis ſemeſtribus de elegantiſſimâ hac materiâ verba apud vos fecerim. Nunc hoc unum ſupereſt, pene dixero, Chriſtianæ Virtutis ac Sanctiſſimi Apoſtoli præceptum, quanquam à Rege Barbaro proditum: Ne quis præſente muliere corpus denudet; neve ſormones obſcænos habeat. Quis noſtrum credat, penè in fera & effreni hac gente, modeſtiæ ac pudicitiæ, quæ hominem maximè exornare ſolent, ſic propè divinum honorem habitum fuiſſe? De hac pulcherrimâ Romuli Lege H.H. AA. quam in primâ imperii infantia minimè negligendam cenſeo, paullò diffuſius apud vos loquar. Quamvis non dubitem, quod multi hoc tempore NASSOVIORUM trophæa; triumphales AURIACI currus in Circo maximo ſpectare malint. Cuncta tripudiis, panegyricis, gratulationibus fervere; Hiſpanos, Italos, immanem illam & barbaram gentem in catenis aut carceribus videre; mimos & momos de Flandris ac Morinis, ultimo quaſi actu, ut de mortuis ſolet, conclamantes audire. Hæc autem priſcæ ætatis ac fori exempla cum ſiant, non illâ, quâ decet, favoniâ proſequantur. Non dee-

Digitized by Google

runt fortaſſe multi, quorum tubæ ac linguæ diſertæ haſce Epulas ac Fercula novæ Victoriæ ad copiam Vobis ſubminiſtrabunt. Ego Vos oro obteſtorque, *Nobiliſſ. Ampliſſimi Doctiſſimi Viri*, nunc de trophæo Virtutis Romanæ, argumento ſupra omnia Barbarorum ſpolia pretioſiſſimo benignè perorantem me audite.

ROMANI genus hominum agreſte, inconditum, ferox, moribus erant incompoſitis, veſtitu corporis neglecto, ſermone impudente. neque dicere, neque facere quicquam habentes penſi. Quod cum conjuges Sabinas ad rectam honeſtatis diſciplinam domi educatas, ægre admodum ferre, & incivilium hominum contubernia averſari Romulus videret, capitis propoſitâ pœnâ edixit: *Ne quis ad conſpectum mulieris corpus nudaret, aut caſtis auribus obſcœna verba offerret.*

O dignam, vereque divinam Romuli legem! regulam honeſtatis, magiſtram verecundiæ; vindicem pudoris & modeſtiæ: quam author omnis diſciplinæ Spiritus Sanctus Chriſtianorum auribus inculcavit. Audi hortantem Apoſtolum: *ne nominetur inter vos, ſicut decet, ſanctos, aut obſcœnitas, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ non conveniunt.* Et alibi: *Nunc autem deponite vos omnia, iram, indignationem, malitiam, turpem ſermonem de ore veſtro. Imò verò, Abjiciamus opera tenebrarum, & induamus arma lucis. tanquam in die compoſitè ambulemus; non commeſſationibus, non cubilibus, aut laſciviis, non contentione & æmulatione.* Quæritis conſtitutam impudicitiæ pœnam? *Etiam de omni verbo otioſo, in die judicii, rationem reddetis.*

Iſtius apud Romanos Diſciplinæ Auguſti etiam Principis ævo deprehenſa fuere veſtigia: qui viros nudos Liviæ uxori caſu factos obviam capitis arceſſebat. Et expendiſſent illi mortis ſupplicium, niſi eos Auguſta præſenti periculo exemiſſet: cum, *nudum virum à caſta videri muliere tanquam ſtatuam marmo-*

marmoream, diceret. In priſcâ verò Republicâ tam flagitioſa corporis fuit denudatio, ut communia virorum fæminarumque lavacra prohibita fuerint. Nefas eſſet, ſi Pater cum Filio pubere, aut Socer cum genero iiſdem balneis uteretur. Non minus Græcis Imperatoribus *Gratiano*, *Valentiniano*, *Theodoſio* Pudicitia in pretio fuit: qui ſeveris prohibuerunt legibus, ne aliquis nudatus publicos oculos inceſtet, & in caſtorum conſpectu abjectis veſtibus in procurrentes fluvios ſe immittat. *Adrianus* etiam Imp. viros à fœminis diſcretos lavari voluit. Quam *Alexander Severus* legem confirmavit. *Iuſtinianus* autem Imp. ſtatuit, ut vir ad extraneæ mulieris accedens balneum, donatione propter nuptias, fæmina verò dote privaretur. Sed etiam *Iura Canonica* nudatorum corporum non paſſa turpitudinem, communia cum mulieribus lavacra interdixerunt.

Romanam æmulati ſunt Diſciplinam *Perſæ*, qui depoſitum cum veſtitu pudorem, tanquam ſi immane commiſſum eſſet ſcelus, capitali ſupplicio mulctabant. Tenent illum morem hodiè *Turcæ*, neque promiſcui tantùm ſexus lavacra averſantur; ſed, ſi quis in eo loco, ubi fæmina lavat, conſpectus fuerit, mortis illi pœnam infligunt. Vxores autem in publico conſpici, facie apertâ, cum viro alieno loqui, nefas exiſtimant. Non poſſum hoc loco *Gedani* ad Viſtulam amnem Magiſtratus præterire ſeveritatem maſculos pudicitiæ vindices. Diverterant in tabernam cupediariam ſeptem mercatores, quo; ut omnibus explerent ſe affatim voluptatibus, ſepteni convocârunt profanati pudoris meretriculas. Et jam incaluerat vino Venus, cum ſcortis detrahere corporibus tegumentum, rejectoque pudoris velo, choræam ſecum ducere juberent. Abjicitur ſine morâ veſtis, & cum illâ pudor & verecundia. Luditur, inſanitur; exultat per omnes numeros voluptas. Sed, ecce in mediâ ſua-

vitatum fruitione, cum ferveret laſcivientis opus proterviæ inſinuat ſe importunus in Lupercorum gregem Dolor, ſuoque interventu tanta gaudia diſturbat. Effringit Lictor fores, videt attonitus inſolentem palæſtræ habitum, Gymnicoſque Bacchantium luſus. Qui tùm inexſpectato attoniti hoſpite ſtatim ad latebras refugiebant. Omnis ſtatim muteſcebat hilaritas, pro cantu planctus, pro lecto luctus, pro ceſto venerâ canabina erat reſtis compedeſque. Hinc juſſu magiſtratus, infami in loco, vulgi expoſiti oculis virgis cæduntur, boniſque omnibus ſpoliati perpetuo exilio mulctantur. Et ne tanti ſceleris in urbe exſtaret monumentum domus ipſa ſolo adæquata eſt, cautumque lege, ne quis eam unquam repararet.

Laudabilis igitur eſt illuſtrium Virorum Pudor & Verecundia, qui dum in vitâ eſſent, omnem verborum corporiſque turpitudinem caverunt; neque poſt mortem quidem detrahi ſibi tegumenta paſſi ſunt. In iſtâ Modeſtiæ laude *Catonis* verſatur nomen, qui Filio præſente, non minorem pudoris rationem habuit, quàm ſi Veſtales Virgines adfuiſſent. Hanc ut morum ſanctimoniam ſequerentur alii, *Manilium* ſenatu movit, quod interdiu, ad filiæ conſpectum, uxorem ſuaviâſſet. Et tam clara quidem in illius oculis, pudicitiæ gravitatiſque relucebant ſigna, ut ipſa illum impudicitia & Venus vereretur. Nam cum in theatro *Floræ Deæ* ludos ſpectaret, Meretrices Romanæ corpora pro ſolenni ſpectaculorum ritu denudare non ſunt auſæ, donec à *Favonia* monitus diſcederet, & amoto gravitatis ſupercilio, ſuis laſciviam moribus permitteret. Reſpexit eò inverecundi oris Poëta:

Noſſe jocoſæ dulce cum ſacrum Floræ:
a) *Feſtoſque luſus & licentiam vulgi.*
Cur in theatrum Cato ſevere veniſti?
An ideo tantùm veneras ut exires?

a) *Martial.*

Non

Non minus acrem verecundiæ cuſtodem *Sulpicius Gallus* egit: qui uxorem dimiſit, quod eam capite aperto foris verſatam cognoverat. Lex enim dicebat, tibi meos tantum oculos præfinivit, quibus & formam tuam approbes, ac placere debes. Comico Epicharmo, quod uxore ejus præſente, parum verecundè loquutus eſſet, mulctam irrogavit. Clarum pudicitiæ documentum *primi in Paradyſo Parentes* dedere; Qui cum indecoram corporum ſuorum nuditatem, poſt admiſſum primi ſceleris facinus, cognoſcerent, fronde ficulnea ſeſe obvelarunt. Dedit *Rebecca*, cum, in conſpectum adducta ſponſi Iſaci, de camelo in terram deſcenderet, pallio vultum obvolvens. Non indignabitur præcipuè ſanctitatis fæmina, ſi *Penelopen* illi adjunxero: cujus gloriæ, *pudoris ſignum* Spartani in eo loco dedicarunt, ubi rogatam à Patre, An cum marito ad Græcorum caſtra pr. ficiſci; an verò ſecum domi manere vellet; obtecta facie, pudoris ingenui ſpecimen præbuit. Sed neque *Eleonoriam* Luſitani ſanguinis fœminam prætetire debeo, cujus in ſummâ calamitate ingenua eluxit verecundia. Illa cum marito liberiſque in patriam velis contendens, facto naufragio, in Cocinum Æthiopiæ littus ejicitur. Accurrunt continuo Barbari, factoque in miſerrimos homines impetu, non armis tantum, ſed veſtitu omnes ſpoliant. Hic Eleonora generis ſui & pudoris memor, ultro pugnis colaphiſque immaniſſimos prædones ad necem ſuam irritat, quod cum irrito faceret conatu, nuditatis ſuæ magis, quàm vitæ habitâ ratione, è veſtigio, factâ digitis ſuis ſcrobe, partem corporis arena obruit, reliquas, quæ extabant, ſoluto raptimque fuſo crine obtexit. Quis non illo in loco Verecundiæ ſtatuendam aram diceret? ubi honeſtiſſima fœmina cum Liberis, triduana fame & dolore confecta animam edidit, marito ferarum dentibus lacerato, cum in ſylvis proximis alimenta quæreret.

Sed illi, quos modò dixi, peregrinos veriti oculos, pudorem in vitâ ſervarunt. *Cyrus* verò etiam poſt mortem corpus ſuum nudari, & à filiis conſpici noluit. Noluit idem *Socrates*: Ideoque ne more antiquo, corpus poſt mortem lavaretur, illud in vitâ præcavit. *Iulius* verò Cæſar oppreſſus in ſenatu à conjuratis, cum cadendum ſibi videret, ne quà pars corporis inhoneſtè aperiretur, collecta manibus togâ, in terram ſe ſubmiſit. Eadem in *Alphonſo*, & *Maximiliano* fuit modeſtia. qui moriturus ſtatim ſibi indui ſubligaculum mandavit, ne eum quiſquam nudum videret. Etiam in Fæminis iſta fuit, quis crederet? cadendi honeſtè cogitatio. Quarum. *Polyxena* Priami filia, cum ad aram mactaretur. De quâ Euripides in Hecubâ:

Πολλὴν πρόνοιαν εἶχεν εὐσχήμως πεσεῖν,
Κρύπτειν δ' ἃ κρύπτειν ὄμματ' ἀρσένων χρεών.

Eam imitata *Olympias* Alexandri mater, cum percuſſores ad ſe venientes conſpexit, ferrumque in ſe nudari duabus innixa ancillis, non ejulatu & vociferatione; ſed virorum fortium more; compoſita circa corpus veſte, ut honeſtius caderet, pluribus vulneribus confoſſa animam edidit. Non minor in *Mileſiis Virginibus* pudoris in mortuis corporibus cuſtodiendi fuit diligentia. Illæ aliquando, neſcio, quo animi correptæ furore, ſe ipſas ſuſpendebant; neque ullum tanto malo remedium reperiri poterat. Sanciebatur magiſtratuum edicto, ne id fieret, non curabant. Statuebantur graves delinquentibus pœnæ; non attendebant. Apponebantur perituris cuſtodiæ; inter vigilum manus exitum ſpiritus inveniebat. Edictum eſt tandem, ut quæ ſe peremiſſet, nuda per medium forum media luce traheretur. Attendite pudorem incredibilem puellarum quæ mortem malorum omnium extremum contemnebant, verecundiam in mortuo corpore curabant. Eandem pœnam *Tarquinius Priſcus*

in

in Romanâ plebe ſalubriter uſurpavit. Nam cum illa ob nimios labores necem ſibi inferret, denudatione corporum defunctorum illam à tanta crudelitate vindicavit. O illuſtres animæ, & ingenui pudoris ſpecioſæ ornamento! Quis virtutem veſtram ſatis digno verborum honore proſequi poſſet? Quis prædicare illibatum pudicitiæ florem? Quis efferre incontaminatum verecundiæ decus? At verò Vos impudici oris moriſque contaminatiſſimæ pecudes, volutatæ in omni verborum corporumque dedecore, oculis inverecundis, fronte perfricta, ore impudico; In quibus, Vos infames beſtiæ ſordibus hæretis? quanta nominibus veſtris tabes adhæreſcit! In hoc contaminato ſpurcorum grege præcipuum dedecoris locum *Cynici* tenent; qui verborum permiſſa licentia, nihil eſſe dictu turpe putabant, quod factu non eſſet indecorum. Idcircò neceſſaria omnia, quæ adſpectum etiam formidare videntur, palam agebant. Iſtius princeps familiæ *Diogenes* ille Canis; non in verbis hominum aures; neque in factis lucem conſpectumque univerſæ civitatis verebatur, in ipſo foro pudendas naturæ actiones exequutus. Cynicæ obſcœnitatis ſectam *Babylonica* proſequutæ ſunt mulieres: quæ in conviviis vino calefactæ primò ſumma quæque amicula exuebant, deinde profanato paulatim pudore, ima corporum velamenta projiciebant. Neque hoc meretricum erat dedecus, ſed nobilium matronarum vulgati corporis vilitatem pro comitate habentium. Ex eadem impudicitiæ Schola *Dionyſius* prodiit, ille Siciliæ tyrannus, qui abjecta omni modeſtia, mulieres nudas hoſpitibus ſuis contemplandas introducere & offerre ſolebat. Cujus uſus diſciplina Filius, *Dionyſius Iunior*, in Locrorum urbe, accerſitis in hoſpitium ſuum Locrenſium Virginibus, nudus cum nudis, nulla habita pudoris ratione, ſuper ſtratis volvebatur.

Digitized by Google

Et quanquam Romulus lata lege pudorem & verecundiam civibus ſuis injunxerit, multique in illa gente præclara Modeſtiæ laude effulgeant, etiam Cenſorea magiſtra pudoris ſeveritate, diffluentes in malos mores proterviam cohibente; poſteri tamen diſſoluto ſui Regis interdicto protritoque pudore, nihil ingenuum, nihil moderatum, nihil pudens, nihil pudicum habuere. Cupitis vobis ſpecimen Romanæ Immodeſtiæ exhiberi? Ingredimini magnæ urbis, ſi otium eſt, Theatra Spectate ſolennes Ludorum ſacrorumque apparatus. Quæ non illic oculis auribuſque obſcœnitas oggeritur? quæ à verbis fœditas; à nudatis corporibus turpitudo abeſt? In quo Lupanari magis flagitioſa exerceri petulantia poteſt, quàm in illis publicorum ſpectaculorum locis: quæ nihil aliud eſſe dixeris, quàm Palæſtras & Gymnaſia, in quibus ad omnem verborum obſcœnitatem rerumque turpitudinem populus inſtitueretur. Adite, niſi vos inhibeat Verecundia FLORÆ Ludos, & audite; ſed aure Ulyſſæa ad malum alligati Bonæ mentis, protervarum meretricum garritiones. Videte, ſed oculo *Africani*, & *Liviæ Auguſtæ*; aut *Ioſephi* potius & *Danielis*, nuda veſtibus abjectis ſcorta: dum mimorum fungentes officio, uſque ad ſatietatem impudicorum luminum, pudendis populum motibus detinent Hîc aliquandiu morati, frequentate *Megaleſiorum* ſcenas. audite, quàm ſpuria, quàm fœda verborum dicteria in Matrem Deûm & Atym Hiſtriones profundant. Ecce, ut Romani viri fœminæque, diſſimulato cultu, per urbem vagentur, nullis verbis factiſque obſcœnis parcentes. Hinc ad contemplandos *Lupercorum* & *Bacchantium* impuros greges vos conferte: ut nudo corpore per urbem graſſentur; ut turbam obviam loris cædant; quàm impudicos geſtus adhibeant; in quanta ad conſpectum omnium turpitudine bacchentur. Quid verò ſibi volunt illæ in templis tri-

Digitized by

triviiſque turpiſſimi habitus picturæ & imagines, juventuti ad impudicitiam magiſtræ? Quid pudoris verecundiæque habent monſtroſæ Venerum & Priaporum ſtatuæ; Virginum & adoleſcentium oculis verendas humani corporis partes fœdo ſpectaculo exhibentes?

Quàm verò acris verecundiæ cuſtos *Sylla Dictator* fuit? qui mimis & morionibus adeò erat deditus, ut multa terræ jugera ex publico illis aſſignaret. cibo potuque indignos judicavit; *Fridericus* verò III. aula ſua ejecit. Quàm mirificus fuit in *Tiberio* & *Heliogabalo* pudor: quibus convivantibus nudæ puellæ miniſtrabant. Quàm modeſtus originali verecundia *Caligula*: qui triumphali ſedens in curru à nudis ſe trahi mulieribus paſſus eſt? Quis verò *Auguſtum* obſcœno nudatorum corporum ſpectaculo delectatum putaret? At ille fœdiſſimum aliquando convivium celebraſſe dicitur, in quo ipſe Apollinis; convivæ verò XII. Deorum Dearumque perſonas, depoſito corporum velamento, egerunt. Exprobrant iſtam Principi fœditatem non Antonii tantùm Epiſtolæ; ſed verſus etiam in opprobrium ipſius ſcripti:

Cum primùm iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexque Deos vidit Mallia, ſexque Deas.
Impia dum Phœbi Cæſar mendacia ludit,
Dum nova Divorum cœnat adulteria
Omnia ſe à terris tunc Numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipſe thronos.

Igitur non immeritò *Apoſtolus Romanos* de libidine & inceſta Venere arguit, quæ turpium rerum obſtaculo & verborum obſcœnitate interiores ſenſus afficit, & per aures oculoſque immerſa & inſinuata animo, ad turpes hominum cupiditates, & nefarias ſtuprorum turpitudines inflammat. Documento eſt magna utriuſque ſexus multitudo, quæ viſu audituque turpitudinum fœdam libidinem

nem intus hauſit, & impulſam obſcœna imagine pudicitiam proſtravit. Notat hoc *Diogenes* qui cum Olympionicem quendam fixis oculis ſcortum aperta proſtrans facie contueri animadverteret, *Ecce*, inquit *ut aries Martius à puella publica obtorto collo vinctus abducitur*. Notat in *Cheraa* Comicus, quæ tabulæ adſpectu, quæ Iovem, aureum in Danaës gremium effundentem imbrem exprimebat, ad vim inferendam *Pſaltria* compulſum fuiſſe, dicit. Illum pictura ad illicitos amores proritavit: Quis miréretur *Gygen* ad conſtuprandam *Candaulis* Lydorum Regis uxorem animum adjeciſſe, cum eam nudam vidiſſet? Eundem inceſtæ libidinis pruritum *Caracalla* ſenſit, cum ad retectum *Iuliæ* novercæ femur, in impias voces prorumperet: *O quàm vellem, ſi liceret!* Sed illos juventus, & libidinoſæ mulieris voluntas, & in ſummo imperio infinita ſcelerum licentia ad facinus impulit. Quis verò non viros ſenes & populi Iudaici principes, & juris juſtitiæque præſides arguat? Hi *Suſannam* contuiti nudam, tanto amoris æſtu exarſerunt, ut ad expugnandam caſtiſſimæ fœminæ pudicitiam vim blanditiaſque intenderint. Doleo *Sapientiſſimum Regem* non majore animi ſuffultum fuiſſe robore, quàm ut ad conſpectum lavantis ſeſe *Barſabea* flammis illicitis exarſerit, alienamque conjugem ſtupro nefario polluerit. Sed ut ad pictas *Zeuxis* uvas avium gula irritabatur; ut ad *Pharrhaſii* adumbratam perdicem vivæ perdices advolabant; ut ad *Apellis* expreſſum in tabula equum equus concepto deſiderio adhinniebat; ut *Iuvenis ille Athenienſis* marmoreæ ſtatuæ amore contabeſcebat: ita obſcœna nudi corporis imago fodere hominum animos ſolet vehementibus libidinum ſtimulis, quibus multorum ſæpè pudicitia eſt ſubverſa. Quare non immeritò Platonem *Euſebius* arguit, quod Lycurgi ſequutus inſtitutum fœminas nudas luctari cum adoleſcentibus in palæſtra per-

Digitized by Google

permiſerit: quorum impudica nuditate ad furorem libidinis adigerentur. Accuſat eo nomine *Euripides* Lacedæmonios, miraturque, ſi ulla apud illos pudica ſit mulier, in tantis libidinum incitamentis. Namque ut dicit:

——οὐδ' αὖ βουλοίατο τις
Σώφρων γένοιτο Σπαρτιατίδων κόρη.
Quæ cum juvenibus relinquentes domos,
Nudis fœmoribus & tunicis diſſolutis,
Curſus palaſtraſque non tolerabiles mihi
Communes habent. Et tamen admirabile videtur
Si non caſtas mulieres educatis?

Concludo cum ſalubri Davidis voto: AVERTE OCULOS MEOS, DOMINE, NE VIDEANT VANITATEM. a) Et quod ſupereſt, *O Æterne, Miſericors & Omnipotens DEUS, Pater Domini Noſtri I. CHRISTI, agimus ex intimo pectore tibi gratias immortales, quod nos in fœdiſſima peccata turpiter prolapſos iterum, pro beneplacito tuo, in ſpem melioris vitæ regeneraveris. quod omnes ſordes noſtras atque maculas pretioſo Filii tui ſanguine ablueris. nos rurſum, quibus jam intercluſa erat ſpes & via cœleſtis Hieroſolymæ, in gregem liberorum tuorum ultrò adoptaveris: nullo noſtro merito; ſed ſola ac paterna tua gratia, id unum cum gloria ſanctiſſimi tui nominis elaborante. Fac, ô bone DEUS, ut hæc ſanctè intelligamus; verbi tui myſteria nunquam immemores de manu & cogitationibus noſtris deponamus. Hoc unum cum zelo ac ſincero animi deſiderio intendamus, ut nomen tuum, quemadmodum in cœlo, ſic etiam in hiſce terris ac juventutis noſtræ cordibus ſanctificetur. Tu, O DOMINE IESU CHRISTE, illabere animis noſtris, & repurga omnes vitæ noſtræ actiones ab innata improbitate flagitiiſque. Fac, ut tuas Virtutes, quibus miſeris mortalibus præluxiſti, aſſiduò imitemur. Da etiam DOMINE IESU,* hoc

a) Precatio.

hoc germinantis Reip. ſeminarium, hac florentiſſima ALCMARIÆ pubes tuo præſidio ſarta tecta rectum Virtutis ſapientiaque curriculum feliciter abſolvat. ut rectis artibus imbuta, ad Reip. commoda, cum parentum gaudio, adoleſcat. Da, ut Civitas noſtra fortunis ampla, honeſta, Pietate celebris, doctrina ſapientiaque immortalis ſemper ſubſiſtat. Inprimis, ô benigniſſime DEUS, clementiſſime Pater, ex imis pectoribus æternas Tibi gratias habemus, quod contra Barbarorum inſultus, contra Hiſpanorum tyrannidem, haſce Fœderatas Belgarum Provincias hoc anno tam paternè defenderis: quod iterum, devictis hoſtibus, nobis gaudia & triumphos tam benevolus largiare. quod Belgium noſtrum ita Angelorum tuorum ductu circumvalles; quod pro bona cauſa, pro Religione, pro libertate, pro aris & focis cujuſque noſtrûm tam fideliter fortiterque pugnaveris. Fac, omnipotens DEUS, tuam bonitatem ſeris nepotibus deprædicemus, ut nulla ætas beneficia tua ignoret. Quibus toties Illuſtribus AURIACI & NASSOVII ſanguinis Principibus Belgarum populum honoraſti, exhilarâſti. Fac ita Victoriis & triumphis utamur, fruamur; ut nihil à gloriâ tui nominis alienum committamus. Ut ad Virtutem, ad Pietatem tanto alacrius ingenium animique nervos intendamus. ut nos, qui immane quantum! indigni ſumus omnibus miſericordiis tuis. O Deus! magis accipiundis beneficiis, quàm Tu nobis iſtis elargiundis, perpetuo grati ſimus.

DIXI.

Recitata Alcmariæ, CIↃ IↃ CXLXIV XII *Sept.*

ORA-

ORATIO LXXXII.

Pater in Filium Jus vitæ & Necis regium habuit.

Nobiliſſimi Ampliſſimi Spectatiſſimi D D. Auditores.

PRinceps, inquit Seneca, *in ſubditos poteſtatem habet, magiſtratus in privatos, pater in liberos, magiſter in diſcipulos, Imperator in milites, dominus in ſervos.* Ex his omnibus imperandi jus & poteſtatem ſoli in filium Patri Natura conceſſit: qui cœleſtis imago & ſimulachrum principis regio in genitos ex ſe liberos imperio dominatur. Atque hoc meritò quidem, ſi naſcendi principium vitæque originem, ſi paterni amoris propenſionem, ſi beneficia liberis præſtita conſideremus: quæ revera tanta ſunt, *ut æquivalens illis gratia reddi nunquam poſſit*, teſte Ariſtotele. Delectat hominem in mundo natum eſſe, vitalem animi ſpiritum ducere, amabile illud cœli lumen cum voluptate intueri, Deum creatorem ſpecie & imagine repræſentare? Parentibus hoc debemus. Iucundum eſt humanam vitam ſine ulla difficultate modeſtiaque commodè trahere; cibo liberaliter ſuſtentatum, veſtitu rectè munitum, omnibus vivendi præſidiis affatim inſtructum fuiſſe? parentibus hoc debemus. Si felices judicamur, quod ingenuis moribus informati, bonis artibus & diſciplinis eruditi, divinæ religionis pietate imbuti ſumus? Parentum hoc curæ conſilioque debemus. Quas illi ſæpè moleſtias & ſollicitudines in rem liberorum ſuorum ſuſcipiunt! Quas itinerum difficultates, quæ pericula & vigilias, quos labores & curas tolerant, ut liberis ducendæ feliciter vitæ conferant adjumenta! Quàm ſollicita eſt primæ puritiæ educatio! quàm moleſta adoleſcentiæ gubernatio! quàm dif-

difficilis & operoſa robuſtæ juventutis moderatio! Quàm ſæpè ſuo parentes genio defraudant, ut amplum liberis patrimonium relinquant! Quàm magnam ſollicitudinem adhibent, quàm diligentem operam impendunt! quanto ſtudio induſtriaque advigilant, ſuam ut progeniem multis animi corporiſque dotibus locupletent.

a) Hæc cum parentum in filios merita ſecum reputaret *Romulus*, ut debitum illis honorem & reverentiam adſtrueret, regium vitæ neciſque in ſuam ſobolem imperium dedit: domo extrudere; rus ablegare; in carceres compingere; flagris cædere; urgente neceſſitate venundare; denique neci dare. Neque abibat quidem à patriâ poteſtate filius, ſi venditus ſemel in libertatem ſe aſſeruiſſet. Terna namque venditione licebat patri pecuniam parare, majorem in filium quàm in manicipium nactus poteſtatem; quod à primâ venditione, ſi libertate donaretur, ſui ſemper erat juris. Necare etjam filium privato judicio licuit, nullis legibus, nullo imperio patriam poteſtatem cohibente. Ideoque *lege Pompeja de parricidiis* ſolus excipitur pater: quem neque injuſtam quidem de filio cogitationem ingredi poſſe legiſlator perſpexit. Romuliam Legem X Viri confirmarunt, XII. Tab. legibus inſertam; Legum & Principum authoritatem ſtabilituros ſeſe rati, ſi patriam poteſtatem tuerentur, & à prima ætate ferre ſuperiorum imperia juvenes adſueſcerent.

Et tantùm quidem patrium illud jus valuit, ut eximio multis honori fuerit, filium publico privatove imperio obluctantem, aut ſuâ aut lictorum manu trucidare. Ducat hic agmen mihi ille conditor Romanæ libertatis *Brutus*: qui necatis filiis orbus vivere maluit, quàm in perniciem Reip. alere quibus ſui nominis & fortunarum hæreditatem traderet. *Titus* & *Sempronius Bruti*, cum cognatis Aqui-

a) *Poteſtas patria.*

Aquiliis, ſecretò conjurarant, de reſtituendis *Tarquiniis*, & plebis poteſtate, quæ regii generis adoleſcentibus nimia videbatur, ſubvertenda. Delato per Servum indicio, pater filios ad prætorium adductos loriſque vinctos ſuo quemque nomine compellavit: *Age Tite*, inquit, *age Valeri*, *quid reſpondetis ad crimina vobis objecta?* Vbi ter interrogati nihil reſponderunt, tum ad lictorem converſo vultu, *jam reliqua*; inquit, *veſtra partes ſunt*. Cum hoc dicto injiciunt adoleſcentibus manus, togas ſpoliant, manibus poſt tergum illigatis corpora virgis cædunt. Avertebant alii à triſti ſpectaculo oculos; pater faciem nuſquam detorſit, perſiſtenſque in eadem vultus auſteritate torvè filios intuitus eſt, dum humi extenſi ſecuri percuterentur. Brutus in improbum ſanguinem ſtrinxit ſecurem; ſed *T Manlius Torquatus* Virtutem filii alieno exercitam tempore punivit. a) Nam cum *Manlius F.* Latino bello ab hoſte provocatus in aciem abſente patre deſcendiſſet, ille in caſtra reverſus occurrentem cum ſpoliis & oſtentatam victoriam in modum hoſtiæ mactavit. Ejuſdem nominis familiæque alter *Manlius*, b) intellecto de filio ipſius *Decio Syllano Macedonas* graves ad ſenatum querelis detuliſſe, ipſe cauſæ iſtius cognitionem & judicium in ſe ſumpſit. Aſſentitur ſenatus, probant Macedonum legati: pater domi conſidens ſuſceptâ cognitione parti utrique per biduum vocat. Tertio die pleniſſimè diligentiſſimeque auditis teſtibus ita pronunciavit: *Syllanum filium pecunias à ſociis accepiſſe, cum mihi probatum ſit, & Rep. & domo mea indignum judico, protinuſque à conſpectu meo abire jubeo.* Non exſpectavit manum patris filius, ſed ſeipſum proximâ nocte ſuſpendio interemit; cujus ne quidem exequiis pater interfuit. Iterum præpoſteræ virtutis pœna in *A. Poſthumio Tuberone* Eq. Magiſtro ſeſe offert: qui Volſco bello fi-

a) *Liv. lib. 6. D. 1.* b) *Val. Max.*

lo filium contra ipſius juſſa feliciter pugnantem ſecuri percuſſit. *M. verò Fabius Cæſar, Fabium Buteonem filium* furti inſimulatum capitis reum egit & ultimo ſupplicio affecit. Memorabilis verò inprimis *Sp. Caßii* eſt ſeveritas: qui filium Agrariam defendentem legem præcipitem de comitio diſturbavit, P. R. inſpectante: deinde familiari damnatum judicio neci dedit, attonitis nequicquam civibus, cum & magiſtratus & viatores patriæ obſiſtere poteſtati nefas ducerent. Neque minus *A. Fulvii* Senatoris: qui filium pravo conſilio amicitiam Catilinæ ſecutum & in caſtra illius temerario impetu ruentem, in medio abſtractum itinere mortis ſupplicio affecit: præfatus, *Non Catilinæ ſe illum adverſus patriam; ſed patriæ adverſus Catilinam genuiſſe.* Ille factum filii improbum punivit, *Fabius* verò *Servilianus* filiam, quod de impudicitia ſuſpecta eſſet, morti dedit. Fabio ſeverior *Virginius* filiam in foro cultro macellario confodit, ne urgente Decemviro turpitudinem libidinis ſubiret. Neque Auguſtus quidem hoc patris imperium ſuſtulit: quem *Tarius Senator* de filio parricidii quæſtionum habiturus, ad ſe vocavit; qui cum veniſſet, non judicem ſe tulit, aut judicis locum occupavit, ſed privati; ut qui ad conſilium alterius veniſſet. Durum hoc & inhumanum nimis patris in prolem ſuam imperium videri nobis poſſet: ſed tanta fuit patriæ poteſtatis veneratio, ut ſponte ſe illi filius ſubmitteret, & violare ac infirmare auſus vim & manus intentaret.

Dedit pietatis hujus illuſtre documentum *Manlius Torquatus Lucii filius*, qui victorem filium adverſus imperium ſuum manum cum hoſte conſerentem ſecuri percuſſit. Ille rus à patre ablegatus duriterque nimis habitus, cum audiviſſet eo nomine diem ipſi à *Tribuno Pomponio* dictum eſſe; clam urbem ingreſſus ad Tribuni ſeſe ædes contulit. Admiſſus à Pomponio Manlius tanquam ſævum patris

tris imperium accuſaturus, ſtricto illum cultro invaſit, jacentique incubans, *Niſi*, inquit, *à patris accuſatione deſiſtas, hoc te ferro mactabo.* Tribunus territus tam audaci juvenis facinore, in verba Manlii jurat, & accuſationem remittit: populus re intellecta quæſtionem aboleri mandavit, publico confirmans teſtimonio, Patri in filium jus plenum eſſe. Manlii pietatem æmulati *Metelli*, cum ab omni hæreditate per patrem excuterentur, ratum eſſe voluerunt teſtamentum: ne patriam poteſtatem labefactare, & ſanctiſſimo imperio obniti viderentur.

Neque in genitos tantùm ex ſe filios; ſed in alienos etiam, qui adoptione in ſuam tranſiiſſent familiam, ſummum pater jus atque imperium vitæ neciſque habebat. Audi rogationis ad populum facta verba: a) *Velitis, jubeatis, uti L. Valerius L. Titio tam jure legeque filius ſiet, quàm ſi ex eo patre matreque familias natus eſſet: utique vita neciſq; in eum poteſtas ipſi ſiet, uti pariendo filio eſt:* b) *hoc ita, ut dixi, ita Vos Quir. rogo.* Immunes tamen ab hoc erant jure filii, ſi aut voluntate patris uxorem duxiſſent; aut emancipati ſuo juri & poteſtati permiſſi fuiſſent. In rebus etiam ad Remp. pertinentibus nullo patris imperio filius obligabatur. Quo magis miror *Dyonyſium* ſcribere, filium apud Romanos in patria fuiſſe poteſtate *& toto vitæ ſuæ tempore, & in ampliſſima dignitate conſtitutum publicam rem tractantem.* Ut namque manumittere erat ſervum libertate donare; ita emancipabatur filius, cum patriæ exemptus poteſtati ſuo juri & arbitrio relinquebatur. De Reip. negotio illuſtre eſt *Fabii Gurgitis* exemplum: qui cum in conſulatu ſuo patrem privatum ad ſe venientem ex equo deſcendere juſſiſſet; c) Pater probato filii facto, *Perge*, inquit, *fili, iſta virtute conſularem dignitatem tueri.* Et graviter

a) *Immunes à patria poteſtate.* b) *A. Gell.*
c) *Valer. Max.*

viter Agis Spartanorum Rex ultimus, parentibus iniqua poſtulantibus reſpondit: a) *Donec eſſem apud Vos, nullam omnino tenebam juſtitiæ ſcientiam: verum ubi me patriæ tradidiſtis patriæque legibus, conabor huic magis obedire, quàm vobis.*

b) Valuit Patria poteſtas apud alias etiam gentes, quæ non minus ac Romani ſummum patri in filium jus & imperium permisêre. Etſi hoc *Iuſtinianus Auguſtus* neget. Habet hanc etiamnum poteſtatem pater apud *Indos, Tartaros, Moſcovitas*, ut filium urgente neceſſitatis telo, quater in rem ſuam vendat. De *Celtis Cæſar* affirmat, quod poteſtatem vitæ ac necis in uxores & liberos, æquè ac in ſervos habeant. Perſæ etiam liberis pro ſervis uſi ſunt, & adimendæ vitæ, quam illis dederant, jus & poteſtatem habuêre. Barbarorum verò illos fuiſſe mores immanitatem quiſquam dicat: quid itaque de Lacedæmoniis videbitur, ubi & matri filium ſe malè gerentem occidere & licebat impunè & honori erat. Celebre eſt ex eo *Teleutiæ* nomen: quæ *Pædaritum* filium de malis incuſari moribus audiens, illi, ut aut ignominiam ablueret aut non incolumis in patriam veniret, ſcripſit; mortem filio minata. *Alia* nominis ignoti, ſparſis de improbitate filii rumoribus, ſcripſit ipſi: *Malus de te rumor fertur: hunc tollito, aut non eſto.* Sed illic minas ingeri nequitiæ audimus, in hoc quod ſequitur exemplo mortem ipſam. *Lacæna* quædam filium in acie locum deſerentem, non tantùm ut ignarum, & inobedientem abdicavit; ſed occidit penitus. Virorum etiam ea fuit ſeveritas, & quidem Dametriæ: qui filium ex prælio profugum ſuâ manu trucidavit, profeſſus, Nequaquam convenire, ut ex fortiſſimis natus parentibus vitam trahat ignavus. Ethnicarum Gentium moribus *lex ſuffragatur divina*; quæ & vendere filium, fame urgente; & rebellem, præſente magiſtratu, lapidibus

a) *Plut.* b) *Patrium jus apud alios.*

bus obruere permiſit. Neque recuſavit *Ioſephus*, præbito frumento, Ægyptios in ſervitutem abſtrahere, qui cum ad petenda vitæ tolerandæ ſubſidia, ſe ipſos vendiderint, non dubium eſt, quin liberos primò obtulerint emptori.

Paulò tamen mitiores fuere *Solonis*, *Pittaci & Charondæ* leges: quæ patribus exhæredare filios & domo pellere; ſed non trucidare conceſſerunt. Mitigavit etiam Romuliam legem Numa. Emancipatos patriæ eximens poteſtati. *Alexandri* verò *Severi* ætate, quâ Ulpianus & Paulus Icti floruêre, patrium jus in deſuetudinem venire cœpit. a) Denique *Conſtantinus* jugum hoc penitus filiorum cervicibus excuſſit: qui accepto Licentiæ fræno, etiam extorſerunt, ne pater maternam adeat hæreditatem. Sub reliquis Impp. ſublato necis & abdicationis jure, nihil præter caſtigandi poteſtatem, patri relictum eſt.

Ego ut patrem Tyrannum & Latronem filii ſui dici & eſſe nolim; ita Hebraicam legem probo: quæ neque patrem, prefecto punitioni Magiſtratu injuſti rigoris ſævitiæque infamia traduci patitur; neque filium præfractum & contumacem patriæ obluctari voluntati & diſciplinæ ſinit. Magni verò refert ad rectam juventutis educationem & Reip. felicitatem, ne patria in liberos poteſtas nimis arctè circumſcribatur: idque his potiſſimùm temporibus & moribus, quibus ita prolapſa eſt juventus, ut omnium opibus refrænanda atque coërcenda ſit.

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIƆ.IƆ.CXLI.
Examine Paſchali.

a) *Bodinus.*

ORATIO

ORATIO LXXXIII.

PETRUS MARS, Monechod. Batt.

Adulterii convictam vir, & cognati, uti volent, necanto.

GEradas Lacon rogatus ab hoſpite quodam; a) *quid pœnarum darent apud Spartanos adulteri? Nullus*, inquit, *amice, apud nos adulter eſt.* Cum ille ſubjeciſſet; *Quid igitur, ſi exiſtat? Dabit*, inquit, *bovem tantum, ut porrecto ultra Taygetum collo, bibat ex Erota.* Ridente ad hæc verba hoſpite: *quo pacto*, inquit Lacon, *Sparta exiſtat adulter in qua divitiæ, delicia, corporis cultus habentur probro; contra verecundia, modeſtia, Legum Regumque obſervatio laudi dantur*; Rectè Lacon. Neque enim tutior caſtitati cuſtodia poni poteſt, quàm pudor & modeſtia: quæ excubantes ad virginei honoris limen omnem luxuriæ & libidinis impetum excludunt;

Incluſam Danaën turris ahenea,
Robuſtaque fores, & vigilum canum
Triſtes excubiæ munierant ſatis
Nocturnis ab adulteris;
Si non Acriſium virginis abditæ
Cuſtodem pavidum Iupiter & Venus
Riſiſſent.

b)Tutum namque eſt & patens ad caſtitatis arcem via, ſi amoris verecundiæ Modeſtiæque repagulis, imminuta pudicitia prece pretioque tentetur. Illa igitur ut ſupplicii etiam appoſito. Terrore magis firmentur, Romulus ſalubri facto Capitis pœnam adulterio conſtituit. Et ne de manifeſto facinore dubia diu lite in judicio contenderetur, Viro propinquiſque eam dedit poteſtatem, ut deprehenſam in adulterio, quo vellent ipſi, ſupplicio necarent. Audi Romuleæ legis verba: c) *In adulterio*

a) *Plut.* b) *Adulterii pœna.* c) *Gellius.*

Digitized by Google

terio uxorem tuam ſi deprehendiſſes. ſine judicio, impunè necares: illa te, ſi adulterares, digito non auderet attingere, neque jus eſt. a)Redintegravit Romuli decretum *Iulia Auguſti lex:* qui quamvis ipſe de effuſa in venerem libidine infamis eſſet; adulterii tamen ultor ſeveriſſimus nuptiarum temeratores alienum incurrentes torum capitis pœnâ mulctavit. Notat hoc *Horatius:*

Nullis polluitur caſta domus ſtupris
Mos & Lex maculoſum edomuit nefas,

Et *Martialis:*

Quod nubis Proculina Concubino
Et mœchum modò nunc facis maritum,
Ne Lex Iulia te notare poſſit:
Non nubis Proculina, ſed fateris.

Scilicet non exemptam volebat Proculinam à conſtituto adulteris, Iulia lege, ſupplicio; etſi, ut caveret pœnam, mœchum poſtea matrimonii fœdere ſibi conjungeret. Tenebat Romuleæ legis vim S.Tarquinius, qui cum Lucretiæ pudicitiam nullis blanditiis expugnare poſſet; denique ſubegit obſtinatam mulierem ignominiæ metu; quod interficere ipſam, appoſito juxta ſervo, minaretur: quaſi eam in adulterio propinqui homo ſanguinis deprehendiſſet. Fortè ex eo ille *Mansfeldicarum copiarum Tribunus*, in Embdano nuper tractu licuiſſe ſibi ſenſit, in uxorem de adulterio ſuſpectam privatim ſententiam ferre, ipſamque domeſticos intra parietes Carnificis manu trucidare. Talem animadverſionis ſeveritatem ſuperiore anno *Paratuanus Malaccæ & Iohori Rex* in uxore *Patani Regis filia*, adhibuit. Illa cum Paratuani fratre ſtupri habebat conſuetudinem: quo comperto Rex adulteros apprehendi, lataque ex Indorum conſuetudine, ſententia, utrumque necari juſſit. ſed infeliciter hoc ipſi ceſſit; cum paulò poſt à Patano ſocero comprehenſus irrogatum filiæ ſupplicium capitis

a) *Sex. Aurelius.*

pœnâ ipſe lueret. Queſtus eſt de illata fratri injuria *Ianus Paratuanus* Malaccæ Rex, apud *Mauritium Principem & Belgicarum Ordinum Delegates*, utque ſibi adverſus Patanum auxilia ſubmittantur rogavit.

Quod genti ſuæ Romulus, Barbaris verò natura honeſtaſque; hoc Hebræis legiſlator Deus præſcripſit: qui adulteros ad portam educi civitatis, & obrui lapidibus juſſit. Quod cum attenderent undecim Iſraëlitarum familiæ, *Benjamitas* armis caſtriſque perſequuti ſunt; quod illatum à Gibeonitis advenæ mulieri ſtuprum non vindicarent. *Iudas* verò Jacobi filius *Thamarem* ſocrum gravidam audiens igni cremaſſet; niſi ex ipſo ſe concepiſſe manifeſtis indiciis oſtendiſſet. Ab Hebræis *Ægyptii* atque *Arabes* puniendi adulterii legem ſumpſerunt: quorum illi adulteram naſo mutilabant, ut formam libidinis incitamentum fœdo vulnere deformarent; iſti verò violatam matrimonii fidem capitis ſupplicio mulctarunt. Illos imitati *Parthi*, nullum crimen adultero gravius vindicarunt. a) Ante alias gentes *Germani* pudicitiæ ſtudioſiſſimi fuerunt, ut ni fœminis nulla ſpectandi fuerit illecebra, nulla conviviorum ratio, rara in tam numeroſa gente adulteria: cujus convicta mulier reſectis capillis nudatoque corpore, coram propinquis, domo exigebatur, toto vico fuſtibus lapidibuſque acta. Inter illos *Saxonum* gens adeò illatum alieno toro dedecus execrata eſt; ut adulteram ſua manu fauces ſibi elidere coegerit, & ſuper concrematæ buſtum pudicitiæ corruptorem ſuſpenderit. Non mitiorem in adulteros legem *Tenediorum* Rex tulit, qua utriuſque corpus ſecuri præcepit concidi: cujus ſeveritatis exemplum in filio edidit. In Athenienſium etiam Rep. *Solon* & *Plato* violati conjugii culpam pœnam ſubire mortis voluerunt. Paulò *Zaleucas* Locrenſium Princeps fuit, qui adultero utrum-

a) *Tacitus*.

Digitized by Google

utrumque erui oculum ſancivit, Cujus cum filius adulterii crimine damnatus eſſet, remittente pœnam populo, ſibi alterum, filioque alterum eripuit; admirabili æquitatis temperamento, inter miſericordem patrem, & juſtum legiſlatorem ſe partitus. a) At quanta *Aureliani Imp.* in mœchos fuit ſeveritas; ut arborum duarum inflexis capitibus ac ad pedes religatis, moxque dimiſſis, intervulſi utrimque propenderent! Quanta *Opilii Macrini*, qui in adulteros ignis ſupplicio animadvertit! Quanta hodie b) *Turcarum, Tartarorum, Braſilienſium, Indorum:* quorum alii ingeſtis flagellorum ictibus: alii ſervitute: alii duriſſima morte adulteros mulctant! Atque illi corporis ſupplicio expugnatam conjugalis thori caſtitatem puniverunt: quos deinceps dicere volumus, vagam libidinem ignominiæ metu coercuerunt. Inter illos *Gnidani* in perpetuum proſtituti corporis dedecus, pelliceas ferre fimbrias adulteram coëgere. Sed *Piſidæ* adulteram aſino impoſitam vulgi ludibriis expoſuêre. Quod imitati Cumani circumvectam aſino in nefaſto lapide, ut omnibus eſſet ſpectaculo conſtituêre. Et *Leprei*, quorum ritu adultera tunicâ induta pellucidâ undecim diebus in foro ſtabat, ut prætereuntium cavillis & dicteriis vexaretur. De *Athenienſium* in mœchos pœna *Catullus* ad *Aurelium* ſcribit:

Ah tum te miſerum malique fati,
Quem attractis pedibus, patente porta,
Percurrent raphanique mugileſque.

c) Hanc priſcarum Gentium adverſus ſubſeſſores alienorũ matrimoniorum ſeveritatem cum cogito; mirari ſatis non poſſũ, quid nobili *Friſiorum* populo in mentem venerit, ut probroſam ſui nominis legem rogaverit; quæ adulterum, perſoluta L. florenorum mulcta, abſolvit. Sed excuſationem fortaſſis noſtra Gens meretur; quod cum rara admodum in

 illa

a) *Cœlius.* b) *Lerius.* c) *Adulteria permiſſa.*

illa deprehendantur adulteria, *Lacædemoniorum* more, ſive nullam, ſive levem adulteris pœnam conſtituerit. Quid verò de aliis dicemus nationibus; quæ divulgandi ad libidinem cujuſcunque corporis, & vago concubitu miſcendi generis ſanguiniſque poteſtatem fœminis dedere? Et dedere illam olim uxoribus ſuis *Æthiopes*, *Troglodita*, *Nomades*, *Naſomones*, *Maſſageta*; ut quibuſcunque vellent, ſua ad fœdam libidinem corpora proſtituerent. *Gindanum* in Africa mulieres cum alieno congreſſæ viro, fimbriam orabant pelliceam veſti aſſuendam: & ut quæque plurima provulgatæ Veneris inſignia habebat, ita aliis dignitate antecellere videbatur, tanquam multorum amore & complexu honorata a) Major erat *Scytharum*, *Phœnicum*, *Sabaorum*, & *Nabathaorum* licentia: qui cum ex omni fonte promiſcuè communiterque haurirent, neque conjugii aliquod fœdus ſciebant: neque liberos diſcretos habebant, domeſtici inter ſe omnes, amici, fratres, eodem omnia jure poſſidentes. Præ aliis Barbarorum nationibus mira fuit in *Garamantibus* & b) *Limyrniis* ingeniorum dexteritas: qui cum indiſcreto mulierum conſortio uterentur, ſuſceptos inde liberos, poſt quintum ætatis annum, ſimilitudinis ratione diſtribuebant.

c) Hanc Barbaricæ Veneris ſpurcitiem apud Perſas *Cabada Rex* introduxit; lege lata, ut fœminæ viris in communi exponerentur. Cabadæ flagitioſam libidinem, ſuperiore ſæculo, d) *Adamita* apud Moravos hæretici expreſſerunt: qui primævam Adami affectantes integritatem, depoſito cum veſtibus pudore, in publicum prodière, vulgatoque fœminarum concubitu promiſcua conjugia inſtituerunt. Sed dignas denique obſcœnitate ſua pœnas dedere à *Ziſca* religioſorum Huſſitarum duce confecti ferroque ad internecionem deleti. Ex hoc fonte & ſeminario *Monaſterienſium Anabaptiſtarum*,

a) *Herod.* b) *Ariſt.* c) *Agathius.* *Æn. Sylv.*

rum, Patrum ætate, colluvies exundavit: qui ad veteris ritum barbariæ alienis in cubilibus ſuæ libidinis veſtigia, beſtiali fœditate depreſſa relinquebant.

Sed ad Romuli legem regredior; quam ut vagæ & effrenatæ licentiam Veneris coercentem probo laudoque; ita in fœminas non parum eſſe injuriam judico: quod illas adulterii convictas maritorum iræ & poteſtati ſubjiciat; hos verò *non levi attingere digito permittat*. Profectò ex vetere JCtorum ſcito, *Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, eodem in ſe ipſo quiſque uti debet*. Neque enim quicquam turpius eſt, quàm in alium Cenſoriæ ſeveritatis aciem ſtringere, & ſua ipſorum culpâ redargui. Nihil fœdius, in alio reprehendere, quod tu ipſe committas. Ridicula res fuit in Romano populo, cum *Cajus Licinius*, qui ſtatuerat legem; a) *Ne quis amplius quàm quinquaginta agri jugera haberet*; damnatus eſt, quod mille jugera poſſideret. Probroſum erat Licinio à prætore impetrare, ut patri ſuo bonis interdiceretur, quod ea diſſiparet; cum paulò poſt per luxum rem ita omnem prodegerit, ut hæreditatem ejus qui adiret, nemo inveniretur. Igitur non immeritò de diritate & rigore Romuleæ legis adverſus ſuum ſexum queruntur fœminæ: quæ niſi illo etiam tempore, ut aliàs ſemper è virorum concilio extruſæ fuiſſent; non permiſiſſent, tam acerbam, tam iniquis conditionibus legem adverſus ſuum genus rogari. Itaque in Criſtiana Rep. pro Romuli lege divina valeat Sanctio: *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, adulter nempe & adultera: & auferes malum de Iſraël*.

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ.IↃCXLI.

a) *Livius*.

ORATIO LXXXIV.

JOANNES SANE. Monechod. Batt.

Induciæ ſervandæ ſunt.

Nobiliſs. Ampliſs. Spectatiſſimi DD. Auditores,

INduciæ ſunt belli feriæ, militiæque gerendæ ceſſatio, mutuo partium conſenſu certum in diem conſtituta. Dici illas *Gellius* putat, quaſi tu dicas, *Inde uti jam:* ut cum venerit dies ceſſationi definitus, belli omnia jure agantur, & pugnetur *Inde uti jam*. Aurelius inducias dici vult, quod eo tempore hoſtes utrinque alteri ad alteros impunè & ſine pugna *ineant* & *introëant*. Cur verò non dicantur ab *inducendo*, Ciceroniana vocis iſtius ſignificatione, quod hoſtes utrinque *inducti* ſint, in certum tempus armorum uſum inhibere, & militiam ſuſpendere? Græci ceſſationem illam pugnæ pactitiam, ſignificanter ἐκεχειρίαν dixerunt: quod eo tempore cohibeantur manus, nullumque invicem incommodum inferatur. Talium armorum ſuſpenſionem victi profligatique *Vejentes*, cum pacem ob ſuſpectam fidem retinere non poſſent, in centum annos à Romulo impetrarunt. Laudari verò videtur eo nomine Romulus, quod cum Vejentibus ageret bona fide: quos etſi datis conditionibus non ſtaturos ſciret, ipſe tamen ab omni injuria abſtinuit, ratus nihil principi viro convenire minus, quàm datam hoſti fidem frangere, & pactiones publica authoritate confirmatas violare. Atque illa priſca & peculiaris Romanorum virtus fuit, qui venerabile illud Fidei numen, certiſſimum humanæ ſalutis pignus, ante omnes gentes coluerunt; pactis & promiſſis conſtanter inhæſerunt; fœdera & ſtipulationes inviolatas præſtiterunt, non dolo malo, non technis fallaciiſque credulos hoſtes

Digitized by Google

hoſtes circumveniunt. a) Illius inſigne in ſervandis Faliſcis dedere documentum. Illi cum poſt crebram rebellionem dediſſent ſe Q. Luctatio Conſuli, & ob violatã fidem ſæpè ad pœnas traherentur, monitus à Papyrio Senatus; Faliſcos non poteſtati; ſed Fidei ſe Romanæ commiſiſſe; ſtatim deſtitit, & verbi religione motus, iram omnem impetumque depoſuit. Oſtentavit ſe illa Romanorum fides ſpecioſè Punicò ſecundo bello. b) Fracta & diſſipata pœnorum claſſe circa Siciliam, duces victi pacis conſilia agitabant. Amilcar belli præfectus obire ad Romanos legationem recuſabat; veritus ne eodem exemplo catenæ ſibi injicerentur, quo ab ipſis, *Cornelio Aſinio* conſuli fuiſſent nuper injectæ. Sed *Hanno* melior Romani moris æſtimator, cum fiducia legationem ſuſcepit. ut venit ad Conſules & verba fecit, militum Tribunus qui prætorio adſtabat, *Nonne tibi*, dixit, *meritò eveniat, quod Cornelio factum?* Tripudante ad minacem Tribuni vocem Pœno, *Iſto te*, conſules inquiunt, *metu Hanno Fides civitatis noſtra liberat*. Quis non miretur *Scipionis Africani* fidem in ſervandis induciis admirabilem? Profligatis pœnorum ducibus obſeſſaq; Carthagine, impetrarunt aliquot dierum inducias, ut de pace Romam legatos mitterent. Interea oblata occaſione Romanas naves & commeatum contra fœdus diripiunt. De quo queſtum injurias perfidiamque *Scipio* legatos Carthaginem miſit: qui in urbe à civibus peſſimè accepti; ab *Aſdrubale* in regreſſu armis oppugnati duobus legatorum amiſſis, ægrè ad Scipionem in caſtra ſe receperunt. Non fregit Inducias Romanus; ſed Romã Carthaginenſium Legatos expectavit: qui re infecta diſcedere juſſi, vi tempeſtatis in Scipionis rejecti ſunt caſtra. Expectas, ut perfidi hoſtes trucidentur? Nihil tale obſtabat data fides, & ſuſpenſa per pactionem arma. Igitur profeſſus

 non

a) *Fidei ſervata Exempla.* b) *Val. Max.*

Digitized by Google

a) *non facturum ſe Carthaginenſium more*, intactos domum remiſit. Non minus conſpicua in *Sex. Pompejo*, illo qui Silicia & Sardinia occupatis, commeatuque intercluſo magnam urbi moleſtiam exhibebat, fides fuit. Triumviri pactis utrinque induciis in colloquium cum Pompejo deſcenderant, factaque certis conditionibus pace, in prætoria nave addicta & parata erat à *Sexta* cœna. Et jam inter epulas ſales facetiæque ſpargebantur, cum ſenſim à tergo accedens *Gubernator*, Ducem clam affatus eſt: *viſne tu, ut funes incidam, & navim abducam, faciamque te non Sicilia modo & Sardinia, ſed Orbis terræ dominum?* Non permiſit hoc Sexti fides, quæ hoc illi reſponſum expreſſit: *Et te quidem, Mena, facere fortaſſis oportebat, non prædicere. nunc autem præſentibus acquieſcamus: nec eſt meum pejerare.* O dignum ſervatæ fidei conſtantia virum, qui patris patriæque fortunâ fruatur! b) Habet Græcia etiam illuſtre ſervatæ fidei exemplum in Ageſilao. Ille in Perſicis ditionibus flamma ferroque feliciter graſſabatur, Jonaſque à Barbarorum imperio abducebat, cum *Tiſſaphernes* Regiarum Dux copiarum trimeſtres petit inducias. Concedit eas *Ageſilaus*: præſtatur utrinque juramentum, ab armis ſe quieturos. Perſa interea bellum ſummis viribus parare, copias conſcribere, juramenti religionem violare. Lacon contrà promiſſis conſtanter ſtare, conditione & pacto manere, nihil hoſtile facere. Cum verò non bona fide Barbarum agere audiret: *Satis magnum ſe facere quæſtum*, dicebat, *quod hoſtis rupta induciarum fide & Deorum & hominum gratiam deperderet: ipſe verò ſervata religione gratiam illorum colligeret.* Quis verò illius laudis ſtudioſum *Soleimannum* fuiſſe putet Turcarum principem? c) At ille expugnata Rhodo, conditiones, quas cum *Villadamo* Equitum Magiſtro inivit, religioſiſſimè ſervavit. Idem cum ad *Corcyram Venetorum*

a) *Sabell.* b) *Probus.* c) *Iovius.*

torum cum copiis eſſet, audiſſetque legatos ſuos, capto in Salentinis oppido, parum bona fide cum deditis egiſſe, ingenuo perfuſus pudore, captivos omnes conquiri, & ad penates ſuos dimitti juſſit: auctores verò violatæ fidei ſupplicio affecit. Sed deſinat aliquis mirari principem Cæſaris æmulantem gloriam datæ Fidei tenacem eſſe; cum *Indiæ etiam Reges*, ex ipſius barbariæ natos ſtirpe, datam frangere fidem nefas eſſe duxerint. a) *Triumpara* Cochini Rex erat: qui à *Calecutienſi* Rege oppugnatus regnoque exutus, quod acceptos in fidem ſuam Luſitanos tradere nollet: maluit fortunis omnibus & imperio, quàm fidei poſſeſſione orbari. Quin etiam cum victor Calecutii Rex veterem fortunam offerret, ſi alienigenos dederet; abnuit, fortiter profeſſus, *Sceptrum & vitam eripi poſſe; fidem non poſſe*. Non dedignabitur *Franciſcus Galliarum Rex*, ſi hoc loco fidem ipſius *Carolo V.* præſtitam commendavero. Inducias cum Gallo Carolus pepigerat; quarum ille nixus fide parvo comitatu per Gallias in Belgas tranſibat, ut Gandavenſium motum comprimeret. Monebant aulici, ut occaſionem ad manus delatam arriperet, Imperatorem teneret, inſignem utilitatem levi infamiæ præferret, cum Rex: *Etiamſi Fides toto orbe exularet, tamen Regibus tenendam eſſe; qui ea ſola & nullo metu cogi adſtringique poſſent.* b)

Æterno ad omnem poſteritatem encomio horum Principum fertur Virtus: è contrario fraudulentorum perfidia & iniquitas ſempiternam fœdiſſimæ turpitudinis notam ſubiit, quam nulla unquam vetuſtas obliterabit. Eam quoque deficiente cum Imperio virtute, cum opprobrio glorioſiſſimi nominis, Romani poſterioris ævi principes ſubiêre. Inter quos *Lucullus Caucaorum Hiſpaniæ populum* imperata ſtudioſè facientem, contra datam

Cc 5 fidem.

a) *Lipſ. in Exempl. polit.* b) *Violatores Induciarum & fidei.*

ſidem, immiſſo milite, ſine ullo ſexus ætatiſve diſcrimine, per ſummum ſcelus trucidavit, millibus hominum xx interemptis. Non minus improbè fallaciterque adverſus *Lucitanos* egit *Sulpitius Galba*: quos ille nullius culpæ conſcios hoſtiliter primò invaſit, deinde renovato fœdere in fidem accepit, *ſocios amicoſque* appellavit, cladem ipſis illatam dolere viſus. a) Et jam læti ac ſecuri mali omnis ad Imperatorem exibant, poſitis armis; cum ille pluſquam barbarâ uſus ſævitia, militem in inermes concitat, & fidem ac Deos implorantes, ad unum omnes occidit. Ejuſdem notæ eſt illa b) *Manlii* & *Attilii* gloriatio, quâ Romam ex Macedonia reverſi nullam rem jactabant magis, *quàm deceptum per inducias & pacis ſpem Regem*. Probabat id magna Senatus pars; ſed veteres moris antiqui memores, novam iſtam ſapientiam improbabant; quum majores non tam aſtu, quàm verâ virtute bellum geſſerint. De hoc degenerantis virtutis ævo rectè *Saluſtius* loquitur: *Romani arma in omnes habent, in eos acerrima, quibus victis ſpolia maxima ſunt.* Et alibi: *Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis, una & vetus bellandi cauſa eſt, cupido profunda imperii & divitiarum.* Hanc ut cupiditatem explerent, nullam ſæpè datæ fidei rationem habuerunt; ut nemini mirum videri debeat, ſi aut Barbari, aut Græci, aut ipſe perfidiæ fons Carthago de violata fide malè audiat. *Thracum* verò inſignis fuit ante alios perfidia, quâ pactis novem dierum cum Bœotiorum gente induciis, noctu in agrum hoſtilem incurrerunt. De illo accuſati, *Dierum tantùm pactos ſe eſſe inducias*, reſponderunt; *nocturnis horis vim feciſſe*. Nihil Thracibus in iſta malarum artium uſurpatione *Carthaginenſes* conceſſere, qui pactas cum Africano inducias multoties violarunt, utque minus adverſus Fidem ipſam, c) quam Romanos bellum geſſere, mendaciis & fallaciâ

a) *Val. Max.* b) *Lib.* c) *Val.*

fallaciâ quaſi præclaris artibus gloriam aucupantes. Ex illa ſtirpe *Hannibal Neucerinos* publica fide ad ſe venientes vapore & fumo balnearum ſtrangulavit. *Acerranum* verò Senatum, cum de pace utrinque conveniſſent, extra mœnia evocatum in profundum puteum abjecit. Quo evênit, ut alioqui inſignem ſui nominis memoriam relicturus in dubio, majorne an pejor haberi deberet, poneret. Et ſanè non parvam a) *Alexandri* gloriæ labem adſperſit, quod factis cum quadam Indorum bellicoſiſſima gente induciis, eos incautos oppreſſit & trucidavit. Neque *Cleomênis* Spartanorum Regis, qui hoſtes induciarum fiducia conſopitos de nocte invaſit, alios trucidavit, alios captivos ſecum abduxit. Neque *Theodorici* Gothorum Principis qui *Odoacrum* Herulorum Regem induciarum fiducia ſecurum oppreſſit, & poſtea facta cum ipſo pace, cum universa regii ſanguinis familia trucidavit. Reddidit b) *Gothis* talionem *Beliſarius*, cum turpi tamen ſui nominis ſugillatione. Trimeſtres pepigerant Gothi inducias, quibus confiſi urbes præſidiis denudant, ipſi ſine armis hinc inde oberrant, ſecuri de injuria hoſtili. Hanc arripiens occaſionem *Beliſarius*, maritimas Italiæ urbes intercepit: ſignificans Gothorum Regi, *illas à ſuis pro derelicto habitas ſibi occupare licuiſſe*. Hac arte *Apollonius Thraſea* F. Hieroſolymam ab Antiocho miſſus, ſub pacis ſpecie Iudæos ad ſpectaculum invitatos obtruncavit. Hac arte *Antonius Caracalla Artabanum* Parthorum Regem, affinitatis contrahendæ ſimulatione deceptum, fœda ſtrage affecit. Hac arte *Theodoricus* Francorũ Rex Turingorũ Regem, data fide in Tolbiacenſem arcem accitum de muro præcipitem dedit, liberoſque ejus infantes necavit.

Sed quid veteris ævi commemoro exempla, cum majorum & noſtra ætas immenſam perfidiæ ſegetem ſuppeditet. Queritur adhuc c) *Bohemia*, & de-

a) *Plut.* b) *Sabell.* c) *Æn. Sylv.*

plorat *Thaboritarum & Orphanorum* ſtragem: qui pactis induciis donum revocati, & in horreis concluſi, immiſſo igne miſerabiliter ſunt uſti. Deteſtatur *Chriſtiernum* Daniæ Regem Suecia: qui in ſumme ad Stocholmiam rerum difficultate pactus inducias, *Stenoni* principi inſidias poſuit: quæ cum non ſuccederent nobiliſſimos juventutis regia fide evocatos, in vincula conjecit, ſublatiſque anchoris in Daniam captivos abduxit. Criminantur *Carolum Audacem* Helvetii, quos multoties data fide ille circumvenit, deditoſque alios ad arbores ſuſpendit, alios fune connexos in vicinam paludem ſubmerſit. Malè audit apud Gallos *Edoardus* III. Anglorum Rex, qui factis cum *Ioanne* Gallorum Rege induciis *Guinas* oppidum magna pecuniæ ſummâ à præfecto emit: prætendens, de rerum emtione nihil induciarum religione cautum. Verum, ut perfidiæ fontem ipſum recludamus, quàm celebris eſt harum artium in Antichriſti Rep. uſus! quàm frequens mendaciorum fraudiumque exercitatio! quàm fœda fallaciarum & improbitatum ſtructura! quibus non ſæpè dolis improbi Sinones incautos fideles irretierunt! quoties juramenti religionem violarunt! pactorum conventorumque fidem reſciderunt; ſub pacis & induciarum velo bellum cum religioſis acerrimum geſſerunt! Vultis objectum perfidiæ crimen diluere atque depellere? Cur igitur *non ſervandam Hæreticis fidem* publico ſermone & literis aſſeritis? Cur toties in Gallia, in Belgio, in Germania & alibi fidem ſanctiſſimè datam rupiſtis, fœdera pactioneſque diſſolviſtis, pacis amicitiæque prætextu ſicas vibraſtis; urbibus vaſtitatem, penatibus ſolitudinem àttuliſtis? An *Conſtantienſis* rogi memoriam ex hominum animis depoſitam eſſe putatis? An *Laniena Pariſienſis* infamiam exſtinctam obliteratamque creditis? Dicet Gallia, quantam ſæpè pactis fraudulenter induciis cladem & perniciem

reli-

religioſis intuliſtis. Dicet Belgica, quàm grave ipſi vulnus juratâ Coloniæ, Gandavi, & alibi pace dediſtis. Dicet *Fredericus* Bohemiæ Rex Electus, quàm turpiter veſtris auribus ſit illuſus, cum ingreſſus valido cum exercitu Germaniam, fuſiſque ad *Heidelbergam* & *Haganoam* Cæſarianis copiis, ad fraudulenta reſtituendi Palatinatus promiſſa, militem dimitteret, patria ditione ſubditiſque Hiſpanorum & Bavari armis objectis.

Sed non diuturna erit Perfidiæ gloriatio, docente Antiquitatis memoria, calamitoſiſſimos eorum exitus fuiſſe, qui pactas inducias violarunt, juramento, religione fideque neglectâ. Monet hoc graviſſimè ſanè *Homerus*:

> Οὐ μέν πως ἅλιον πέλει ὅρκιον, αἷμά τε ἀρνῶν
> Σπονδαί τ' ἄκρητοι, καὶ δεξιαὶ ᾗ ἐπέπιθμεν,
> Εἴπερ γάρ τε καὶ αὐτίκ' Ὀλύμπιος οὐκ ἐτέλεσσεν,
> Ἔκ τε καὶ ὀψὲ τελεῖ. σύν τε μεγάλῳ ἀπέτισαν
> Σὺν σφῇσι, κεφαλῇσι, γυναιξί τε καὶ τεκέεσσιν.

Dicit hoc eundem in ſenſum, ſed Romano ore *Silius*:

> *——— Dubio qui frangere rerum*
> *Non illi domus aut conjux, aut vita manebit,*
> *Vnquam expers luctus lacrymaq;: aget æquore ſemper*
> *Ac tellure premens, aget ægrum nocte dieque*
> *Deſpecta ac violata fides.*

Hinc benè apud Livium *Q. Marcius*: *favere pietati fideique Deos, per quæ populus Romanus ad tantum faſtigii venerit.* Benè hoc atque opportunè ad Perſen Regem, qui abrogata fœderum pactionumque fide, dignam perfidiâ mercedem accepit, cum fuſus captuſque ad Æmylii ſeſe pedes ſupplex proſterneret. Vis ejuſdem fortunæ plura? Reſpice ad *Metium* Albanorum dictatorem quadrigis diſtractum lacerari; Albam funditus æquari; *Vejentes* à ſtirpe cum omnibus oppidis deleri; *Carthaginem* quatuordecem dierum incendio abſumptam; *Campanos* miſerandum in modum aut cæſos, aut duriſſima

ſima ſervitute oppreſſos; *Corinthum* & *Numantiam* exciſam; *Samnites* ſepties pacem violare auſos internecione deletos. Glorietur aliquandiu *Perozes* Perſarum Rex, quod ab Hunnis acie ſuſus captuſque, ſimulato pacis fœdere, regnum & libertatem receperit. At reſtauratis domi copiis reverſus, in violati jurisjurandi pœnam, ipſe cum exercitu cæſus eſt. Efferat ſe inſolenter *Lepidus* Proconcul, & *Vaccaam* Hiſpaniæ gentem contra datam fidem, etiam prohibente Senatu, invadat. Sed ab illis prælio victus, ſex Romanorum millia amiſit, atque exuſtis caſtris ipſe cum paucis evaſit. Frangat *Vladulaus* Hungariæ Rex, Cardinalis Iuliani & Pontificis impulſu, decennales cum Amurathe initas inducias, conventa diſſolvat, jusjurandum negligat, Turcam infectis armis aggrediatur. At pro! cladem populi Chriſtiani cæſus ab hoſte, ſuo totiuſque Europæ ſanguine Varnam cruentavit. Quis negare audeat hanc à juſtiſſimo Deo inflictam perfidiæ pœnam, quam in medio pugnæ ardore, ſublato ad cœlum vultu & manibus Amurathes expetiit, *Crucifixe, Crucifixe*, decibat, *vide gentem tuam perfidam, quæ à me non laceſſita, contra jusjurandum, jus omne ac fidem violavit: tu ſi Deus es, fac ut perfidi homines abruptæ fidei luant pœnam.*

DIXI.

Recitata Alcmaria CIϽ.IϽ.CXL.

ORATIO LXXXV.

Sumpto auguſtiore habitu & Imperii inſignibus Princeps venerabilem ſe facit.

JOANNES NORDINGIUS. Alcm.

Amp. Spect. Rev. DD. Auditores.

ALphonſus *Arragonum* Rex, cum cultu corporis nihil à plebejis differet, à ſuis monitus, ut dignum

gnum Rege ſumeret ornatum. *malo*, inquit, *moribus & authoritate cives meos excellere; quàm purpura & diademate.* In eundum ſenſum *Alexander Severus*, *non in cultu corporis*, inquit, *ſed in virtute regia conſiſtit majeſtas.* Illis non abſimiles *Alexander Magnus* in primo fortunæ ſuæ curſu; *Ageſilaus* Laconum Rex; *Hannibal* Pœnorum Dux; *Veſpaſianus* & *Tacitus* Impp. ita habitu fuerunt neglecto, ut nihil penè à vulgari plebe differrent. His viris virtutis excellentia, & rerum geſtarum magnitudo tantam addidit venerationem; ut extra auguſtiorem habitum per ſe dignitatem ſuam à civium contemptu vindicare potuerint. At quia vulgus hominum externa ſæpè ſpecie & virtutis umbra magis afficitur, quàm virtute ipſa; illi, qui in excelſo poſitus eſt faſtigio, ut venerabilior ſit, dignum corporis cultum aſſumere convenit. Sapienter igitur *Romulus* dignitati ſuæ conſuluit, quod habitu corporis regio, & lictorum apparitorumque comitatu ſupra plebejam fortunam ſe extulit. Hoc poſtea reliqui imitati Reges nunquam ſine imperii inſignibus, quæ ab Hetruſcis Sabiniſque mutuati ſunt, in publicum proceſsêre. Tranſiit illa à Regibus in liberam Remp. honorandæ majeſtatis conſuetudo, Magiſtratibus Romanis digniore corporis habitu, ab humiliore civium ordine diſcreto. Hinc, qui geſta benè Rep. dignitate inter alios eminebant, quoties domo exirent, lictorum apparitorumque ſatellitio muniebantur, prælatis imperii inſignibus effulgebant, ſella maximi honoris curuli in curiam ferebantur, triumphali capitis corona, palmatâ Regum toga, pontificalibus ornamentis inſignes ibant: domus ipſæ affixis hoſtium ſpoliis dignitatem & imperium oſtentabant. Cum per plateas incederent, ſummi ipſis honores exhibebantur; turba per lictores ſummovebatur, ſedentes aſſurgebant; tecti caput aperiebant; vecti equo curruve deſcendebant; armati ferrum ponebant.

bant. Igitur ut *Moſi* Deus ex oſtentatis imperii inſignibus, & auguſtiore corporis habitu, dignitatem adſtrueret, pro ſceptro & poteſtatis ſymbolo virgam ipſi dedit prodigiorum inſtrumentum, faciem verò tanta claritate circumfudit, ut nemo eum propius intueri poſſet. *Aaroni* etiam Pontificalem mirifici ornatus veſtem ſumere juſſit, ut facientem ſacra populus tanquam legatum & internuncium divinæ Majeſtatis ſuſpiceret & veneraretur. Hinc *Ioſephus Pharaonis*; *Mardochæus Aſſueri*; *Daniel Nebucadnezaris* juſſu, regio corporis cultu ſui honoris gradum & eminentiam ſignificarunt. Hinc Numidæ olim Maurique Reges purpureo inſignes ſago; Aſſyrii tunica coccinea; Perſæ, Medi & Armenii Cidari & triplici anaxyride; Phœnices, Syri, Cilices Chlamyde; Europæi ſceptro & coronâ; atque ipſi etiam Philoſophi pallio & baculo ſeſe venerabiles fecêre. Quanquam per ſe ipſam venerationem mereatur, ſeque in hominum gratiam favoremque inſinuet *Virtus externis incomitata bonis*: Eſt tamen in ipſo corporis habitu cultuque dignitatis externo ſæpè aliquid ad conciliandam authoritatem roboris & præſidii; maximè apud vulgus imperitum, quod hominem ex habitu cultuque corporis æſtimare, & ut hiſtoricus loquitur, a) *forma ac decore comparare Imperatores ſolet*. Quantam verò neglecti cultus ſplendoriſque externi pœnam b) *Alexander M.* dedit? quem cum *Siſigambis* Darii mater ſalutare vellet, ingreſſa tabernaculum, Rege præterito, *Epheſtionem*, quod habitu corporis auguſtiore eſſet, adoravit. Quantum *Philopœmenes* Achæorum Dux: qui cum ex itinere in vicinam amici ſui domum diverteret, & Philopœmenem adeſſe diceret; materfamiliâs conſternata ſubitò tanti viri adventu, & arbitrata ipſum ſervum eſſe præmiſſum, qui principis adventum nunciaret; detrahere pallium, findere lignum,

a) *Tacitus hiſt. lib. 1.* b) *Plut. in Alex.*

lignum, inſtruere focum ipſi præcepit, quò advenienti Philopœmeni cœna pararetur. Quod cum illum facere reverſus domum hoſpes videret & indignaretur: *ſine me*, inquit, *amice*, *meæ negligentiæ & deformitatis ferre pœnam*. Quantam *Ferdinandus Hiſp*. R. qui primus *Catholici* titulum uſurpavit? Ille cum ſuſcepto Neapolim itinere, inter primos litori appuliſſet, & hoſpitium, quo jam propinqui Regis fama pervenerat, ingreſſus eſſet, piſcator captum recenter piſcem, ſpecioſæ magnitudinis, in palatium detulit, Regi illum daturus. Cum circumferret quaqua oculos Piſcator, & Regem oculis animoque inveſtigaret, ac ubi is eſſet, quæreret; ſurrexit *Ferdinandus*, ſeque illum eſſe profeſſus eſt. Piſcator famâ formaque emenſus Majeſtatem, cum aliâ ſpecie & ſplendore Regem animo complexus eſſet, illudi ſibi à Regiis miniſtris putare, ſtomachari, diſcedere: cum Rex ad amicos converſus; *Perſuadete*, inquit, *homini Regem me eſſe, aut hodie opima præda faciemus jacturam*.

DIXI.

ORATIO LXXXVI.

Infida eſt omnis regni ſocietas.

CORNELIUS CUPERUS. Alcm. Batt.

Nobiliſſ. Ampliſſ. Humaniſſ. DD. Auditores.

MInus ægrè Romulus, quàm dignum erat, Tatii collegæ necem tulit; quod inter imperii conſortes ſuſpecta plerumque fide adminiſtrari Reſp. ſolet.

a) *Equidem nulla fides regni ſociis, omniſque poteſtas*
Impatiens conſortis erit; nec gentibus ullis
Credite: nec longè fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt ſanguine muri.

Quis miretur hanc in homine libidinem, cum Apes etiam

a) *Lucan.*

etiam naturæ concitatæ ſtimulis, uno ſibi ſumpto rege, reliquos interimant, favos ſedeſque ipſorum paratas diruant, naſcentium domos evertant, nullum dominationis conſortium patiantur. Neque abſimile Gruibus eſt ingenium, qui unum ſibi ducem deligunt, cujus ductum & vocem ſequuntur. Scilicet, a) οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Vis ſcire, quantis ſæpè odiis, quàm funeſtis armis, quàm magno Reip. damno inter regni ſocios concertatum ſit, adverte huc parum oculos, & illuſtribus priſci recentioriſque ævi exemplis docebo. Reſpice Græcorum apud Trojam caſtra. Incubuit ſæpe illis lues peſtifera, preſſit fames, cecîdit ferrum hoſtile: ſed Agamemnonis & Achillis contentio omnibus fuit miſeriis nocentior. Flecte animos in Thebanam urbem. Clariſſimi in illâ fuere Duces Polopidas & Epaminondas, qui Patriæ ſuæ facilè principatum Græciæ totius contuliſſent, niſi initio Reipubl. regendæ commercio fœdis eam contentionibus fatigaſſent. Confer te ad Athenienſes. Non deſuere illis aut ſapientium conſilia, aut militum virtus: ſed infida inter Solonem & Piſiſtratum; inter Periclem & Cimonem; inter Themiſtoclem & Ariſtidem ſocietas civitatem in factiones & diſſidia diſtraxit. Ab Attica in Pelopòneſum flecte curſum. Ibi magna ſæpe cum Lacedæmoniorum clade Agidæ & Eurypontidæ Reges collegæ, reges deinde ac Ephori, ſuſpecta ſocietatis fide, inter ſe contenderunt. Ex Græciâ in Ægyptum, ubi defuncto Sethone duodecem reges collegæ in conſpectum ſe dabunt. qui etſi de regenda concorditer rep. ſanctiſſima juramenti religione obſtricti inter ſe eſſent, non diu tamen poſt, diſſuto fœderis vinculo, Pſammetichum Collegam poteſtate deturbatum exilio mulctarunt. At ille Ionum auxilio reſtitutus reges cæteros ſuſtulit, totiuſque ditio-

a) *Hom.*

ditionem regni ſolus adeptus eſt. Inde in proximam Palæſtinam, & ſedem illius Hieroſolymam digrediamur: quam Eleazari cæterorumque Ducum diſcordia fractam & debilitatam Veſpaſianis evertendam dedit. Vt deſint alia, luculentiſſima infidæ ſocietatis exempla, Reſp. præbet Romana. Vides Metellum & Pompejum ſociatis in Hiſpania armis imperioque Sertorium oppugnare? Quanta ſtatim orta eſt Ducum diſſenſio! quas inter ſe Clariſſimi Impp. ſimultates exercuerunt! quàm diverſis conſiliis Remp. magis, quàm hoſtium vires debilitarunt! Vides Pompejum & Cæſarem diviſo inter ſe terrarum orbis imperio Remp. in ſua poteſtate tenere? non diuturna fuit ſoceri generique conſpiratio.

a) *Stimulos dedit æmula virtus,*
Nec quemquam jam ferre poteſt Cæſarve priorem
Pompejuſve parem,

Vides fractis Pompejanarum partium Ducibus rem Romanam ad Triumviros recidiſſe, ſancta Societatis religione conjunctos? Sed audi de illis ſapientem hiſtoricum: b) *Lepidi atque Antonii arma citò in Auguſtum ceſſere: qui cuncta diſcordiis civilibus feſſa nomine principis ſub imperium accepit.* In quam certam diuturnæ pacis ſpem erecta erat Italia, cum Theodoricus Oſtrogothorum Rex cum Odoacre Herulorum Rege fœdus iniret, ut pari imperio regnum obtinerent, armis odiiſque poſitis. Sed ſenſit illa paulò poſt, quàm inſtabilis eſſet inter imperii ſocios amicitia: cum Theodoricus Collegam proditionis accuſatum, cum omnibus aulæ proceribus obtruncaret. Sed neque propinqui ſanguinis cognatio & naturæ vinculum regni ſocios fido conjungit fœdere, filiis fratribuſque adverſus ſua viſcera, ob regni communionem exitiali furore inflammatis. Quàm malè tibi regnoque conſuluiſti Eucratida Bactrianorum R. cum ſubactis Indis, filium conſortem

a) *Lucan.* b) *Tacit.*

conſortem regni adſciſceres, paternam indulgentiam fœdo parricidio remunerantem! Quàm tibi malè Mithridates Ponti R. qui Macharidam filium collegam, ut ſolus regnaret, arma cum Romanis conjunxiſſe ſenſiſti, Quàm tibi malè Orodes, quem Phraates à Parthici regni ſolio, quod æquo jure pater filiuſque tenebat, deturbavit! Expertus eſt fluxam communicati imperii fidem Henricus IV. ab Henrico V. regno deturbatus. Arnoldus Geldriæ Dux, ab Adolpho in tetrum carcerem conjectus. Bajazetes à Solino filio veneno enectus. Ad ſociata inter fratres regna abeamus: quæ nihilo meliore fide conſenſuque adminiſtrata ſunt. Pepigerat Etheocles relicto patre Oedipo, cùm Polynice fratre, ut rem Thebanam alternis annis regerent. Sed non ſtetit diu fraterna gratia, ipſis mutuâ cæde interemptis. Præerat Cambyſes cum Smerde Perſarum regno, quem ille ſomnio exterritus occidit. Dederat Ioſaphatus Ioramo cum fratribus Iudaicum regnum; ſed ille natu maximus, ne quem haberet Imperio conſortem, omnes fœdo parricidio ſuſtulit. Regnabat Cleoptra, ſociata cum fratre Ptolomæo Rep. in Ægypto: quem illa fraude atque inſidiis circumventum occidit. Tenebant pari poteſtate imperium populi Iudaici Ariſtobulus & Antigonus. Sed ille hunc iniqua oppreſſum criminatione, regno primùm, tum etiam vita orbavit. Hæc infauſta regni ſocietas Numidiam evertit, Iugurtha in conſortes imperii fratres ferrum ſtringente. Hæc Amulium in Numitorem implacabili odio incendit, tradito utrique regno, ut annuis illud vicibus adminiſtrarent. Hæc Caracallam impulit, ut Getam fratrem materno pendentem à pectore ferro transverberaret. Hæc Domitianum concitavit, ut Veſpaſianum, à quo ad imperii ſocietatem admiſſus erat, inſidiis appeteret, & nondum mortuum ſepeliri juberet. Hæc Henricum & Robertum Angliæ R. Guilielmi filios
graviſ-

graviſſimis bellis implicavit, in quo Robertus periit fraternis armis ſuperatus. Hæc Mauros in Tunetano regno fratres funeſtiſſimis armis commiſit: quæ patrum & noſtro ævo omnem illum Africæ tractum ferro flammaque peragrarunt. Adeo conſortem neſcit regni poteſtas. adeo rara eſt inter neceſſarios caritas, ubi dominandi libido mentes hominum titillat. Sanè, a) *Neque regna ſocium ferre, nec tæda ſciunt*. Et b) *Imperium, quod ſtare ſub uno potuiſſet dum à pluribus ſuſtinetur, ruit*.

DIXI.

Recitata Alcmariæ CIↃ IↃ CXLIV. *Examine Paſchali*.

ORATIO LXXXVII.

JACOBUS de VOS, Alcm. Batt. Civis Ingenuus quæſtuoſas opificum artes non exerceto.

Nobiliſſimi, Spectatiſſimi; Doctiſſimi D D. Auditores.

APpius Claudius dicere ſolitus fuit: c) *Negotium populo Romano melius, quàm otium committi.* Sciebat vir ſapientiſſimus præpotentia imperia agitatione rerum ad virtutem capeſſendam excitari, nimia quiete in deſidiam reſolvi. Itaque d) *Cleomenes* rogatus cur Argivos victos & profligatos non deleret: ne optaverimus quidem, inquit, illos deletos, ut habeamus, qui juventutem exerceant. Ideoque *Scipio Naſica*, dicentibus quibuſdam, res Romanas in tuto eſſe, exſtinctis Carthaginenſibus, & Græcis protritis: *imò*, inquit, *nunc demum in periculo ſumus, poſtquam nulli ſuperſint, quos vel timeamus vel revereamur.* Hoc etiam tum,

a) *Seneca.* b) *Curtius.* c) *Val.* d) *Plut.*

tum, inprimis Romanæ dominationis incunabulis, Romulus de ſuis ſenſit civibus: ideoque ne otio & quiete ad malas artes prolaberentur, ſuum ſingulis negotium impoſuit, quod Reip. bono cum fide ſtudioque præſtarent. Et primò quidem omnem civium multitudinem in Ingenuos & Serviles; & Ingenuos in patritios & plebem diſtinxit. Cuique pro honoris gradu & dignitatis eminentia curare ſuas injunxit. Patritiis militiam & magiſtratus obire, ſacra facere, jus dicere, publica & urbana negotia adminiſtrare; plebi arma tractare: Vtriſque operam dare literis; picturam exercere; ad ingenuas artes incumbere. Mercaturam, Popinariam, omneſque manuales artes, quibus quæſtum homines faciunt advenis ſerviſque delegavit, indignum namque ingenuo homini putavit, ſordidis & pudendis mercenariorum operis rem familiarem augere, & de lucro vivere. Hinc crebrum illud apud hiſtoricos ingenui civis elogium: *Bonus miles, bonuſque colonus.* Cicero verò illiberales & ſordidos quæſtus manuariorum omnium dixit. Alibi opifices & tabernarios fecem civitatum: opifices in ſordidâ arte verſari: nihil ingenuum habere officinam teſtatur. Notat hoc in Terentio Varrone *Livius*: quem non humili ſolum, ſed ſordido natum loco dicit: patrem lanium fuiſſe, ipſum inſtitorem mercis, filioque hoc ipſo in ſervili ejus artis miniſterio uſum. Ingenuæ autem Ingenuorum artes fuere *Militia. Agricultura, Litera, Pictura*: in quibus à primâ ætate juventutem Romani exercebant. *Militia* labor in Martio populo honoratiſſimus erat, ita ut nemo urbanum gerere Magiſtratum poſſet, niſi dena ſtipendia feciſſet. Sed *Agricultura* etiam magna erat in laude poſita: ex quâ illuſtria multi cognomina tulerunt: multi ab aratro ad Dictaturam vocati res longè maximas geſſerunt: multi agrum malè colentes Cenſoriæ ſeveritatis notam experti ſunt. *Literarum* vero & ſapientiæ ſtudia

ſtudia tanto in pretio fuere, ut Principes ipſi ea palam profiteri, & nobilem juventutem erudire non erubuerint. *Pictura* etiam apud Rom. honos fuit: a) ex quâ nobiliſſima *Fabiorum gens* nomen traxit, princepſque iſtius cognominis ipſe ædem Salutis pinxit.

Romulus prohibens manualium artium exercitia ingenuos Græcos videtur imitatus: b) quorum *Lacedamonii* civibus militiæ dare operam; *Ilotis* illiberalium artium officinis vacare voluerunt. Itaque Lacon quidam cum Athenis eſſet, & quenquam otii reum duci ad ſupplicium audiret, juſſit ſibi commonſtrari eum, qui in cauſa tam liberali judicum ſententiis damnaretur. Putabat vir militaris ingenuo viro, unum militiæ tractandæ ſtudium incumbere: quo poſito ſumendam quietem, neque alio opere fatigendam aſſuetam armis manum. Eadem a) *Corinthiis* mens fuit, qui Opifices nullo in numero habuerunt. Etiam *Thebanis*, qui lege ſanciverunt, ut nemo ad Reip. honores admitteretur, niſi prius decem annis quæſtum omnem & mercaturam reliquiſſet. Neque minore apud *Scythas*, *Perſas*, *Lydos*, *Thraeas*, *Theſpienſes*, quæſtuoſarum artium officinæ in contemptu fuerunt, ut manualium operum exercitiis pollui nobilitatem putarent. Aſſentiuntur illis *Socrates* & *Ariſtoteles*, Philoſophorum Coryphæi, qui opifices Rep. excludunt: non poſſe lucello ſimul operam dari & honeſtatis haberi rationem arbitrati.

In aliâ tamen *Athenienſes* fuere opinione, qui ex Solonis inſtituto, legem habuerunt: ne filius fam. patrem aleret, à quo nullum ipſe artificium didiciſſet. b) Et *Ægyptii*, quibus *Amaſis* legem dederat, ut cives quotannis nomen apud præfectum profiterentur, & quo ſe artificio ſuſtentarent, palam facerent. c) Apud *Indos* quartum honoris locum

a) *Plinius*. b) *Sedentariarum artium odium*.
c) *Herod.* d) *Plut.* e) *Cœlius*.

locum artifices olim tenebant : qui in uſum Reip. manualibus dediti negotiis, & à tributo erant immunes, & frumentum ex regiâ gratuitum habebant. Apud *Tranſylvanos* lege cautum eſt, ut incolæ omnes artificium aliquod diſcant mechanicum. Apud *Germanos* hodie & *Anglos* tanta officinæ eſt dignatio, ut penè omnium civitatum populus per artificum collegia dividatur. Mercaturæ verò quanquam apud Belgas maximè, tantus eſt honor, ut vix quiſquam in pretio ſit, niſi qui mutandis mercibus rem domi amplam fecerit. Et Reges literatique ab his ſtant partibus : quorum alii opifices magni fecerunt ; alii opificinam ipſi frequentarunt, manibus operi admotis. *Reutha Scotorum* R. cum ſubditi ipſius diuturnis implicati bellis mechanicarum artium uſum neglexiſſent, aliunde magnis præmiis opifices accivit, & liberalibus ſtipendiis fovit. Ejus ſequuti exemplum *Iacobus I.* & *Iacobus III.* ex Belgio & Angliâ opifices peritos evocarunt, colloquiiſque ſuis & menſæ adhibuerunt, ad dignitates & honores promoverunt. Sed inter Romanos etiam Impp. b) *Veſpaſianus*, illos, qui in mechanicis excellerent, in honore habuit. c) *Alexander* etiam *Severus*, Architectos, Statuarios, alioſque utilium rerum opifices, ampliſſimis ſtipendiis donavit. Accedit illis d) *Hippodami Mileſii* autoritas, qui in ſua Rep. præmium illis ſtatuit, qui utile aliquod artificium inveniſſent.

Ante omnes alios officinam honoravit *Ulyſſes*, qui ex inſula Calypſus domum reverſurus, ſua manu ratem fecit, qua mare trajiceret. Honoravit *Philadelphus* rex Ægyptiorum totus officinæ diditus. *Demetrius Polyocretes* in machinis fabricandis bellicis eximiè verſatus. Aſiæ rex *Attalus* in fundendis ære ſtatuis. *Albertus IV.* Auſtriæ Dux in architectura : *Alphonſus* Farrariæ Dux in tornandis vaſis. *Selimus* Turcarum Imp. in aciculus liman-

a) *Diod.* b) *Suet.* c) *Lamprid.* d) *Ariſt.*

limandis: quidam noſtri temporis Principes maximi in fabricandis militiæ inſtrumentis, & auro cælando excelluerunt. Quid ingenuos liberalium artium Profeſſores dicam, *Cleanthem*, *Menedemum*, *Aſclepiadem*; qui noctu mechanicis operam dederunt, interdiu philoſophati? Quid *Petrum* Piſcatorem, & *Paulum* ſuis ſibi manibus victum parantem? quid vocatum à Deo a) *Bezaleelem* & *Aholiabum*, ad tabernaculi extructionem; à Solomone *Hyramum Tyrium*, ad templi ædificationem; alioſque opifices Dei Spiritu plenos? Sed Dii etiam & divini homines officinis ſtuduerunt, primique manuarias artes invenerunt. Introduxit in hominum uſum arationem Iupiter, texturam Pallas; armorum fabricationem Mars; Navigationem Neptunus; fabrilem artem Vulcanus; architecturam Veſta; fabricam lignariam Dædalus; figulinam Anacharſis; Picturam Philodes; ſtatuariam Phidias. Quid quod illi, qui pellendos civitate opifices ſtatuerunt, mechanicis operam ipſi dederunt. Statuarius fuit Socrates; Pharmacopola Ariſtoteles; pictor Euripides, molitor Plautus; aurifaber Ælius. Sanè utilis eſt & neceſſaria manualium artium exercitatio; ſine quâ non ſtare cætus hominum & civium conſociatio neque tueri dignitatem ſalutemque ſuam Reſp. poteſt. Etſi itaque Opifices non ad gubernandæ Reip. faſtigia admoveantur; non foro templiſque ſummâ cum autoritate præſideant; non debitum doctis ſapientibuſque honoris fructum præripiant: honeſtum tamen in civitate locum tenere, civiumque ordini adſcribi debent. Non ex Medico & Medico, quòd dicitur, ſed ex Medico & Agricolâ civium ſocietates conſtituuntur. Non ex Camillis & Scipionibus exercitus tantum conſcribuntur: etiam gregarii militis manu, & foſſorum ligone & calonum lixarumque auxilio, ad impetrandam victo-

a) *Exod. 36. v. 1.*

riam opus eſt. In principum vivariis, inter animoſi ſpiritus leones, timidi lepuſculi cuniculique domicilia ſua habent. In amœnis hortorum viridariis, inter fulgentes Tyriâ luce tulipas roſaſque & lilia humiles anemonæ narciſſique locum cohabent. Ita ex omnium ordinum hominibus coagmentatum eſt Reip. corpus: quod tum rectiſſimè ſe habet, cum poſitum in faſtigio caput imperium tenet; partes reliquæ, pro ſuâ dignitate ſubſunt & ancillantur. Certiſſima exſpectanda eſt pernicies, ſi equi ferocientes, excuſſo aurigâ, currum pro libitu trahunt. Ita demum cadet Reſp. ſi prærepto ſapientibus imperio, plebeis officinarum conſiliis regatur.

DIXI.

ORATIO LXXXVIII.

Sive

Diverſæ materiæ tractatus.

Mœnia habita ſacroſancta.

ROmulus Remum fratrem ex contemptu ſummi imperii muros tranſilientem juſte videtur occidiſſe. Mœnia namque pro ſacroſanctis habentur, quibus injuriam aliquam inferre capitale fuit. Ideoq. Ovid. 4. Faſt.

Neve quis aut muros, aut factam vomere foſſam
Tranſeat; audentem talia dede neci.

Præcipit idem Pomponii lex: ſiquis violaverit muros, inquit, capite punitor. Sicut quis tranſcenderit ſcalis admotis, vel aliâ qualibet ratione. Nam civibus Romanis alia quam per portas viâ agredi non licet, cum illud hoſtile & abominabile ſit. Et Ulpiani: *Qui perforaverit muros, vel inde aliquid abſtulerit, peculiatus actione tenetur.* Ideoque nemini antiquitus (Tacit. 5. Hiſt.) muniendi jus competebat, niſi cui id princeps indulgeret.

Ideo-

Ideoque cum ſub Cæſarum eſſent imperio, Iudæi empto jure, ſtruxere muros in pace, tanquam ad bellum. Quod cum non attenderet *Agrippa R.* in gravem incurrit *Claudii* Principis indignationem, quod inchoata Hieroſolymæ munitione res moliri novas videretur. Neque barbari quidem Indiarum Reges hoc dominationis arcanum ignorant: quorum *Tarnatæ* & *Moluccæ* Principes, inito nuper cum Belgis fœdere, caverunt, ne ullæ in ſuis regionibus arces & propugnacula exſtruerentur. Sed neque *Turcarum* Imp. qui gravi edicto prohibuit, ne quis in Macedonia, Thracia, Græcia, Epiro, Illyrico pinnato muro villam circumdet, aut domum paulo munitiorem poſſideat. Atque hoc ex Ulpiani fortè ſententia: *Muros municipales nec reficere licet, ſine præſidis principiſque authoritate neque aliquid iis conjungere vel ſuperponere.* Vt adſtruendæ, ita deſtruendæ etiam munitionis jus ſacrum eſt Principis. qui hanc ſæpè perfidis civibus mulctam irrogavit, ut diſturbatis munitionibus, nullum propulſandæ injuriæ præſidium haberent. a) Hanc pœnam *Cato Hiſpanus*, cis Betin fl. urbibus pœnam impoſuit, omnium munitionibus uno die, ipſius imperio, dejectis. b) Quem imitatus *Galba*, multas Galliarum & Hiſpaniarum, quod cunctantius ipſi acceſſerant, murorum deſtructione punivit. Ita *Valens Imp.* Chalcedonem; *Genſericus* Africæ urbes, unà Carthagine excepta: *Totilas* Beneventum; *Carolus* M. Pampelonam mœnibus nudavit. Sic nuperis annis Rupellam Galliarum *R. Ludovicus.* Et in Tubantia *Saliorum urbem* Belgæ omni munitionum præſidio ſpoliarunt: ne præbito amplius Hiſpano prædoni latibulo, itinera populoſque excurſionibus infeſtent. Pergite illuſtres Belgæ, ut cœpiſtis, & bene juvante Deo, per Cheruſcos Bructeroſque arma victricia circumferte, exſcindite infamia Hiſpanicæ crudelitatis diverſoria. Submovete à miſero-

a) *Plutarch.* b) *Sueton.*

rum hominum cervicibus execrabiles illas Harpyas, ex rapto viventes. prohibete ulteriorem ab agris vaſtitatem; à fortunis direptionem; à corporibus vexationem. Hos vos, mei Belgæ, populi genteſque obnixè rogant, villæque ruſticorum ſquallentes obſecrant. Hoc omnis poſteritas cum æternâ tui nominis prædicatione, gratiſſima recordatione proſequetur.

Princeps ad Cuſtodiam corporis adjungat ſibi ſatellites.

PArum tuta eſt ſine viribus Majeſtas. Atque hoc eſt, quod *Sigiſmundus* Alberto R. genero ſuo Civium jactanti amorum inculcabat. *Fida cuſtodia infortunium* excludit. In quam mentem Thomas Pontanus dicere ſolebat: *amorem incedere inermem; dormire tamen loricatum.* Non malè itaque ſibi & imperio *Romulus* conſuluit, cum ad cuſtodiam corporis trecentos armatos, quos *Celeres* appellavit, non in bello ſolum, ſed etiam in pace habuit. Quem imitatus *Tarquinius Superbus*, cuſtodiam ferociſſimorum juvenum ſibi adjungit, qui noctu penes regiam excubabant; die autem illius latera cingebant. Tenuerunt illum Conſules Cæſareſque morem, & Prætorianam fidiſſimorum militum cohortem, & præſidia circa latera & celebria urbis loca diſpoſuêre. Poſteriore verò ævo *Auguſtus* & *Tiberius Germanorum*; *Galba Evocatorum*; *Caligula*, teſte Suetonio, *Batavorum Equitum cuſtodiis uſi ſunt.* Sic in ſacris Saulus Regium nactus imperium, ex omni populo ter mille armatos delegit, qui ipſius filiique Regis latus communirent. Rurſus apud profanam gentem, quæ ſalutis & Majeſtatis ſuæ cura fuit! *Perſa* trecentos ſexaginta quinque Iuvenes ex nobilitate delectos ad manum habebant. *Lacedæmonii* trecentis nobiliſſimis juvenibus; *Macedones* Nobilium Liberis circa fores excubantibus; *Indi* privigilibus fœminis, & Eunuchis; hodie verò *Turca* Ianizarorum

rum copiis; *Galli* & *Pontifex* ipſe Helvetiis; alii aliis ſui corporis cuſtodiam commiſerunt. Quantum verò ex neglecta corporis cuſtodia vitæ periculum incurrant Principes, *Iulii Cæſaris* commonſtrat exemplum qui cum dimiſſis Prætorianis Militibus omnes pro tuenda Dominatione vitaque excubias negligeret, oportunum ſe conjuratorum injuriis fecit. Scilicet,

Quod civibus tenere te in vitis ſcias,
Strictus tuetur enſis.

Hoc cum de Auguſto metueret *Livia*, eum monuit, ut ſui corporis cuſtodiam exquiſitiſſimam institueret. Aſſenſit Liviæ *Mæcenas*, Principique ſuaſit, ut præſtantiſſimos equites in ſui cuſtodiam adſciſceret. Et paruit ſuadentium conſiliis Auguſtus: neque ſatellites tantum atque cuſtodes ſibi adhibuit, ſed *lorica ſub veſte munitus ferroque cinctus* in curiam ivit. Quis crederet *Ciceronem* tantam vitæ ſuæ cuſtodiam poſuiſſe: qui de ſe ipſo affirmat, quod in campum deſcenderit, cum firmiſſimo præſidio fortiſſimorum Virorum, & *cum lata inſignique lorica*, in quam irrito conatu ſicam Catilina ſtringeret.

De Veterum Aſylis.

Asylum locus eſt conſecratus, qui delicti reos ſupplicesque aut Deorum Numine, aut Principum Majeſtate tutos præſtat ab omni violentia. Appellationem à συλάω trahit: quod eſt *diripio*. Unde ἄσυλοι *tuti*: & ἀσυλία, *immunitas* ſive liberatis jus. Vnde Plutarchus *Tribunum pl.* ἄσυλον, hoc eſt, ſacroſanctum & inviolabilem dicit: cui nemini manum injicere fas erat. Hæc ſupplicum receptacula primi inſtituiſſe feruntur *Herculis nepotes*, qui veriti hoſtium, quos avus afflixerit, impetum & vexationem, Athenis *Aram miſericordiæ*

conſtituerunt; addito edicto, ut nemo inde, ſine piaculo, abduceretur. Poſt illos *Græci*, *Ægyptii*, *Thraces*, aliique in ſuis civitatibus Aſyla aperuerunt, in quibus liberum facinoroſi receptum haberent. Illos imitatus Romulus, Romæ Aſylum conſtituit: quò contractis undiquaque facinoroſis conditam recenter urbem civium copiis abundantem fecit. De quo Virgilius:

Hunc lucum ingentem, quem Romulus acer Aſylum
Rettulit. Et Naſo:
Romulus ut ſaxo lucum circumdedit alto
Cuilibet, huc, dixit, confuge: tutus eris.

Hanc ſupplicum & ſuppliciorum immunitatem pleræque gentes Templis ariſque Deorum conſecratis adſcripſerunt. Hinc Comicus: *Ego interim hanc aram occupabo.* Et Poëta Heroicus: *Ingens ara fuit, &c.* Ex eadem mente Græcus: Εἰς τὸ Θησεῖον καταφεύγοντες ἀσυλίαν εἶχον. Ejus generis perfugia fuerunt *Neptuno in Tænaro*; *Veneri in Papho*; *Iovi Servatori in Ithaca*; *Minervæ in arce Spartana*: quo fugiens Pauſanias Rex, proditionis reus, obſtructo aditu, mori inedia coactus eſt. Idem jus Deorum habuere *Statuæ* & *Imagines*: ut in Ægypto Oſiridis; in Syria Apollinis. Etiam *Heroum ſepulchra*, Athenis Theſei; in Sigæo Achillis; in Rhetœo littore Ajacis. Neque minus *Inſulæ Civitateſque* Deorum natalibus cultuque nobiles: qualis erat *Calauria*, Neptuno ſacra, quò, victis ab Antipatro Athenienſibus, fugiens Demoſthenes à regia violentia tutum ſe præſtitit. Qualis *Samothracia* Perſei Macedonum Regis perfugio nobilis in Lybia Δούλων πόλις, ſervis, ſi vel lapidem eò deportaſſent, immunitatem præſtans. Hæc ſuppliciorum immunitas, obſoleſcente Idolorum cultu, Chriſtianorum templis conceſſa eſt: quam tanti fecit *Gothorum Rex Alaricus*, ut, Roma occupata, ſalvos eſſe Chriſtianos voluerit, qui ad Apoſtolorum ædes confugiſſent: aurum etiam è Vaticano abſtractum reſtituerit.

Digitized by Google

ſtituerit. *Auguſtinus* Africæ præſidem excommunicavit, quod facinoroſum hominem à ſancto templi loco abſtraxiſſet. Inde creſcente Paparum imperio jus refugii ad *Monaſteria, Cœmiteria, Sacerdotum domos* divulgatum eſt. Tracta hæc eſt à vetere Roma conſuetudo, *teſte Gellio lib.* 10. *cap.* 15. ubi ſi quis Dialis Flaminis ædes introiiſſet, aut ad pedes ejus ſupplex procubuiſſet, à vi immunis erat. A Deorum pulvinaribus ad Principum Majeſtatem jus illud tranſiit, quorum *Statuæ* miſeris fuêre perfugium, ut eò venerabiliores ipſi ſanctioreſque populo viderentur. Apud *Alexandrinos* olim, ſervi ad Ptolomæi Statuam confugientes nexu ſolvebantur. *Theophilus* verò Imperator tantùm Mariæ, Filiæ defunctæ, honoris tribuit, ut illius ſepulchrum cujuſcunque flagitii refugium præſtiterit. Sed in caſtris quoque *Principum ſigna*, & in itinere proficiſcentium *Rheda*; *& Regum domus* tutum etiam nunc miſeris receptum præbent. Romuli verò Aſylum omni ſine diſcrimine turbæ patebat: ideoque totius Italiæ ſentinam, quotquot aut fortuna egentes, aut vita turpes & exiſtimatione damnati eſſent, in urbem ſuam contraxit. Quod meritò arguit Satyricus Sat. 8.

Et tamen ut longè repetas, longeque revolvas
Nomen, ab infami gentem deducit Aſylo.

Divina lex Aſylorum jus & poteſtatem limitibus circumſcribit arctioribus, neque quemquam admittit, niſi quem aliena à peccatis mens ſtudiumque excuſat. Ideoque *Exod.* 21. abſtrahi ab altari ad ſupplicium jubetur, qui per induſtriam proximum occiderit. Sed ethnici etiam Principes nimiam circa Aſyla licentiam & impunitatem abrogarunt. Quorum *Auguſtus* Dianæ Epheſiæ templum refugii jure ſpoliavit, ne ſpes impunitatis flagitiis conſciſcendis anſam præberet. Quem ſequutus *Tiberius*, ut Tacitus author eſt, *lib.* 3. *Annal.* cum templa peſſimis ſervitiorum, reiſque cri-

Digitized by Google

minum capitalium compleri audiret, jus omne moremque Aſylorum abolevit. *Iuſtinianus* verò Imp. coërcita immunitatum poteſtate & amplitudine, juſtam Aſylis medicinam fecit, cum homicidas, adulteros, virginum raptores refugiorum privilegio ſpoliavit. Ius igitur Aſylorum non datur injuriam facientibus, ſed paſſis. Et rectè de toto Aſylorum jure *Philo Iudaos*: Hominibus nefariis in fano *jus Aſyli* non debetur.

De Vini potu Fœminis interdicto.

MIremini, Auditores, præſtantiſſimæ potionis uſum fœmineo ſexui interdictum eſſe? atque confirmat hoc M. *Catonis* authoritas: qui fœminam à viro judice, ob potum vinum mulctatam fuiſſe refert. Suffragatur Catoni *Gellius*: qui priſcos rerum Italicarum hiſtoricos ſcripſiſſe ait, Mulieres Romæ atque in Latio ætatem abſtemias egiſſe. Apponit ſuum *Valerius* teſtimonium: qui vini uſum Romanis olim fœminis ignotum fuiſſe dicit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur. Neque minus *Plinius*: Non licebat fœminis vinum Romæ bibere. Atque hinc inſtitutum Romæ fuit, ut oſculum mulieribus cognati ferrent, & odoris indicio continentiam explorarent. De hoc more Satyricus:

> *Pauca adeo Cereris vittas contingere digna,*
> *Quorum non timeat pater oſcula.*

Præter præſtantium hominum teſtimonia & authoritates, nota ſunt illorum exempla, qui convictas bibiti vini mulieres obtruncârunt. Inter illos nobile eſt *Egnatii Metelli* nomen: qui uxorem, quod vinum è dolio bibiſſet, fuſte interfecit. Neque impunè tantum hoc illi fuit; Romulus eum bono feciſſe exemplo judicavit. Alia magna natu matrona à ſuis inedia ad mortem compulſa eſt, quod loculos, in quibus vinariæ cellæ claves erant, reſi-

reſignaſſet. *Cneus* verò *Domitius* mulierem, quæ viſa eſt plus vini bibiſſe, quàm valetudinis cauſa deceret, dote mulctavit. Quæris quo potu ſitim ſedaverint? præter Acholeïa pocula, murinam bibebant aut paſſum; ſed ſapam etiam & defrutum, aliaſque potiones tum guſtu dulces, tum viribus imbecilles & languidas. Neque Romæ tantùm ſubtracta fuit fœminis temeti potio: *Maſſilienſibus* etiam lex fuit, mulieres vino abſtinerent: quod apud *Mileſios* quoque in more fuiſſe, Theophraſtus teſtatur. Quid verò cauſæ fuit, quod muliebris ſexus, apud Romanos maximè, ita ſeveris legibus à vini potione prohiberetur? De eo *Athenæus* refert: quod Hercules Italiam peragrans, & labore æſtuque confectus, ex itinere ad hoſpitem quendam devertit, & ab illo reſtinguendæ ſiti vini poculum ſuppliciter flagitaverit. Excipit Herculem Paterfamilias, uxorique jubet, ut precioſiſſimi lagenam vini depromeret, hoſpitique illam ſitibundo porrigeret. At mulier moroſa tenaxque ad rem, lagenam ſtatim occuluit, Herculeque, ſi vellet, aquam ſumere proximo ex fonte, mandavit. Eò iratus Heros, maritum impensè laudavit, mulieri verò vini uſum poſthac interdixit. Quod ad omnes poſtea regionis illius perveniens fœminas, univerſam poſtmodum uſu, ut ſolet, Italiam occupavit. Sed hæc Athenæi narratio Poëtarum redolet figmenta. Veram prohibiti vini cauſam *Valerius* tradit l. 2. cap. 1. *ne* ſcilicet *ſexus debilior in aliquod dedecus prolaberetur: quia proximus à Libero patre intemperantiæ gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſuevit.* Ut namque friget ſine Cerere & Libero Venus; ita, pudicitia, tanquam ſpoliata munimento civitas, difficulter ſe tuetur, quando obſeſſa vino, mentem & verecundiam depoſuit. Igitur Apoſtolus Epheſios monet: *Ne vino inebrientur, in quo eſt luxuria.* Senſit idem Alphonſus, qui rogatus à ſuis, cur vinum adeò damnaret. *Quia*

ſcio, inquit, *furorem & libidinem ebrietatis eſſe Filios.* Laudem itaque meretur Romulus, quod prohibito fœminis vino, ſuum libidini nutrimentum ſubtraxerit, ne ſub hoc illa deliteſcens fomento, violandi pudoris habeat aditum. Ut verò capitalem bibiti vini pœnam non probo; ita neque credere poſſum, morte uxores fuiſſe mulctatas, quæ vinum hauſiſſent. In quâ me confirmat opinione *Cicero, qui non tam ſupplicii metu, quàm verecundia diſciplinæ temeto mulieres carere dicet.*

An Ius Civitatis communicare licet cum peregrinis?

MUltæ fuerunt priſco ævo gentes, quæ veritæ ſui nobilitatem generis, & majorum inſtituta ritusque advenarum commerciis inquinatum iri, omnibus civitatem peregrinis interdixere. Inter illas *Lacedæmonii* primas tenuêre, qui tenaciſſimi patrii ritus, ex Lycurgi inſtituto, neminem niſi ſuæ ſtirpis hominem admisêre. Et tantum quidem iſti genti peregrinitatis inſedit odium, ut adoleſcentem graviter increpuerunt, *quod viam noſſet, quæ in Pileam duceret vicinam.* Non minus in peregrinos odium *Thebani* conceperant, advenas omnes ſuæ civitatis jure adituque prohibentes. Et *Athenienſes* quidem tantam ſuo generi ſanguinique nobilitatem adſcripſerunt, ut nullum in civium numerum cooptarent; niſi aut perpetuo domi exilio mulctatus eſſet, aut ob certæ artis profeſſionem cum domo familiaque ad ipſos commigraſſet. *Carthaginenſium* in primis notatur ſævitia, qui mari illos demergebant, quos in Sardiniam aut Herculis adnavigaſſe columnas cognoſcerent. Quàm exoſos habuere peregrinos *Indi Scythæque*: quorum illi tridui tantum hoſpitium advenæ conceſſerunt, iſti autem peregrinos omni vitæ commercio prohibuerunt. Magna fuit harum

rum gentium immanitas: quæ illas & plurimis vitæ fruendæ commoditatibus privavit, & quibuſdam etiam perniciem attulit. Melius ſanè Romulum civitati ſuæ proſpexit, cum victos ut amicos tractaret & communicata cum advenis civitate, cum copiis abundantem, multitudine florentem effecit. Malo hoc Taciti verbis dicere, quàm meis: *Quid aliud exitio fuit Lacedamoniis atque Athenienſibus, quanquam armis pollebant, niſi quod victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus tantum ſapientia valuit, ut pleroſque populos eodem die hoſtes, dein cives habuerit.* Et idem: *Iam moribus, artibus, affinitatibus noſtri mixti aurum & opes ſuas inferant potius, quàm ſeparati habeant.* Age verò, videamus, quam exitialis fuerit Lacedæmoniis & Athenienſibus illa peregrinæ ſtirpis abjectio, quàm ſalutaris Pop. Romano ejuſdem inſitio. Victi ſunt *Lacedæmonii* prælii unius caſu adverſo: quia victos illi oderant, & ſcribendo acciſis legionibus ſupplemento civium copia deeſſet. Nam poſt acceptam ad Leuctra cladem, amiſſoſque mille & ſeptingentos viros, nunquam poſtea potuerunt civitatem in integrum reſtituere, Imperio turpiter amiſſo. Eâdem ad Cheronæam *Athenienſes* fortunâ cum Macedonibus certarunt, unicoque victi prælio libertatem ſimul & Græciæ principatum perdidêre. Et cum Romano Populo *Carthaginenſes*, qui Africani ductu, profligato ad urbem ſuam Aſdrubalis exercitu, non alium ducem, non exercitum, quem hoſti opponerent, habebant. Vnicum in Annibale ſalutis poſitum erat præſidium. Fatetur hoc Dux ipſe, cum in Senatum accerſitus, *non prælio ſolum, ſed bello victum ſeſe, neque ſpem ſalutis alibi, quàm in pace impetranda, diceret.* Vnde tanti toties, tanquam ex cineribus, reparati exercitus? unde tam expedita militia, tam numeroſæ ſcribendis ſupplementis copiæ? unde, niſi ex Civium abundantia, quæ adſcitis

peregrinæ ſtirpis hominibus in immenſum excreverat. Iſta *Alexandro M.* mens fuit, qui deſcripto Alexandrinæ urbis pomœrio, eam parvo temporis ſpatio civibus frequentem, copiis abundantem effecit, cum novi advenæ ad propoſitum immunitatis ſignum magnis undiquaque agminibus confluerent. Fuit *Theſeo* primo Athenarum conditori, qui invitatis ad novam urbem peregrinis, contractiſque advenarum copiis, magno opum cumulo ſuum brevi imperium auxit. Fuit *Venetis*, qui in urbis ſuæ vaſtitate, exhauſtis peſtilentia civibus, alienigenis civitatem largiter obtulerunt. Miraris cur præ reliquis Belgii populis Batavia, & in illa receptaculum illud, & promptuaria opulentiſſimarum mercium cella, *Amſtelodamenſis Civitas*, tantùm terra marique etiam in alieno orbe, ſtupente terrarum orbe univerſo, valeat? Advenis portus portaſque aperit, advenis hoſpitium præbet, advenis ingenuorum civium jus & dignitatem concedit. Neque opulentia tantum & firmitudo Civitatis ex hoc fonte redundat, etiam boni mores & liberalium artium ſcientiæ, & conſtitutum rectis legibus imperium inde ſæpe manavit. Nam cum *domi ſua in contemptu verſetur Propheta, alibi gratus honoratuſque*; optimus quiſque peregrè vivit; non quod pulſus fuerit; ſed quod ad meliorem virtutis cultum emigraverit. Vixit in Athenienſium urbe *Ariſtoteles Stagirita*; *Theophraſtus ex Ereſo*; *Strato è Lampſaco, Glycon ex Troade*; *Zeno Cittenſis*; *Diogenes Babylonius*; *Antipater Tarſenſis*; *Anacharſis Scytha*. At quàm amplam ſcientiarum meſſem à præſtantiſſimis iſtis Viris Athenæ & Græcia univerſa collegêre. Exulavit Romæ ab Epheſo profugus *Hermodorus*: at quantum ab iſto viro commodum Romani decerpſerunt, cum Decemviris XII. Tabularum leges condere auctor adjutorque eſſet. Fatebuntur *Athenienſes* optimè ſibi ceſſiſſe quod alienæ ſtirpis *Erichteum* Regem ſumpſerint; quod

quod *Apollodorum Cycicenum* & *Heraclidem* Claromenium bello in hoſtem gerendo præfecerint. Agnoſcent Romani præclariſſimè de ſe meritum eſſe *Tarquinium Priſcum* Corintho oriundum; *Balbum Gaditanum* Garamantes debellantem; *Trajanum* Hiſpanum omnium Virtutum conſummatione illuſtrem. Efferret confœderata Belgarum natio perpetuo laudis præconio Naſſoviam Principum gentem: quæ Teutonum alienigenâ de ſtirpe ſua adverſus Hiſpanicæ crudelitatis aciem latera fortiter oppoſuit, enſes jugulis noſtris intentatos mirâ virtute repulit; Reip. libertatem, Eccleſiæ religionem, civibus quietem præſtitit.

DIXI.

ORATIO LXXXIX.

ENCOMIUM ALCMARIÆ

Habita à

TIBERIO PUTEANO.

Alcmariano.

ALMERIÆ *Cives, famâ ſuper æthere noti,*
Hic veſtrum eſt, partas animis comprendere lauros,
Et cœli clementis opus; Divûmque laborem
A teneris Batavi imperii perdiſcere ſummam.
Tu nobis, Thymbræe, faces ac lumina præfer
In tenebris. Pleno ſtagnet mihi gurgite Cyrrha
Caſtaliuſque lacus. Non dira hic fercla Thyeſtæ,
Non Terei infauſtos verſu cantabimus artus.
Non gemet hic captivus Arar; non, Sylla, triumphis
Erigeris. Non hic, ceu quondam, longius urbe
Tybris abes, tua Fata dolens. ALCMARIA *plauſus*

Ingeni-

Ingeminat facunda ſuos, molemque laborum
Miratur, ſtimuliſque agitat præcordia Virtus.
Naſsöas acies, pulchri certamina Martis
Hic cano. Pieridum ſacris digniſſima lauris.
Ut gelidam lunâ quondam regnante per Arcton
Flammiferæ cedunt animæ, Phœboque repulſo
Æmulus adverſo mundus ſcintillat ab igne.
Arcturi cum ſordet honos, cum Scorpius acer
Pallet, & alatis franguntur crura caballis:
Haud ſecus Almeria, Phœbo meditante triumphos,
Numina cuncta ſilent; ceſſantque in pulvere Circi
Aonides ſola Batavos cantare perita.
Semideos ubi tollit avos gens inclyta faſtis,
Ac ſeptem geminis victrix redimita coronis
Aurifero dat juſſa Tago, & felicibus armis
Sub pedibus Caleat Morinos. Ubi Martia fulgent
Mœnia, & Aonio ſplendent jam tecta pyropo.
Hic Superi ſua Templa tenent. Hic, aſtra relinquens,
Obtinet optatos felix Aſtræa penates,
Cœlicolis & tecta patent. Ne maxima Patres
Objicias mihi, Roma, tuos. Sunt altera nobis
Pegaſidum delubra chori, & ſpatia ardua Muſis.
Hic alios mirare deos. Hic penderat æquis
Fata hominum Themis æqua oculis. Hic fœdera Pacis
Blanda ſalutiferis recitat Concordia templis.
Quodque unum è multis, hac unâ clauditur urbe,
Socratici quicquid potuit facunda leporis
Suada loqui, aut Grajum, Latio indignante, vetuſtas.
Hic reperis, quas non gemino ſub ſidere Ganges
Volvit opes, quas non tepidis gemmatus Hydaſpes
Donat aquis; quas horret Arabs; quas maxima mundi
Dives opum Regina ſtupet. Sunt ſcrinia nobis
Palladiis facunda bonis, tabulæque capaces
Heroum, meliore luto quos finxit Apollo.
Felices Batavi! Tuque ô pulcherrima nobis,
ALMERIA! *è paucis cui tantum divite venâ*
Cyrrha ſuos aperit latices & ſacra Minerva.
Hic Lepidos pulchros, hic Craſſos, nomina priſca,

lacta-

Iactamus. Quales olim mirabitur ætas
Ventura, & Præſens ſæclum transſcribit Olympo.
Urbs, Batavi lux alma ſoli! lux ſera Nepotum,
Non Ego te pigra gelidâ regione Brotes
Quæſierim. Scythicæ te non tenuere pruinæ;
Non Titane rubes ſero; non lampade ſiccâ
Te Lybiæ exuſſere faces, aut regna Canopi.
Te, cum cuncta ſuis Genitor diſponeret oris,
Omniaque ad nutus aderant, Phœbum inter & Arcton
Excelſam, in Batavis poſuit. Ne Sirius herbas
Ureret, inque tuas fureret Vulcanus ariſtas.
Ne te urgeret hyems acris. Tibi temperat æſtus
Frigoribus natura parens. Tibi lumine fauſto
Exit ovans Phœbi ſonipes; Tibi ſervit Olympi
Machina, & in ludos Sylvarum es fertilis arbos.
Quàm te blanda Pater viridanti gramine cingit
Undique! quàm facunda Ceres ſuccreſcit ariſtis
Maturis; quàm floret ager! quàm paſcua paſſim
Lanigeræ tondent pecudes! quàm læta pererrant
Flexipedes dumeta boves? quàm ludicra rerum
Pagina, & ingenii ſurgit melioris origo!
Martius hic campo ſonipes ſeſe arduus infert,
Bella ſuis ſpirans oculis, ſpumantis habenæ
Impatiens. Nondum conſpectum irrumpit in hoſtem,
Imbelleſque inter pecudes, bellacia fuſis
Extendit ſua colla jubis, fera prælia tentans.
Almeriam Baja ſtupeant, Latiumque tremiſcat
Hujus opes, hujuſque apices. Huic Itala tellus
Florentes ſubmittat agros. Huic præmia laudum,
Huic ſummus debetur honos. Saturnius ipſe
Quam colit, atque ſibi junctam Campania vellet.
Æquoreis das jura vadis. Tuque æmula regnis
Regna tenes. Non jam priſcâ Carthagine nobis
Eſt opus, aut Patribus Venetis intendere litem
Propter mille annos, ac tanti ſæcula regni.
Siſte gradus hic, Phœbe, tuos. Faſtigia famæ
Muſa nequit demiſſa ſequi. Succedimus orbi

In numerum, & magnis æquamur manibus Urbis.
O ſi Palladiis liceat mihi tendere nervis
Barbita! Caſtalio valeam ſi ſingula plectro
Complecti! ſi facta queam præclara Parentum
Mæoniâ pulſare chely. Tunc alite penna
Erigerer, cuperemque novem ſuperare canendo
Pegaſides, veterumque ſacris intexere Belgas.
Vos Canerem Heroo clarum qui ſtemmate ſtemma
Ducitis, & Batavum famam plus tenditis ultra.
Herculeâ qui monſtra manu domuiſtis. & atras
Stymphalidas, tripliceſque Canes, Hydraſque renatas.
Non decios, Gradive, tuos, non fulmina belli
Scipiadas, narra nobis. Hic altera cernis
Pectora Semideum, quos totum fama per orbem
Evehit, & rutilit. Sapientia deſtinat aſtris.
Hic illos licent generoſa in ſtirpe FORESTOS
Cernere: quos geminos Virtus extollit ad axes,
Et noſtris longè terris ſemovit & aſtris.
TEYLINGOS *hic Muſa canit, Clariſſima mundi*
Lumina: quos prono curſu in Capitolia ducit
Poſteritas. Veſtra hic partes, NEOBURGE *mearum*
O Columen rerum. Tuque ô, Cui plurima debet,
VRYBURGI, *mea nunc Pietas, & ſanctus Apollo,*
Cana fides, & noſtri omnes uno ordine Achivi.
Hannibalem, Carthago, lite, belloque petentes
Scipiadas, Fabios totidem, forteſque Camillos,
Quoſque mea toties celebrarunt ore Camænæ.
Hoc plures, Carthago, ſumus. Nos Pallade utraque
Vincimus, & terras omnes laus noſtra fatigat.
Obruimur famâ ingenti, ac molimine rerum
Tantarum. Nil, Muſa, vales, pro viribus iſtis,
Certare, & patulo laudum ſatis ire Theatro.
Regum æquamus opes animo. Nos Pallas, & omnes
Palladii Cecinere chori. Stupuere petentes
Semidei; Stupuere omnes per ſæcula gentes

Alme-

Almeria decus & famam, qua nubibus exil
Æthereis, ſpatiumque ſui haud capit ipſa decori.

DIXI.

ORATIO XC.

ALCMARIA OBSESSA.

Habita à

CORNELIO BACKERO,
Alcmariano.

NOn mihi Romulidæ pugnacia robora Romæ
Objicias, Gradive Pater. Non Pergama jactes
Cælicolum ſtruxiſſe manus. Sunt altera nobis
Pergama, digna Deo. Quamvis ab origine Teucrûm
Nec Danaûm numeremus avos, & ſanguine ab illo
Progeniem. Gliſcit Batavo ſub ſidere Roma
Altera, opum legumque parens. quæ plurima mundo
Militiæ documenta dedit. quam fœmina miles,
Quam Stenobaa ferox pulchris defendit in armis.
Sic honor eſt pugnaſſe Duci. Sic caſſide vultum
Ferratâ velaſſe juvat. Cum pellitur hoſtis
Barbarus, & ſpoliis Majeſtas ſurgit opimis.
Cum Regis ſtat ſalva ſalus, ferrique reſedit
Impetus, ac clypei curvis mutantur aratris.
Hoc Curiis Fabiiſque Decus. Laus iſta Camillis
Obtigit. Hic celebris fama ſe pandit arenâ.
Siſtite, Scipiadæ. Veſtri præconia Fati
Non capit imbellis vates. Licet aëra pronus
Icario temone petat. Vos nubibus ipſis
Longiùs inſeruit Deus, & ſecrevit ab orbe,
Terrigenumque oculis. Non nos Mavorte minores,
Non aliqua Virtute ſumus. Submittere ſeſe
Gaudet Iava ferox, & fertilis incola Gadum.

Nos

Nos aluit Bellona ſinu, dedit ubera Pallas,
Et docuit præcepta tubæ. Procul oderit arma
Boſphorus, & multis uſtus fervoribus Indus.
Majeſtas Batavûm, pulcherrima filia VRONÆ,
ALMERIA, *Aonidum hoſpitium; quam plurimus Hector*
Eſſe ſuam gaudet; toties quam purpura Regum
Extulit, & proprio Pallas dignata cubili eſt;
Victrix tolle caput terris, & reſpice, quanta
Vis animi virtuſque tibi; quàm ſtemmate priſco
Cingant laurigeram cæleſtia ſidera frontem.
In laudes, Europa, tuas, Alcmaria, tota
Non ſatis eſt. Bellona tuos ſtupet uſque triumphos.
Unius tu, terror eras, & cura Philippi,
Fama Caninefatum. Te ſolâ vindice major
In populos extat Virtus. Tibi Carmina Vatum
Æternas ſpondent, poſitâ formidine, Lauros.
Te, Pietas intacta ſtetit. Tu protegis aras,
Roſtra, Forum, Delubra, Focos, Ædemque Laremque
Jura Themis, Mars tela dedit. Cum Milite Pallas,
Cum Ducibus Suadela comes, cum Principe Conſus
Ambulat, & Faſtis veterum tua nomina creſcent.
Libertatis amor docuit fomenta furoris,
Et pugnæ præcepta dedit. Vos pectore porrò
Pellite ſegnitiem. Tutores Patria tales
Poſcit, & amplexu Batavi gaudemus in illo.
O caſus fatique vices! Iam terra remugit
Sub pedibus, trepidante ſolo. Tremefacta Napææ
Numina, nec ſolito ſylvarum in gramine lætus
Iam paſcit Melibœus oves. Iam fugerat Ægle
Najadumque chorus latè convallibus imis.
Iam nimium vicina Tago mea Mantua. Torrens
Spumeus ut rapidis ventis agitatus & iris
Sævit, & oppugnat violento flumine ripas:
Sic frendet Leo Battavicus. Cum ſanguine tellus
Tota madet; flammamque cavis fornacibus efflat.
Nox erat, & croceos tenebris involverat ignes

Heſpe-

Heſperus. obſcuram madefacta papavere frontem
Corpora feſſa jacent: Quorum radiantibus aſtris,
Pinxerat alma quies thalamum; cum mania primum
Cantaber, & noſtros obſedit milite campos.
Non aliter, quàm ſi, Divùm de ſtemmate natus,
Amphitrioniades animis turbatus & iris
Scandit Aventinum demens; ac cæde tepentem
Luſtrat humum. Raptas pecudes ubi Cacus agebat
Semivir, & carie pendebant lurida fixis
Poſtibus Oſſa virûm. Crebris ſic ictibus urget
Monſtrum ingens. Mox: ô Socii, cum mania cernit,
O Socii. mecum, inquit, mecum ſcandite muros.
Ingens ſcena patet. Nobis communis Erynnis,
Atque ſalus communis erit. Carthaginis alta
Ilion in manibus noſtris. Hac nuper in orâ
Hac ſtetimus regione Viri. Cum Conſule fuſo,
Dextra cruentatas macularet ſanguine Cannas.
Ite Viri, ferte arma, Viri; ſpoliate colonum
Meſſibus, & tremulo Vulcano abſumite Civem.
Sic pugnare juvat. Vobis ſic pravius ibo
Ductor, & in mediis figam tentoria campis.
Dixerat. Horribilem incendunt taratantara pugnam.
Incaluit Mavortis amor; crepat undique flammis
Irritata cohors, & tela minantia telis
Miſſa volant. agitat ferri violentia cunctos.
Interea vigil excubitor ſpeculatur ab alto,
Et bellum lituis animat, ferrumque miniſtrat.
Tota ſtupet per rura phalanx, ut militis iram
Accenſam videt, & terras cœlumque moveri.
Ibat mæſta nurus, lacerans crudeliter ora,
Spemque dedit dubia menti. Tremuiſtis Athenis
Vix majus, veſtros venit ut Populare penates
Medus, & in vaſto fluitaret Gracia Ponto.
Viderat intrepidus Naſſoo ſanguine Princeps
Cuncta geri, & magnâ preſſos formidine Cives
Quos ſic alloquitur: Vos, ô quibus ulla nepotum
Gloria monſtrat iter fama, Laudumque theatrum,
Huc

Huc fortes properate manus. Date tela faceſque,
Et Libertatem paribus defendite dextris.
Ardentes armate trochos, armate veneno
Pinniferam jaculi ſegetem. bellique labores
Suſtentate, Viri. Novit proſternere, quiſquis
Non veniam ſperat victus. Cui turpius inſtat
Servitium, morti potius, quàm cedat Ibero.
Vix effatus erat. Gliſcit fiducia belli,
Pugnandi nova forma venit. Stetit omnibus ardor
Ire per ora virûm, per pallida funera tabo.
Nulla mora eſt uſquam. Medio ſpectatur in hoſte
Martia Naſſovidum proles. Cui murice tinctus
Ardebat generoſus apex, & Iaſpide pulchrâ
Serica Sidonio radiabant ſtamina filo.
Iam dederat pugnæ ſignum Gradivus ab arce;
Et damnoſa vomunt ſua nunc incendia Muri.
Spicula torta ſonant. Telorum ferreus imber
Antevolat vibratus aves, atque aëra tranat.
Lethiferi crepitant arcus, glans plumbea tactu
Cuncta trahit, ſervatque ſuum metuenda tenorem.
Ut quondam Enceladus jaculatus montibus ornos,
Tellurisque globos, veſtam miſcebat olympo
Turbine terribili. Pariter ſic Cantaber urget,
Et furor in curſu eſt. Nuſquam trux ira remittit,
Pars aëri mucrone ferit; pars doctior arcu
Intorto, rumpit lethali vulnere ferrum.
Fervet opus, pariterque ruunt in vulnera Mauri,
Et Batavûm generoſa manus. Per tela, per enſes
Quiſquis agit, memor irarum juriſque paterni.
Protinus in turmas, medioſque infertur in hoſtes
Almeria pubes generoſa, atque intonat armis.
Multa cadit magna Matri, mirabile viſu,
Victima Caſorum. Multos in ſanguine Cerno
Semianimes ſperare necem, & ſe dedere morti.
Anceps pugna diu; certant concurſibus æquis
Heroes, flagrantque ſuis nova Tartara rurſum
Auſpiciis. Nutant ipſo delubra fragore
Armorum, ſonituque tubæ, lituiſque cruenta

Bello-

Bellona, in populos quæ multum immane minatur.
Vulnerat Æneas Danaos; jaculatur Haleſus
Glande venenatâ Dryopen. Iam miſſile ferrum
Ingentem Pallanta quatit. Superadvolat haſtâ
Aſtur, & interſit guttur clamantis Iberi,
Ipſe Gubernator magnas dum pectore curas
Volvit Arauſiacus, ſcandenti mœnia crudum
Tranſadigit mucrone jecur, gladiumque receptat
Fervidus, & calido conſperſit membra Cerebro.
Ille cadens, gelidis ſingultibus ilia laſſat,
Et queritur crudo labefactas corpore vires.
Hic clades, Tarteſſe, tuas, & buſta tuorum
Adſpicis attonitus. Nec poſt hæc credere Belgas
Degeneres nimis eſſe puta. Fortiſſima Corda
Hoc Cœlo tibi nata vides. Vetus Herculis ara
Hac etiam meruit generosâ in Gente locari.
Nec jam Scipiadas veteres mirabere tantum,
Roma potens, Decioſque tuos: quibus Africa tellus
Læta triumphali redimivit tempora Lauro.
Nec tantum Herculea nobis eſt gloria clava,
Et priſca laus iſta Schola. Sub ſidere, & axe
Arctoo, plus Belga valet. Vileſcitis ultrò
Barbarica turma peditum, duraque phalanges.
Non mihi pellæum Iuvenem, ſive Hectora fortem
Ponite, & antiquæ Gentis memorabile bellis
Exemplum. Batavi multò majora quotannis
Nos monumenta domus fama feliciter acta
Tigris & Euphrates nobis ſolennia mittunt
munera, Dives Arabs & Ganges, ultimus Orbis,
Cum Rheno pariter ſociant Commercia vitæ
Communeſque Fori leges & fœdera ſervant,
I nunc, & Batavos inter caput exere cœlo,
Urbs dilecta Deo, & populis celebrata remotis,
ALMERIA, *In Cujus famam tituloſque Philippi*
Aſſurgunt toties victi; Genſque efferа, cœlo
Longinquo, ſtupuit tantos mirata triumphos.
Magne Deus! Tibi vota animi cultumque frequentem

Debe-

Debemus meritis pro tantis. Gloria ſoli
Sit Tibi, Qui ſeros in Relligione nepotes,
Libertate Forum, & Templis Auguſta tueris
Numina, Palladiamque facis revireſcere Laurum
Et nobis iterum, poſt Bella atque aſpera rerum,
De cœlo latos olim dabis ire Triumphos.

DIXI.

ORATIO XCI.

ALCMARIA LIBERATA

Habita à

GUALTHERO LANSCHOT.

Nob. Batt.

VIctrices ceſſate acies: horrentia tandem
Arma trucis ceſſate Erebi, voſque agmina dira
Eumenidum. Pax læta animos & corpora verſat.
En vaga pallentem campo fuga volvit Iberum;
Concuſſaque iterum vires, iraque minaces
Cantabrica. Victrix Batavum res inclyta fato.
Arma, coruſcantes clypei, crepitantia ferra,
Fulmineique globi, lunataque ſcuta per agros
Undique ſparſa jacent. Spolium poſt terga relictum,
Exuviaſque ſuas hoſtili in littore cernit
Heſperus, & bello dextram deſpondet inermem.
infelix miles. non par congreſſus Achilli,
Nec potis, Auriacis coram, decurrere caſtris,
Fertur in arva furens; Troja & ſub mœnibus altis
Lethiferum accepiſſe volet ſub viſcera ferrum.
Sævit dira mali facies. Stant æthere flammæ,
Et nubes glomerat flagrantes Ætna ſub auras,
Turbine confuſas nigro. rutilaque favillâ;
Torrenteſque vomit tædas, denſaſque tenebras,

Viſce-

Viſceraque eructat ruptis diſcerpta caminis.
Atque immane fremens ardentia ſaxa minatur,
Sulphureaſque animas halat. Cœlum omne remugit.
Interea via fit pedibus, fugientibus inſtat
Belga ferox, tantoſque animo verſare triumphos
Incipit, & fuſo requiem ſperare cruore.
Invenit ſpes noſtra viam. Victoria Belgis
Annuit, & domito Patriam defendimus hoſte,
ALMERIÆ *Proceres. Sic, debellate Philippe,*
Nunc Sceptri ſtat meta tui, famaque vacillat
Majeſtas auguſta tua, nomenque tuorum.
Reſpice tot domitas acies, tot buſta rogoſque,
Quos rapuit vaga flamma viros, quos Fœmina ſtravit
Imbellis, non natairis animoque virili.
Magnanimi Cives, quam nunc, mirabile dictu!
Mutata eſt rerum facies, avique ſequentis
Conditio! quàm pulchra ſui cadit alea Fati!
Hac factis, Gradive, refer. Sic vincere pulchrum eſt,
Sic pugnare libet. Sic, ſic ulciſcimur umbris
Grande nefas. Sic nos ſcelerato à ſanguine pœnas
Poſcimus, & lauros nobis hederaſque renaſci
Cernimus, & multa famam regione tuemur.
Libertatis amor redit in præcordia victis,
Et tandem à Superis, charo cum Caſtore Pollux,
Huc ades, & populo rurſum atria priſtina pandis.
Nulla ſalus reliquis ſupereſt. Occurrit ovanti
Maurus, & antiquam laſſus faſtidit arenam:
Plaudite, Pegaſidum Comites, modulamine dulci,
Et Phœbi lætetur apex. Dulcique ſuſurro
Siderium reſonet cœlum roſeuſque quadrigis
Æquoreis Sol ſurgat aquis, croceumque cubile
Linquens, flammifero latus temone coruſcet.
Quique natat mediis Nereûs violentus in undis,
Exerat hôc pelago caput, æquora turbida pacans.
Tuque, benigna Pales, Vos Sylvæ, amneſque Lycæi,
Vos Dryades, Faunique leves, Satyrique bicornes
Nectite ſerta mihi. Phœbo ſua porrigat Hebe

Pocula

Pocula, & in latas ſe voces ſolvat Olympus.
Exultent hilares, per florida rura, Napaæ,
Intonſique volent crines per eburnea colla,
Et niveos cingat ſtellata corona capillos.
Dulce ſonent cœli ſpatium per inane volantes
Remigio volucres. Valles, colleſque ſupini
Ignaros operum condant modulamine ſoles.
Pande tuos, ô Phœbe, lares: nunc aurea ſurgunt
Tempora; nunc viridi quiſquis projectus in antro,
Nobile Pieriâ carmen meditatur avenâ.
Aonidum nunc gliſcit amor, vigilataque ſurgunt
Bella, Palatinâ cinguntur tempora lauro.
I, pete Sarmatico ſub ſole, Vacuna, pruinas,
Extra anni ſoliſque vias: ubi pandit hiatus
Scylla ferox, immane latrans. ac lancinat artus
Segnitie tardos, multoque abdomine pingues.
Pieridum nos laſſat ebur, Phœbique fatigat
Cura animos: Cyrrha fontes & ſacra tenemus.
Iam docta plaudunt Nymphæ, ſtimulantque juventam
Gaudia. Libertas jam nunc reſpexit inermem
Hic Batavum, in Faſces illum ſceptrumque reponens.
Felices nimium Belgæ! felicia nobis
Sidera! nunc rigidi, poſt rauca tonitrua, Martis
Arma ſilent, ſanctoque quies nitet aurea vultu,
Auſpiciis, GUILIELME, tuis. Nunc cerne Penates
Antiquos, intacta Fides. Nunc ſacra reſultent
Lætitiâ Delubra Dei; Probitaſque Pudorque
Ad priſcos migrate lares. Succedite tecti
Semidei, noſtrumque decus convallibus imis
Fama ferat, toties ſiquando reſultat imago
Auriaci, & clarâ Almeriam ſub luce vetuſtas
Inſerit attonitis venturi annalibus avi.
Diva Themis, Divûm Pietas, nunc ſparge per orbem
Ambroſia dulces ſuccos; nunc nectare vivo
Irrora noſtros animos, & pectora nutri.
Nunc & Apollinei revireſcat fama decuſque

Numi-

Numinis, & Cytharam ne nunc ſuſpendat inertem.
Infremuêre ſatis Mavortia caſtra; cruentos
Caſſide ſat torvâ texit Bellona capillos.
Sat lituis hoſtique datum; ſat prata biberunt
Sanguinis innocui. Tellus tremefacta cruore
Erubuit, rigidis horrendaque machina bombis
Intonuit. Crepuere ſatis bella, horrida bella.
Sat tuba terribili cecinit grave rauca tumultu;
Sat rupêre leves crepitantia tympana ſomnos.
Armis arma ſatis Contraria, telaque telis.
Magnanimi cecidere duces. Lavit horrida teter
Ora ſatis faciemque cruor; Mavorſque per arva
Sat cecinit dubia ſpirantia vulnera pugna.
Nunc meliora tibi fulgent, ALCMARIA, Tempe;
Nunc alius Titan cœlum promittit & aſtra.
Noſter ovat victor Mavors; victoria noſtra eſt,
O Batavi. Spoliis Batavi gaudemus opimis.
Plaudite, Ruricolæ; pictis, delubra tabellis
Ornate, & puris manibus date Lilia Phœbo.
Bellatorque Aries, & Tauri colla minacis
Solennes iterum jam nunc mactentur ad aras.
Plaudite, Hamadryades; ſata læta boumque labores
Plaudite. Arauſiacis virtutibus enſis aduncas
In falces confletur atrox. Nunc Ægyda triſtem
Non metuit tranquilla ſeges. Nunc ſpirat odoris
Arbor amæna comis; Cereales Dædala tellus
Nunc promittit opes. Natas non auferet hoſtis
Barbarus has ſegetes. Non culta novalia ſtrictos
Horreſcent gladios; ſpumantiaque arva cruore.
Singultus edent vario ſub cardine cœli.
Solve, age, vela, vigil Palinure, per æquora latè
Nereïdum, & latis agitent ſub claſſibus undæ.
Auroræ fines ultra, Thulemque remotam,
Ignotaſque vias procul emetire ſecundis
Alitibus. Iam dudum Templa & ſacra ſilentûm
Horreſcunt tenebris. Sublimis in aëre Phœbus
Candentes propellit equos. Sunt otia Belgis,
Noſtraque Libertas tuta ſub pace triumphat.

Ec Sat

Sat ſtimulos dedit ira ſuos; Sat Iuppiter armis.
Offenſus, nobis cæleſtes expuit ignes.
Non jam lethiferâ violentus clade tyrannus.
Intonat, & noſtras circum aures ingruit horror.
Non cadit hic multa Stenolus nunc cæde per arva;
Non Batavûm hic fortes animæ ſunt præda Philippo.
Cum ferus horrendis Mavors graſſatur in armis,
Tunc contempta dolet Pietas; Tunc alma receſſit
E terris pulſata fides; Tunc aurea ſedem
Commutat Doctrina ſuam; Tunc exulat orbe
Iuſtitia, & priſcis adamatum Patribus Æquum.
Tunc pullo Aonidum ſordeſcunt tegmine Muſæ
Et Phœbi flacceſcit honos. Formidine Laurus
Concutitur, nutantque apices Parnaſſide totâ.
Tunc Phœbi deſpectus amor; Tunc Caſtalis ipſa
Siccatis fluit unda vadis; tunc mæſtus Apollo
Exuitur priſcis opibus, regniſque Latinis.
Non ſecus ac medios paſſim lacrymoſa per agros
Funera deflemus; quando Vulcanus ab antro
Sævit, & latam ſegetem crudeliter urit.
Fæcundus ſegneſcit ager. Iam ſquallet aratri
Priſcus honos, infelices dominantur avenæ.
Heu! triſtes ſine ſole dies! heu ferrea mundi
Tempora! ſanguineis quando Mars inſonat armis,
Totaque funeſtis Europa accenditur aſtris.
Nunc, Cives, gaudete, pii; nunc ilice totâ
Roſcida deſtillant mella, & viridantia prata
Diva Pales colit, & rerum mutata figura
In melius. Tuto recubans ſub tegmine fagi
Theſtylis, in læto armentum nunc gramine paſcit.
Gaudet oves mulgere ſuas ſub ſole recente;
Gaudet odoratis contexere frondibus antrum.
Adſpice, ut arboribus plenis Pomona renaſci
Gaudeat, & gravidis Cerealia munera ſulcis
Vndique luxurient. Fundit rorantia tellus
Gramina, & Autumni nobis dîs copia cornu
Spondet multijugo diſtentas nectare cellas.
Nunc volucrum dulces cantus; nunc carmina blanda

Vndi-

Undique Schermerias feriunt modulamine valles.
Luxuriat pecus, & tremulis hinnitibus aër
Perſonat. Hic ſaliens per devia rura locoſque
Balat ovis. Gaudent armenta, hircique procaces
Iungere ſolennes, tacitâ prurigine, ludos.
Nunc croceis rigui pinguntur floribus horti,
Molliaque umbriferæ protrudunt germina Sylvæ.
Sed, non hæc noſtris opibus, non arte Pelaſga
Eveniunt. Non nos mortalis dextera ſervat
In Batavis. Non Almeriam vis noſtra tuetur;
Non noſtra hic virtus quicquam, nec Martia pubes.
Illa Dei Bonitas, illa eſt clementia cœli
Unica, ut auguſtis referamus nomina faſtis.
Hac noſtris majora animis, ſolennia vota,
Audiit Omnipotens, aciemque in proſpera vertit.
Noſtra per externos canitur ſic fama Moluccas,
Et Sole haud uno contenta eſt maſcula virtus
Naſſovidum. Tibi, magne DEUS, *pro talibus actis,*
Munere pro tanto debetur gratia: ſeros
Dum cœlo Titan perfundet luce Nepotes.
Gloria in excelſis veſtra eſt, fidiſſima Divûm
Numina, quæ Harpyæ manibus, rabieque ferina
Eruitis Belgas, & tuta in ſede locaſtis
ALMERIÆ *rurſus populum Dii, Numine veſtro*
Felices agimus Batavi, veterumque triumphos
Longè ultra, ſpoliis aliis atteximus orbem
Alterum, & ingenti fama pulſamus Olympum.
Eſt rerum quæ ſumma, olim quæ mœnia victor
Clauſit Iber, firmâ & concordi pace tenemus
Libera. Sic veterum Belgas meminiſſe malorum
Iuverit, & Superis acceptos ferre triumphos.

DIXI.

Tres antecedentes Orationes habitæ Alcmariæ CIƆ IƆ CXLIX. XIII *Sept.*

ORATIO XCII.

De
CREATIONE & LAPSU HOMINIS,

Habita à

CORNELIO KNYF.
Alcmariano.

ANte laboratos cœli terræque colores,
Fundamenta maris, mundique immenſa theatra;
Ante vias, rerumque vices, & fœdera, cunctas
Solum Numen aquas, indigeſtumque barathrum
Complebat. Natura cavis volitabat in umbris.
Tum tenebræ merſere Chaos, tum Tartara cœlum,
Tellurem in pontum miſcebat; totaque diſcors
Machina in officiis, mundi nec forma; nec orbis,
Non limes, non meta fuit. Stant omnia nullis
Ordinibus. Tunc pondus iners, deformis abyſſi
Exſtabat facies. opus intricabile rerum.
Tunc, cœlum tellusque ſuo ſine numine certo,
Majeſtas latuit. Sic diſſociabile Divûm
Imperium, & nuſquam lex ulla fideſque vigebat.
Tunc, matutino ſurgens Aurora cubili,
Non rubicunda mari ſpecioſis lumina labris
Conſpicienda dabat. Roſeis invecta quadrigis
Non Phœbe flectebat equos. Non lucida fulvo
Lumina ſurgebant Ponto, nec Solis honores.
Veſper anhelantes Phœbi ſpectare recurſum
Inconſuetus erat. Nondumque agitare tenebras
Candida, nec curſum properabat Luna ſilentem.
Non lucis noctiſque vices, neque ſidera cœlo.
Oceanus piſces, & monſtra natantia nondum
Nutrierat. nondum vitulos Cymothea marinos
Viderat, & vaſtos immani corpore phocas.
Nondum Pan Faunuſque Pater, Satyrique protervi

Syl-

Sylveſtres habitare Caſas, nec ſternere cervos
Cornibus arboreis viſi, capita alta gerentes.
Orditur Pater Omnipotens fundamina rerum
Et nova mox oritur facies. Laquearia Cæli
Surgunt, & propriis formantur ſidera metis.
Luce fugat tenebras, & ſeparat æthere terram.
Continuò has leges atque immortalia certis
Fœdera compoſuit ſignis. Genialia ſurgunt
Semina. jucundos flores tunc Phyllis amabat,
Primaque ſe pulchris oſtendit gratia terris.
Vernat ager, ſurgitque alio natura paratu.
Pubeſcunt virgulta novo mox ſemine, & ingens
Area in Alcinoi Phæacum naſcitur uſus.
Hîc latos etiam fluvios tunc creſcere cernis,
Utque potens ſeptem Nilus procul oſtia pandat.
Regna profunda maris, diffuſa palatia, Nereûs
Accipit. Hîc Nymphæ paſſim luſere ſub undis,
Nereidumque manus læto ſe pandit hiatu.
Terribiles Tiberinus aquas effundit; Himella
Spumanteſque minas, atque iracunda procellas
Attollit, ſurgitque Liger cum divite turbâ
Squammoſi pecoris. Licet illic cernere coram
Nubiferas Alpes, Pindum, Pelionque remotum
Viſibus humanis; cælum & qui fulciet altum
Atlanta. Atque ipſum præcelſo in vertice ſacrum
Parnaſſum. Surgunt ingentia corpora terris.
Non mens noſtra capit tantarum pondera rerum,
Aut quicquam hîc Samii pollent documenta Magiſtri,
Porticus & veterum Sapientum, ac docta Lycea.
Continuò parent Authoris voce creata
Unius arbitriis. Nemo, qui jura fidemque
Solvat, & arcani ſe opponat Numinis auſis.
Deſiit eſſe Chaos. Iam nutu ſtatque caditque
Res humana Dei. Conformia legibus ibant
Omnia, nec quicquam turbâ ſe immiſcuit atra.
Necdum tanta ſatis. Divino ſemine juſſit
Eſſe Hominem, ſimilemque ſibi ſine lege figuram.
Sanctius in terris animal, ſic Rector in orbe

Naſcitur, ut ſupplex aris imponat honorem,
Agnoſcatque Deum. Seri ſpectate, Quirites,
Quæ nova ſit mundo facies. Stat, corpore recto,
In cœlum attollens imitantes ſidera vultus.
Non pecudum de more humilem dejectus in herbam.
Majeſtate caput generoſâ, & lumine fulget
Ambroſio, & merum nectar de naribus exit.
Totus Rex, cui trux Tygris, rabidique leones
Submiſere jubas: cui ſylvâ protinus omni
Et terris famulantur acres ad juſſa Moloſſi.
Felix progenies! ſi non fata aſpera pœnis
Sint matura ſuis, ſcelus & vindicta ſequatur.
Sunt tibi, quos cernis, pulchri Paradyſidos horti,
Sunt Cœli terræque tibi tot amœna vireta.
Fortunatorum nemorum. Sunt Theſſala Tempe
Altera, & æterno rorantes flumine ripæ.
Quâ dignam te laude feram, gratiſſima Tellus,
Arborei fœtus virides, ac ſponte renata
Gramina? fœcunda eſt inaratæ gratia terræ
Sæpius alterius ramos impunè videbas
Vertere in alterius, variatam intextaque mala
Ferre pirum. Spumat largis Vindemia labris.
Salve, magna Parens, gremio latiſſima rerum!
Læta tuo pecori, mater, pecoriſque Magiſtro.
Omnia Terrigenas rapiunt in gaudia. Nuſquam
Se divinus amor ruris jactabit egentem.
Hîc nunc, vera Dei proles, felicior exi,
Tantorum qui Rex operum, primuſque colonum.
Scilicet humanis hunc addere rebus honorem
Vult Deus, inſignique jubet ſpendeſcere cultu
Quæ fecit. Iuvat Adamum coram arva tueri:
Nec raſtro, aut ſudore gravi vim ferre laborum.
Ipſa Ceres miratur agros, & præmia ruris
In locuplete ſinu. Cernit turgeſcere campos,
Et pecus in multam paſſim ſoboleſcere prolem.
Quidquid ſperat, habet. Nec ſunt ſine pondere voti
Argumenta ſui. Facilis fortuna paratu
Sufficit, & vegeto vernant in ſanguine vires:

Nulla

Nulla interturbat macies, vel cura ſenecta.
Perpetui ſunt veris opes, & ludicra rerum
Auſpicia. In medium proſtant genialia vitæ
Gaudia, & æterni præludit Fama Sereni.
Deërat in thalamum jam tunc gratiſſima Conjux;
Ut regna & rerum in melius ſe ſceptra locarent
Connubiis, & amore Tori. Ne dulce Mariti
Nomen ADAM ignoret, tanta & commercia ſponſa.
Ergò Conjugii coëunt jam lege fideque
Terrigenum primi. Conjux cum conjuge lætis
Iungitur auſpiciis, & fit congreſſus amorum.
Felices nimium! bona ſi ſua nôrit uterque,
Et magni præcepta Patris. Spes illa fefellit
Agricolas, ſerpenſque alius ſe obtruſit ab orco.
Venit mœſta dies, & lamentabile mundi
Exilium. Capit EVA manu exitiale venenum,
Fatales epulas, Pomum. Sic concidit unà
Unius auſpicio mundi melioris origo.
Uritur infelix animis deceptus Adamus,
Et culpam velare nequit. Tunc Cerberus, Author
Creditur, & tanto virtutem in crimine ponit.
Ille dies primus Lethi, primumque malorum
Cauſa fuit, cæliquе truces denunciat iras.

DIXI.

ORATIO XCIII.

DE CHRISTO NATO,

Habita à

JACOBO LANST.
Edamenſi.

POſtquam res Hominum, nataſque exſcindere gentes
Supremo eſt viſum Patri, crudelis ubique
Luctus, ubique dolor, nec ſpes reliqua ulla ſalutis.

Ecce Deus, multum pavitantem & dira ferentem
Supplicia haud lævo reſpexit ab æthere vultu.
Solaturque afflictam animam, & mærentia mulcens
Pectora, dat gemitum, dictiſque ita fatur amicis:
Erige languentes oculos, mea ſponſa; timorem
Iamque animo ſeclude tuo. Datur ipſa tueri
Sidera, & afflictis melius confidere rebus.
Nunc Curæ, tantique metus; nunc omnis & horror
Exceſſere ſimul. Rediit poſt nubila Phœbus;
Irarumque ſatis. Calido ſub pectore bilis
Detumuit, tandemque infeſti ſidera Olympi
Vltrices poſuere minas, rurſumque ſecundis
Auſpiciis, & ſole novo Saturnia ſpondent
Sæcula. Sic fatis contraria fata rependo,
O dilecta mihi. Fœda contagia vitæ
Lethæis mergentur aquis. En rupta Redemptor
Fœdera, & humana reparavi funera, cladis.
Nulla dies pacem hanc populis, ſacrataque jura
Diſſolvet. non, ſi tellus collapſa ruinam
Ducat, & æternâ lateat caligine cœlum,
Tu ſemper dilecta mihi; dilecta per omne
Tempus eras, dilecta manes, dilecta fuiſti.
Tunc etiam, cum puniceis Matuta quadrigis
Surgeret Oceano. tunc, cum radiantia nondum
Lumina flammantem decorarent ignibus æthram.
Obdura, mæſtumque animo ſeclude timorem.
Non ſtygii manes, non formidabile monſtrum,
Tartareæque acies, non fulvâ Cerberus offâ,
Horrificos rabidis eructans faucibus angues,
Terrificent timidam mentem. Trux ventilet ignes
Tiſiphone, quatiatque faces Plutonia Conjux,
Tu ne cede malis Erebi. Tibi nulla nocebit
Vltricis dira facies. Via prima ſalutis
Ecce tibi Phariâ primum pandetur ab urbe.
Poſt cæli pelagique minas, poſt tanta tuorum
Funera; poſt caſus varios, cæcaſque Charybdes
Tendis in Elyſium. Sedes ubi fata quietas
Oſtendunt. His tum dictis affatur Adamum

Omni-

Omnipotens, & fata docet: quæ deinde ſequatur
Gloria, quæ maneant miſeram ſolatia Gentem.
Interea Alecto, flammiſque armata Chimæra
Vt cernunt placidum, compoſtâ pace, Tonantem,
Vipeream eructant animam, atque horrenda frementes
Iraſque inſidiaſque, omnes à ſede ſorores
Eliciunt tenebris Orci. Glomerantur in unum
Terribiles viſu formæ, luctuſque, pavorque,
Mortiferumque odium, & letho vicina ſenectus.
Et dolor & maleſuada fames, luxuſque, laborque,
Et Sopor, & præceps Audacia. Tum mala mentis
Gaudia, & ultrices properant ex ordine Curæ.
Alecto ſtygium cum majeſtate tribunal
Occupat, in cætu medio. turbamque ſonantem
Adſpicit, & mæſtis furiis agitata per umbras
Ter centum tonat ore Deos, Orcumque Polumque,
Et rabie fera corda tument; tandemque ſub imo
Pectore flagrantes his vocibus intonat iras:
Siccine res noſtras lævis impune ſinemus
Auſpiciis ire, ac nullo res judice tuta eſt?
Quò ceſſit furor antiquus? ſine viribus orcus,
Imbelleſque Hydræ comites? Num regna triſulci
Numinis in vanos ictus, & inertia vergunt
Frigora? quid bellis ceſſamus perdere gentem
Infandam? ignavæ mentes! nimis improba mundi
Sæcula! ſic rurſum magni procedere menſes
Incipiant, authore Deo? Concordia, Virtus,
Et pietas, & cana fides in ſceptra locentur?
O nos! ô furiæ noſtræ! an torpeſcimus annis?
Et regno ſumus indecores? præſumite bellum,
Bellum atrox, tantiſque animis opponite caſtra.
Extemplo aſſenſere omnes, concuſſaque dictis
Pectora, & erectæ ſteterunt formidine criſtæ.
Tum Furiæ, Alectoque immanes pandit hiatus,
Gorgoneis ſuccincta comis, nigroſque veneni
In vulgus ſparſit latices. Tunc ore cruento
Mugiit, atque omnes vocat in certamina Divos.
Aſſurgunt ſubitò trepidæ, totiſque fatigant

Viribus indomitum Martem. Fremit excita tellus
Sedibus, inferni que tremunt ſacraria divis.
Hîc videas mugire ſolum, atque à ſede revulſam
Tiſiphonem in mediis virus ſpumare catenis.
Non mihi ſi plenis effundat Cyrrha liquores
Gurgitibus; non, ſi latices mihi porrigat Hebron.
Funeſtas Erebi inſidias, fraudeſque doloſque,
Vimque Deûm infernam, rabiemque & triſtia bella
Expediam. Non ipſe Helicon, non Phocidos iſtis
Vnda ſatis. Tanto concurrunt agmina motu.
Haud ſecus ac grandem Sylvam concuſſerit ardor
Increpitans, miſſiſque ruat Vulcanus habenis.
Vſque adeo turbatur atrox Proſerpina. Fiunt
Omnia Naturæ contraria legibus. Et jam
Priſca fides, pietaſque virum radicibus imis
Vellitur. Hoc agitur, Ieſſæam avertere prolem
A terris, natumque Deum ſecludere cælo.
Sed jam præſcriptos complerant omnia curſus.
Exſpectata dies aderat, manifeſtaque cælum
Signa dabat, cunaſque Dei, promiſſaque mundo
Fœdera, & humanæ fas naſci gaudia vitæ.
Ipſe Pater celſo radians ſublimis Olympo
Flammiferis exultat equis. Elementa, Poluſque.
Adventum ſenſere Dei. Sic ſplendida cæli
Majeſtas cum teſte venit. Qui Tartara, & ipſum
Perrumpit Phlegetonta, & centum vincta catenis
Oſtendit Spolia ampla Patri. Qui fortibus auſis
Cocyti ſtagna alta domat, ſtygioſque furentis
Proſternit Ditis thalamos. Sic naſcitur ingens
Terrarum cælique Deus. Speſque unica mundi
In ſtabulis contempta jacet. Non vellera Serum
Excipiunt, non ſceptriferis effulta columnis
Atria, non Cöa chlamydes, non murice palla
Depoſitum cæleſte fovent. Sub ceſpite vili
Majeſtas auguſta latet. Penè exulat orbe
Orbis honos: cujus totidem Natalia votis
Cæleſtum cecinere chori. Stupet inſcius ipſe
Titan, & inſolitum miratur limen olympi.

De-

Depulſaſque videt nubes, geſtitque renaſci
Authorem Natura ſuum. Tunc cuncta voluptas
Dulcis habet, ſaliuntque hilares per rura Napaa.
Ipſi lætitiâ carmen ſuper athera montes
Attollunt, reboantque pari modulamine rupes.
Aſt Erebi Proceres Phlegetonteaque phalanges
Ut videre virum, trepidant, & frigidus horror
Membra quatit. Iam degeneres Formido Dolorque
Occupat, & ſeſe vanis conatibus urgent.
Iam deſperatis totis ſucceſſibus Orci
Res agitur. Stygii ſic languet gloria regni.
I, nunc bella cie CHRISTUM *crudelia contra;*
Æratas diſpone acies, magnumque Tonantem
In prædam partemque voca, totiſque laceſſe
Viribus. Hic, hic eſt, rabidi qui colla Colubri
Comminuit, ſolioque ſedens Genitoris eburno
Tartareas frangit vires, populumque labantem
Erigit, & patulis inhiantem faucibus Hydram
Voce fugat, miſeriſque refert ſolatia terris,
Afflictaſque levat mentes. O aurea mundi
Sæcula, quæ tantum viderunt naſcier Orbi
Induperatorem. Quo non ſapientior alter
Aere ciêre viros, ſtygiumque domare Draconem.

DIXI.

ORATIO XCIV.

De

PASSIONE CHRISTI,

Habita à

PETRO LANGERREYS.
Alcmariano.

NOn Te, CHRISTE, *pias ſedes, ſemotaque regna*
Fortunæ imperio, & nulli calcanda profano

Templa reliquiſſe eſt ſatis. infeſtaſque ſub oras
Veniſſe, ac pecudes inter, deformia rerum.
Natales hauſiſſe auras & munera vitæ.
Aſt peccata, nefas Hominum tibi tanta tulerunt
In cladem tunc damna tuam. Quo triſtia paſſus
Funera, & immanes iſto tortore dolores.
Nos torquebat atrox vultur; mens, conſcia ſurdo
verbere, terrorem penetralibus addidit imis.
Ante oculos Larvæ & manes, de faucibus Orci
Eliciunt capita alta. Triplex, de gurgite diro,
Ponè Canis ſequitur, flagris armatus & iris.
Iamque abſumpta ſalus vitæ; jam nulla ſalutis
Spes aderat miſeris, quàm deſperare ſalutem.
Prima dies, tibi quæ vitæ ſpirabile donum
Præbuerat, ſubitâ rurſum caligine merſo
Contulit exilium. Matura pericula ſurgunt
Undique, & inſerti rutilant cervicibus enſes.
Armati extemplò Reges ſimul agmine denſo
Æratas cogunt acies, ac ſceptra gerentem
Sceptra premunt, latè & circum loca milite complent.
Hîc hæres, veluti placidus ab ovilibus agnus
Inter mille lupos; inter ceu mille furentes
Cervus apros, tenerâ qui promere cornua fronte
Incipit, aut milvos inter Philomela rapaces.
Ah! nimium dilecte Deo: cui ſervit Olympus,
Cui pater armatas hyemes diffundit, & altus
Neptunus famulatur aquis; cuique Æolus ingens
Militat, & juſſæ veniunt ad verba procellæ.
Fatales rumpis cuneos; per tela, per hoſtes
Præceps ſternis iter. Tu nunc hîc omnium egenus
In ſtatore ſituque jaces, nec noſceris ulli.
Quem fatum, & dura rapit inclementia mortis
Cum fletu gemituque tibi irrevocabilis ordo
Labitur annorum, & paulatim diſcolor ætas,
Deteriorque ſubit primâ. Iam mobile vulgus
Sævit inops animis. Qualis cum taurus aſilo
Concitus, arrectâ circumvolat invia caudâ
Paſcua, collectaſque vemens è naribus auras

In-

Digitized by Google

Intonat, irarumque ſonantem fortiter aſtum
Projicit, & jactâ ad pugnam proludit arenâ:
Verſat ſæpè dolos, variaſque excogitat artes
Inſidiis ut te illaqueet? nec ſegnius urget
Te Chaos, umbroſique horrentia monſtra barathri.
Sic pariter mundum, pariterque Acheronta, Hecatemque
In facinus jurâſſe putes. Teque effera Erynnis
Circumſtat præſens, atque implacabilis horror.
Increſcit Satanæ rabies, & gaudet Apellam
Inſultare tibi, atque odiis alimenta miniſtrat.
Tandem ſumma rei fatis depoſcitur. Hora
Imminet extrema, & CHRISTUM mors deſtinat aris.
Nec mora, nec requies. Quiſquis tua vulnera ſperat
Improbus, & ſtudio flagrat niſi turpe nocendi.
Ultimaque Ætneâ prodit de ſede Megæra
Auri obſcæna Fames. Quo nunc Tu proderis Orbi,
Immanuël, totoque decus venerabile cælo
Vendit opum immoderata ſitis. Sunt ſigna favoris
Oſcula, fucatuſque probat mendacia vultus.
Diſcipulus Te, CHRISTE, tuus; conviva tuus te
Aggreditur, falsôque manus prætexit amicas.
In tenebris exanguis agis, nec lumina ſomno
Declinas, Lacrymas iter curaſque metumque
Nocte dieque tuum geſtans in corde dolorem.
Purpureas Aurora faces ubi promit Olympo,
Tum ſcelerum coière manus; tunc impete duro
Res agitur, judexque tuos examinat actus
Improbus, & jam crimen habet, qui criminis expers
Æternum fuit, & nullis ſe fraudibus unquam
Tradidit; aut vitiis amiſit nomen honeſti.
Archilochi pateris rabiem, divine Redemptor,
Et nequam ſcelerum ſociis tua proſtat imago,
Innocui & Pietas animi. Nec reſtet inauſum
Criminis infandi quicquam, lacrymabile viſu!
Conſpuit, heu! miſeram ſcelerata audacia frontem.

Idem omnes ſimul ardor habet. Tua tempora circum
Errat crebra manus, ſtridentque in vulnere mala.
Non tam nimboſus multa diverberat auſter
Grandine humum, atratu crepitat cum nubibus æther.
Necdum hoſtes panâ ſaturi, mox advolat audax
Miles, & indignis cadit tua tempora flagris,
Turpatique artus tabo. Liventia terga,
Brachiaque & multo detecta verbere coſta.
Talis in ora virum prodis. Iam ludicra tradunt
Sceptra tibi, & falſas ponunt in fronte coronas.
Nate Deo, peccavit Homo. In me verte furoris
Argumenta. Adſum, qui feci. Carceris umbra
Me capiat. mea culpa hac eſt. Tu criminis expers
Cur pateris? ſontes nos, tu inſons. Perfida vita,
Perfida mens nobis. Mihi Styx non ſufficit una
In pœnam. Plures hujus mors reſpicit. ipſum
Strangulet authorem ſcelus, & vis iſta nocendi.
Nos iſtâ vetitos decerpſimus arbore fœtus,
Nos luimus merito fidei perjuria noſtra.
Horreſco referens, Divûm tu vera papago,
Erigeris tellurem inter, cœlumque profundum,
Ætneos potans latices, & pocula plena
Fellis, & inviſa pateris praludia mortis.
Effoſſumque latus, diſſectaque pectora clavo
Gentibus oſtendis, toti ludibria mundo.
Sic tandem, luctante animâ, patientia ceſſit
Innumeris jam fracta malis, atque ultima verba,
Iam propior morti, tacitis ſingultibus effers:
Alme Pater, quid me, natum tam ſidere triſti,
Deſeris hoc tali rerum ſub cardine? Tu me
Eripe nunc Letho: Potis es lenire dolorem.
Eripe me Satanæ manibus, Cœloque locatum
In gremium nunc abde tuum. *Nec plura locutus*
Immanuel, patriis vitam exhalavit in ulnis.
Palluit adſpectu Titan, populoſque coëgit
Deſperare diem. Qualem, labente retrorſum
Sole, Thyeſtea noctem timuere Mycenæ
Omnia nigreſcunt circum; lacrymantia totum

Sidera ſe condunt cœlo, ferrugine tecta.
Sub pedibus mugit tellus, ruit arduus æther.
Et gemitum Natura cavis penetralibus addit.
Aula potens abit in partes; laquearia pendent
Semiruta, ac rimas pariter duxere columnæ,
Marmoraque ipſa ſuos augent animata dolores.
Et coram innocuo fiunt Miracula JESU.
Salve Cocyti terror; ſalve Optime JESU!
Ieſſææ de Stirpe LEO. *Qui Tartara, & ipſum*
Plutonem, Diraſque omnes ſub gurgite nigro
Viciſti. Salve, Immanuël! qui ſanguine nobis
Elyſiis lætas donaſti in ſedibus umbras.
Tu nunc Aſtra habitas, pulchroque in cardine cœli,
Extra anni Solis vias, REX *Ætheris alti es.*

DIXI.

Tres Antecedentes habitæ Alcmariæ CIↃ IↃCLI
V *April.*

ORATIO XCV.

De

Iudicio Hannibalis, quod apud Livium exſtat
Decad. IV. *lib.* V.

Habita à

PETRO SCHAGEN.
Alcmariano.

P. Scipio Africanus in Aſiam ad Antiochum Regem miſſus à P.R. legatus, in colloquium veniſſe dicitur cum Hannibale, qui eo tempore exul à Patria Regem ad bellum Italiæ inferendum incitabat. Interrogatus à Scipione Hannibal, quem fuiſſe maximum Imperatorem crederet, Alexandrum Macedonum Regem reſpondit; quod parva manu immenſas hoſtium copias fudiſ-

fudiſſet, quodque ultimas mundi oras victoriis peragraſſet, quas viſere pene ſupra ſpem humanam eſſet. Quem ſecundum poneret rogatus, Pyrrhum dixit, quod caſtris capiendo loco, exercitum ducendo, præſidia diſponendo, hominum animos ſibi adjungendo, omnes alios excelluerit. Quem ab eo tertium duceret, ſibimet ipſi eum locum aſſignavit. Cum inde riſus Scipioni eſſet obortus, ſubjeciſſetque; quidnam tu diceres, ſi me viciſſes? tum inquit Hannibal, & ante Alexandrum & ante Pyrrhum, & ante alios omnes imperatores eſſem. Ex hoc Annibalis Judicio an claritas, & magnitudo Imp. horum æſtimari debeat, in ambiguo eſt. Equidem nullum eſt tam effuſæ laudis genus, nullum adeo liberale encomium, quo principum iſtorum res geſtæ, virtuſque ex merito celebrari poſſit. Singuli præclaris virtutum ornamentis eluxerunt. Singuli illuſtrem ſui nominis memoriam faſtis præſtantiſſimis ad omnem poſteritatem propagarunt. At quis eorum in hoc gloriæ certamine palmam reportet in controverſia poſitum eſt. Quid Alexandro, ſive ad rerum geſtarum magnitudinem, ſive ad virtutum eminentiam reſpiceres, eſt majus? à prima juventute rei militaris facinora exorſus, per univerſum fere terrarum orbem, arma victricia circumtulit. Græciam ſubegit, Thraces, Pæonas, Illyrios, Triballos ſui juris fecit. Inde ducto in Orientem exercitu, parva manu, innumerabiles Darii copias fudit, Regnum Perſarum ſubvertit, Indorum Regem potentiſſimum, Porum ſuperavit, ad extremas mundi oras progreſſus, nullam parandæ magis gloriæ materiam ſibi dari conqueſtus eſt. Plures victoria regiones peragravit, quam alius oculis viſere, vel pedibus frequentare poſſet. Quis vero ſatis digne vim animi incredibilem, laboris patientiam invictam fortitudinem admirabilem celebrare poſſet? Quis in devictos clementiam, in glo-

gloriâ comparandâ cupiditatem inſatiabilem ſatis deſcribat?

Pyrrhus V. Epiratarum Rex, ad quod non gloriæ faſtigium virtutis adjumento conſcendit? quæ non literæ ejus adverſus familiares benignitatem, adverſus bene meritos munificentiam, in contemnenda ſuæ laudis ſugillatione animi altitudinem, in referenda gratia promptitudinem, in frænanda ira fortitudinem commendant? At res ejus geſtæ terrarum orbem univerſum magnitudine ſua compleverunt. Senſit virtutem ejus Demetrius Macedoniæ Rex bello ab ipſo ſuperatus, tota Macedonia ejectus. Senſerunt Romani, quibus bis acie victis, duobus conſularibus exercitibus fuſis, magnum damnum dedit.

Senſerunt Pœni, quos in Siciliam tranſmittens collata acie fudit, totaque inſula expulit. Quis ipſo peritius aciem ordinare, exercitum ducere, caſtris locum capere, ſtationes diſponere, & vigilias obire, præſidiis hoſtium impetum coercere novit. Nec Hannibal quidem ab hac gloriæ, virtutiſque contentione prohibendus eſt: qui & ingenio ad res omnes habili, & prudentia in tractandis armis ſingulari, & authoritate inter militem incredibili, & vi animi excelſa magni nomen Imperatoris commeritus eſt. Quæ non in ipſo audacia fuit, ad pericula ſubeunda? quod non in ipſo periculo conſilium? quæ in tolerandis laboribus patientia? in frigore æſtuque ſuſtinendo tolerantia? In ferendo cibi potioniſque deſiderio robur, in moderandis voluptatibus animi vis invicta. Hujus infractam virtutem Alpes cum exercitu tranſmiſſæ teſtantur. Hujus fortitudinem Trebia, Thraſymænus, Allia, Cannæ, Romana inſignes clade mirantur. Ab hoc divictos ſuos duces, profligatos exercitus, ſubactam Italiam, Punica ſigna ſuis pene illata portis, ipſa gentium domina Roma, conſpexit. Quis vero Scipionem ab hac gloriæ ſocieta-

cietate excludat? qui victoriis ſuis Europam, Aſiam Africamque peragravit, qui contuſam & fractam Punicis armis Patriam, ſua virtute erexit, ipſiuſque Carthaginis dominam fecit, qui tractum ex Italia Hannibalem, in qua jam per ſedecem annos nidulatus erat, ad Zamam memorabili prælio ſuperavit, Africamque Populo Romano vectigalem reddidit. Quid vero de virtutibus ipſius ſatis digne loquar, quæ tantæ fuerunt, ut earum admiratione hoſtes obſtupefaceret, civem in ſui obſequium pertraheret, omnes etiam mortales tanquam delapſum cœlo ſidus, ſancte auguſteque venerarentur. Quoquo oculos convertimus Auditores: inde ſplendidiſſimarum virtutum radii affulgent; ut cui in hoc genere laudis principatum tribuamus incertum ſit. Singulos itaque in Theatrum producemus, ut ex ipſorum ore res à ſe magnifice geſtas intelligatis, litemque hanc veſtro æſtimatam judicio decepteтis. Anne alius Regio ſublimis ſpiritu, Alexander Magnus prodibit, ſuamque ante oculos veſtros phalangem explicabit, hic ſubjugabit Græcos, deſtruet perſarum imperium, Medos ſibi ſubjiciet, ad Bactra & Indos penetrabit, Pardique in morem alati per orbem terrarum victor graſſabitur. Inde torvo aſpectu, flammantibus oculis, Punico ingenio, excitis barbararum gentium auxiliis, Hannibal in arenam deſcendet, & licet olim cum Scipione locutus, Alexandro M. gloriæ palmam tribuerit, nunc tamen ſerio de virtutis eminentiâ agi videns, ſe ipſum verbis extollet, & Thraſymenum locum, Trebiam, Alliam, Cannas Romano ſanguine madentes exponet. Denique verecundo oris habitu Scipio, paludatus ſuccedet, præclariſque faſcibus, & præmiſſis lictoribus, adhibendam conſuli Romano reverentiam injunget, legiones aquilaſque in Carthaginenſes inferet, ſubacta Hiſpania, capto Syphace, profligato Hannibale, devicta Africa, ſplendidiſſimum

ſimum triumphum aget. Parabat ſe ad dicendum Pyrrhus, inſtruxeratque Epirotas, ut quondam contra Lavinum Æmiliumque ſteterat, ſed territus Alexandri M. judicio, memorque regulæ, qua ad Thebas à muliere percuſſus periit, certamen detrectat, & iſtos tres de virtutis præcellentia contendere permittit. Sed jam Alexander tentorio ſuo egreditur, ſeque ad dicendum parat. Vos Aud. H. H. præſtate magno Regi ſilentium, atque his laboribus, qui in veſtram oblectationem, in juventutis utilitatem & fructum inſtituuntur, benigne favete, & nigri livoris dentem ab ipſo avertite.

DIXI.

ORATIO XCVI.

De

Hiſtoriarum utilitate & neceſſitate.

Habita à

CORNELIO PAYS.

Alcmariano.

OPtimè mihi *H. H. D. D. Audd.* de humano genere illi mereri videntur, qui præſtantium virorum res præclare geſtas literis complectuntur, virtuteſque ipſorum ſtylo deſcriptas ad poſteritatis memoriam divulgant. Cum enim virtus nullam aliam, quam gloriæ mercedem poſtulet, hoc contenti præmio viri excellentiſſimi, nullas moleſtias formidant, nullas curas rejiciunt, nulla pericula extimeſcunt. Omnem ſuam vitam in labore corporis, animique contentione conficiunt. Trahitur optimus quiſque laudis ſtudio, gloriæque ſpe-

ſperato præmio ad præſtantiſſimarum rerum functionem inflammatur. Hoc Leonidam cum trecentis militibus Xerxi, Neptuno compedes, cæloque tenebras minitanti, ad Tharmopylas obviam miſit. Hoc Codrum Athenienſium Regem, depoſitis imperii inſignibus, ſumptoque vulgari habitu, pabulantium hoſtium globo trucidandum objecit, ut Patria incolumis perſiſteret. Hoc pro dilatandis Punici imperii terminis Philenos Fratres vivos terrâ adobruit, cujus facti memoriam, ne patriæ quidem interitus extinxit. Hoc Horatium illum Coclitem irrumpentibus in urbem Hetruſcorum copiis oppoſuit, ſolum infatigabili pugna hoſtem ſuſtinentem, donec poſt tergum pons abrumperetur. Hoc Mutium ſcævolam, oblitum periculi ſui in hoſtium caſtra immiſit, & ad cædem Porſennæ Regis ſtimulavit. Hinc Curtius admotis equo calcaribus in vaſtum terræ hiatum, in quem Romanum forum deſederat, præcipitem ſe dedit. Hinc trecenti Fabii adverſus Vejentes in prælium exeuntes, glorioſam (uno incolumi) mortem oppetiverunt. Hinc Decii, Pater Filiuſque inclinata, & pœnè proſtrata Ramanâ acie, concitatis equis, in medium hoſtium agmen irruperunt, devotiſque pro Patriæ ſalute capitibus, ex vulneribus ſuis victoriam, ex interitu Reip. incolumitatem præſtiterunt. Hinc Regulus Carthaginem, ad ſæviſſimos ſubeundum cruciatus, Punicæ ſævitiæ ſe lacerandum dedit. Gloria Alexandrum ad ſuſcipiendum in Aſiam iter promovit, ad ſcandenda oppugnatarum urbium mænia, ad vulnerum mortiſque contemptum accendit. Gloria Hannibalem per invios Alpium vertices, per inaccesſa Apennini juga in Italiam protraxit. Gloria Scipionem nondum militari ætate in Hiſpaniam egit, in Africam vela dare coegit, in Aſiam, convulſis marium montiumque clauſtris, iter patefecit. Nemo equidem, aut difficiles labores ſuſci-

ci-

ciperet, aut pericula adiret, niſi hinc à poſteritate fructum exſpectaret. Nemo ſe pro Rep. in dimicationem cum ſceleratiſſimis hominibus conjiceret, nemo ad civium ſalutem latus ſuum hoſtili gladio opponeret, nemo meditando vigilandoque ingenium fatigaret, ſi cum momentaneo hujus vitæ tempore memoriam ſui dimittendam eſſe sciret. Fruſtra ſane niti, neq; aliud ſe fatigando, quam vulgi odium, fortunarum jacturam, valetudinis perturbationem, laboris moleſtiam, animi corporiſque vexationem quærere, extremæ eſt dementiæ. Atque ut præſtantiſſimus quiſque ex virtutis commemoratione optatum gloriæ præmium conſequitur; ſic alii affulgente exemplorum inſignium face, ad præſtantiſſimorum operum imitationem inflammantur. Miraris Themiſtoclem avocatum ab adoleſcentiæ illecebris ſubito ad virtutem & Remp. animum applicaſſe? Eum prædicata Miltiadis virtute, & Marathoniæ victoriæ trophæa ex luſtris popiniſque ad præſtantiſſimarum rerum functionem abduxerunt. Audis Scipionem Africanum majorum ſuorum imagines ad conſpectum poſitas, attentâ ſæpe curâ contemplatum fuiſſe? Ille recordatus res præclarè ab ipſis geſtas, ad egregia edenda facinora ſtimulos ſibi vehementes ſubjecit. Legis Julium Cæſarem ad conſpectum ſtatuæ Alexrandri Magni obſtupuiſſe, dejectiſque in terram oculis gemitum dediſſe? dolebat ſe conſtitutum in eâ ætate, quâ maximus Rex potiſſimam orbis terrarum partem in poteſtatem redigiſſet, nihil adhuc dignum magnâ laude geſſiſſet. An verò expreſſos in æra vultus, an illum lapidem tantam in ſe vim habere putas, ut inflexis hominum animis virtutis amorem imprimat? rerum geſtarum memoriâ creſcit egregiis viris flamma in pectore, neque prius ſedatur, quàm virtus eorum famam gloriamque adæquaverit. Quis recordatus ſinceram Joſephi caſtitatem,

tem, Alexandri Magni magnanimitatem, Scipionis Africani continentiam, ſe illicitis corrumpendum voluptatibus daret? Quis Curii temperantiam; Fabricii frugalitatem, Catonis Æmyliique abſtinentiam animo ſubjiciens, abjectâ rerum præſtantium curâ, gulæ, ventrique turpem operam præſtaret? Quis Epaminundæ ſtrenuitatem, Miltiadis Cimoniſque fortitudinem, Cyri, Davidis, Ezechiæ, Joſophati, Conſtantini, Theodoſii pietatem, Fabii Leliique prudentiam, Cæſariſque magnanimitatē reputans, ad tantam virtutum æmulationem non vehementiſſime impelleretur? Nec privato uſu contenta, in Remp. ſe univerſam teſtis illa temporum & unica vetuſtatis hiſtoria diffundit. Conſilia rationemque exerendi Imperii, ſummæque poteſtatis principi tradit, officia, & virtutes præſcribit, ſubverſarum civitatum cauſas aperit, alieno periculo & incommodo cautionem adhibens, ſuiſque proſpicere rationibus docet, ne in eandem perniciem quis imprudens incurrat. An ſæva nemo diu Imperia tenuit? Ecce Pharaonis, Aſtyagis, Herodis, Phalaridis, Neronis exempla hoc te docent. An ambitio, hominumque immodica contentio regna & urbes exitio dedit? hoc Cræſi, Xerxis, Pompeji, Antonii fortuna tibi demonſtrat. An ſeditio & diſcordia ſæpe res magnas in miſerabilem ruinam traxit? hoc Romanæ Reip. & Græcarum civitatum ruina abunde teſtatur. Num libido, & ſtupra erubeſcendis cladibus regna nationeſque implicarunt? hoc in Paride, in Sexto Tarquinio, Valentiniano, alieni tori violatione ſtupríque conſuetudine admonemur. Subvertit Iudæorum Remp. impia divinæ legis profanatio. Fregit Medorum, Perſarum, Babyloniorum opes luxuria; peſſundedit Græcorum res civitatum diſſenſio. Tyrum ſtolida viriumfiducia exſcidit: Carthaginem irritatæ potentiorum hoſtium vires, fœderumque violatio delevit. Corinthum legatis con-

tra

tra gentium jus illata injuria in cineres favillaſque convertit. Quem non hæc priſcarum cladium memoria, ab impietate ad Dei metum converteret? quem non à libidine ad continentiam, à diſſidiis ad concordiam, à faſtu ad modeſtiam, à juris fœderumque contemptu ad juſtitiam & æquitatem inflecteret? Cræſus pyræ impoſitus, neminem, etſi abundantiſſimis bonis cumulatus, principem inter mortales locum obtineret, ante obitum beatum eſſe clamat. Polycrates cruci affixus, felicitatem non plenis ſemper velis proſperum tenere curſum monet. Dionyſius à ſceptro ad ferulam detruſus, diſcipulis ſuis ne quid Fortunæ nimis crederent inculcavit. Syphax Numidarum, Perſes Macedonum Rex, catenis onerati, humanas opes in fortunæ conſiſtere arbitrio, nullâ in perſonâ, nullo in loco, ſtabilibus nixas radicibus docent. Hoc Nebucadneſar ad ferarum religatus convictum, Xerxes piſcatoriâ per Helleſpontum fugiens cymbulâ. Hoc vinctus à ſervis ſuis Darius, hoc ductus in Triumphum Iugurtha. Hoc Bajazethes in ferrea circumvectus cavea palam reſtatur. Quid, quod ſapientia, quod eloquentia per hiſtoriarum lectionem juvetur, augeatur, ornetur? formatur judicium cogitatione conſiliorum, & eventuum; augetur & perficitur dicendi facultas eloquentium Scriptorum imitatione. Atqui hæc eſt cauſa, H. H. Audd. quare clariſſimos vobis, IMPERATORES in Theatrum aliquando producemus.

DIXI.

ORA-

Quæ ſcelera regnant, quæ ſævit Impietas furens,
Et turpi Libido Venere dominatur potens.

Ego H. A. quando nunc de tantis Virtutibus dicere incipio, quæſo, omnes, ut facitis, Orationem meam benevolis animis auribuſque proſequimini. Tuque ô ſancta Pudicitia, quæ cœlum incolis, age, nunc de cœlo nos reſpice.

Iure meritoque Oculus noſter inter primas & principes amorum partes annumeratur. Nam ubi ſemel laſcivus amator ex iſtis ſuis feneſtris benè proſpexerit, mox illi inſanire libet, amabili ſua inſania. Quemadmodum vivo exemplo videre hic licet, in Superbi Regis ſuperbo & ſcelerato Filio, Sexto Tarquinio Qui patris ſui majeſtate, & fortuna victoriarum ſuarum ebrius, in ridiculam cum Collatino, de mutuis uxorculis, quæſtionem incidit. Vtra ſcilicet maritarum diligentiæ encomio prævaleret. Ille ſuam deprædicare, Collatinus ſuam Lucretiam. Quod cum ægrè ferret Tarquinius, cum Collatino Collatiam tetendit. Lucretiam, noctis mediæ ſilentio, inter lucubrantes & laborantes ancillas invenit, officioſè texentem telas. Quam cum operi ſuo intentam videret, mox amore illam deperire incepit. Color, nitor, veſtis, totiuſque corporis habitudo, totidem amoris irritamenta fuerunt. Nimiſque nitidè nitida, nimiſque lepidè lepida viſa illi Lucretia: Hinc prima mali labes in animo. Regia forma nimis egregia juvenem invitat ad illicita. Frons Pario marmore purior oculos incendit. Quæ illi non ad gloriam, ſed ad improbam Libidinem erant incitamento. Animuſque amore jam inardeſcens neque nocturna neque diurna quiete ſedari potuit. *Vbi erat, ibi non erat, ubi non erat, ibi erat animus*. Semper in oculis & exſpectatione Lucretia. Donec, paucis interjectis diebus, uno cum comite Collatiam ſe conferret. Neſcientibus Collegis, quò ſe abdidiſſet Sextus Tarquinius. Ille nihil

Digitized by Google

minus quàm Aulam & Caſtra cogitare. Iam in Veneris erat militiâ. Lucretia verò tam improbi conſilii ignara, ipſum benignè & blandule excepit, nec dubium, ipſâ menſâ & ſcitamentis exquiſitiſſimis, more tunc publico, ac uſu optimo. At Cynædus hic Calamiſtratus jam bene ſaburratus ad interiora adyta deducitur, ut ſomno & quieti vacaret. Ille nihil poſterius, quam hoc ipſum in animo ſecum reputare. Sed jam furens æſtuanſque rectà in cubiculum ad Lucretiam fertur, dextrâ mucronis acie armatus; cum ſiniſtrâ Mulieris pectori oppreſſo. *Lucretia*, inquit, *Sextus ſum, intento hic aſto ferro, morière ſi minimam emiſeris vocem.* Hæc totis artubus contremiſcere, & deſudaſcere ex metu. Ille, quadrupedum improbiſſimus, pius animum porrò pertentare, ac doctis dolis circumvenire. Sed cum æquè conſtantem ac immotam Lucretiam videret, ille impiger, ac voce fulminante eam aggreſſus. Conviciis, injuriis, opprobriis in illam uſus, ubi evinceret, quod vellet, haud poſſet. Ferrum ipſi in manibus, quod jugulo ejus intentabat. Quo tamen flagitio ac horrore non vultum Lucretiæ, non animum ipſius ad libidinem ac præpoſteros amores adducit. Inſuper ſceleſtus ad vim verba hæc addit: *Ubi tu,* Lucretia, Lucretia, *mihi non corpus tuum dederis, ecce, tecum in lectum tuum poſiturus ſum Servum, in complexibus tuis necatum.*

a) *O Pater urbis*
Unde nefas tantum Latiis Paſtoribus? unde
Hac tetigit, Gradive, tuos urtica nepotes?
Non galeam quaſſas? non terram cuſpide pulſas?
Non quereris Patri?

Et non pudet tanto crimine te obligare, ô Sexte Tarquini? *Dic, qua Teſyphone, quibus exagitare Colubris?* Quæ Saga, quæ Venefica ſuis venenis ad hoc ſcelus te adegit! Vt in debilem muliercu-lam

a) *Iuvenal. Sat.* II.

Iam armatâ manu deſævijs? In hoſtem Romanum te incurrere decuiſſet tali furore. Ibi tela fregiſſes, ibi ferro ac tyrannide tuâ uterêre. Inde ad aſtra, ad ipſos Superos via tibi patuiſſet. At nunc apud ſeram poſteritatem vives, atque ita vives, ut facti & facinoris tui memoria, cum ſummâ turpitudine, in omnium gentium recordatione, tanquam firmis radicibus defixa, ſemper inhæreſcat. ſcilicet, *magnum & memorabile nomen*

a) *Una dolo divum ſi fœmina victa duorum.*

Si vero non percuſſor Pater tuus, ob tam immane ſcelus, meritas de te pœnas ſumpſerit, mi Sexte: *Semper tamen in magiſtrum ſcelera redient ſua.* Nec tibi tanti facinoris Authori, unquam ad Acherontem via negabitur:

b) *Ubi ingens janitor antro*
Æternum latrans exangues terreat umbras.

Sed non inulta aut ſine teſte ſui pudoris, omnis ævi exemplum, exſpiravit Lucretia. Mox miſſæ Ardeam literæ ad ſenatum, Romam ad Collatinum, ad Patrem & Amicos. Atrox incidiſſe crimen, maturato itinere ac facto opus eſſe. Hi ſine morâ adſunt. Lucretia in cubiculo ſuo mæſta atque exanimis reperitur. Tota lacrymis oppleta, non uſitati doloris ſpectaculum. Collatinus non ſui potens, *Satin' ſalva es mea Lucretia*, inquit, *Viri alieni veſtigia in lecto tuo*, reſpondit. rapta pudoris præmia Sextus Tarquinius habet. Væ miſeræ! quid amiſſâ pudicitiâ mihi ſalvum eſſe poteſt? Corpus quidem ſolum eſt violatum, & vis, fateor illa externa fuit, quam tuli. Manet tamen infamiæ quædam labes: quam ubi putes mortuam, demum illa acrius reſurgit ac reviviſcit. Mentem habeo illæſam, quod unum mihi eſt ſolatium, & te, Pudor, teſte abſolvor. Si ferro cogi, ſi à tyranno vinci ſit nefas, Fama nocentem

a) *Virgil.* b) *Virgil. lib.* VI.

tem me dicat, ac Latium peccaſſe putet. Vos, Amici, à culpâ mea vindicate. Inſons Ego ſum, & pœnam nullam promerui, pudicitiâ contaminatâ. Tu, Pater Brute, Tu marite Collatine, facite, non ſine veſtrâ ultione, hic talis Tyrannus vitam ſuam exhalaſſe videatur. Æterna ſit Ira, & pix atra, quæ apud Acherontem hunc agitet; omneſque Dii Deæque ſceleratum hoc facinus ſuâ Nemeſi crudeliſſimè expendant. Mox, cum verbo, infelix Iphigeneia cultrum, quem tacitè ſecum habebat, in pectus intimum defigit.

a) *Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.*

Mox per Collatiam, & ipſam Urbem Romam, res tam tragica ſe diſperſit. Univerſum Latium luctu redundabat. Cuncti miſerabilem Lucretiæ fortunam deplorabant. Patris & mariti animus ad indignationem & iram converſus.

DIXI.

CIƆ IƆCLV. *Examine Autumnali.*

ORATIO XCVIII.

In

ALCMARIAM LITERATAM

Habita in

Publico Gymnaſio à

ROMANO DE HOOGHE, Amſtelod.

CIƆ. IƆ CLVI. III. *Id. Aprilis.*

ETſi Ego, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi DD.* AUDITORES, ab Amſtelâ Patre, à magnâ illâ Batavorum Metropoli, gentem & nomen deduco: Quæ Urbs Orbem univerſum famæ cele-

celebritate implevit; tamen in inclytâ ALCMARIA, tanquam in parvâ tabellâ, omnes elegantias atque amænitates reperio. In quâ Urbe quid prius, quid poſterius dicere aggrediar, totus, profectò, id facere, hallucinor. Et, quamquam in anguſto, ut dico, terræ punctulo hic poſitus conſiſtam, eſt tamen, quod oculos meos, per infinitos bonorum acervos, undiquaque feliciſſimè hîc emittam. Domi, foris; publicè, privatim omnia hîc opulenta, excelſa, magnifica. Cujus rei dignitatem ac ſplendorem ſi Ego hoc tempore deſcribendam temerè in me ſuſcepero, vereor, poſt Icarum, liqueſcente pennarum remigio, novum iterum in fabulis nomen confinxero. Tamen ego, pro meo in illuſtrem Alcmariam affectu, ampliſſimum hunc dicendi campum bonis Auſpiciis ingredior. Date mihi veniam, *Nobiliſſimi, Ampliſſimi DD.* AUDITORES, ſi infra Veſtræ Dignitatis decora, modò vacillante mihi valetudine, quid timidè pueriliterque hoc loco nunc dixerim. Civem me Alcmarianum animo & opere profiteor. Qui illum locum, ubi ſtudia mea ad hoc ſui incrementum feliciter ſurrexerunt, pro meliore meâ Patriâ, & ipſâ Matre natali agnoſco. Tu, BATAVE APOLLO, fave meis conatibus, ut ex hoc pulpito nobilem & illuſtrem Alcmariam, pro ſuo merito, deſcribere nunc poſſim.

Da facilem curſum, atque audacibus annue captis,
Aonidum pia turba chori. Sacer Ordo Senatus
Almerii. Veſtris quando Virtutibus audit
Urbs melior, Batavûmque inter pulcherrima Muſas.

Qui alio ſub Cœlo peregrinantur, multarum Gentium mores atque conſuetudines animo & memoriâ ſuâ complecti ſolent. Urbium ſplendorem & ædificia mirari; Templa, Baſilicas, Academias, loca publica cum quadam voluptate intueri.

Quæ

Quæ magna eſt utilitas & delectatio illorum, qui cum optimo itineris ſui fructu, domum ſuam revertuntur. Quò inprimis animus ille noſter adſpirat, quando evolare aliquando è ſinu parentum ac Palladis noſtræ gremio licebit. Ut cognoſcere etiam illa contingat, quæ ab oculis remota ſunt, & aliorum ore atque ingeniis, penè ſupra fidem multorum, commemorantur. Ego, H.A. quamquam plurima aliunde intellexerim, nonnulla legerim, quædam ipſe viderim, tamen in illam ſententiam deſcendere vix poſſum, qui pulcherrimam Bataviam, & in illâ Inclytam hanc Alcmariam infra aliquam cæterarum Gentium & Civitatum gloriam atque laudem facilè annumerem. Quæ quaſi perfectione ſui conſummata mihi videtur, & hoc ipſum inter bona ſua habere, quod non nimiâ ſui potentiâ & formidine aliquam in ſe invidiam apud finitimos ſibi concitârit. Cum aliæ ſæpenumerò Civitates tantâ luxuriâ rerumque apparatu abundent, ut non ſui modum, aut ſecuram adminiſtrationem capiant; Vix contra injuriam ac improbitatem toto foro & Legibus benè defenſæ. Ubi propter aſſiduas operas, propter pericula diurna ac nocturna, nunquam quies aliqua aut ſumnus conceditur. Ut verè cum Poëta noſtro dixerim:

Vivendum eſt illic, ubi nulla incendia, nulli
Nocte metus.
——— *Omnia Romæ*
Cum pretio.
a) *Hic quanti tenebras unum conducis in annum?*
——*Ferit hic cubito, ferit aſſere duro*
Alter. At hic lignum capiti incutit ille metretam.
———*Poſſiſque ignavus haberi,*
Et ſubiti caſus improvidus, ad cœnam ſi
Inteſtatus eas.
Quis timet, aut timuit gelidâ Præneſte ruinam,
Simplicibus Gabiis, aut proni Tiburis arce?

a) *Iuvenal. Sat.* III.

Glo-

Digitized by Google

Glorientur inventâ ſuâ oleâ Athenæ. Jactitent ſuos Obeliſcos & Pyramides Ægyptii. Suum Palladium & Capitolium Romuli nepotes: quorum facta & pacis, & bellorum tempore, cœlo æquantur. Ego omnes illos apparatus, & infinitam tot rerum magnitudinem longè infra noſtræ Civitatis modeſtiam atque terminos colloco. Novi, quàm multa ſint, nota terris & cœlo miracula, quæ Patriam meam Civitatem ad Amſtelæ ripas ſitam feliciſſimè deprædicent. Quàm, ſupra Hominum cogitationem, illic Orientis & Occidentis ſint horrea. Hinc Arabum gazis, Inde Attalicis opibus referta, Omni, inquam, terræ ac littoribus, ſuis remis ac velis incumbunt Batavi.

a) *Nos urbem colimus tenui tibicine fultam.*

Quæ, ut parvum navigium, quod modico regitur gubernaculo, tutius feliciuſque in portum venit. Ubi non metuendum eſt de periculo & præcipitio ſuis civibus. Ubi publicè & privatim omnia intra ſuum tenorem & modeſtiam conſiſtunt. Vos, in proximo Civitates, Veſtro Marte & Mercurio eſtis celebres; nos noſtris Artibus & Minervâ nulli cedimus. Vos alterum Orbem puppibus & carinis frequentatis; nos in vivo Ceſpite, procul Fori tumultu, ſecuros ſomnos ducimus. Habet, inquam, aliquid præclari, præ cæteris, illuſtris Alcmaria: quo apud finitimos omnes meritò gloriari poſſit. Omnibus neceſſariis rebus haud indigens. Cuncta in eâ nitida, expolita, decentia: plena venuſtatis, plena magnificentiæ. b) *Civium domus non ad ſpeciem magis, quam ad uſum accommodatæ, neque immani aut inani laxitate vaſtæ; neque immodicâ parvitate anguſtiiſque exiles: plus in receſſu habentes, quàm fronte promittunt.* Sed, publica Ego, quàm privata Oculis veſtris H. A. ſubjicere nunc velim. TEMPLA & Delubra ſunt adeunda: quorum faſtigia ipſi Olympo minantur.

a) *Iuvenal. Sat.* III. b) *Ed. Neuhuſius in The. Ing.*

Pulchritudine & artificio ſuo egregiè perpolita, ut exactius illa contemplanti magnam meritò admirationem relinquant. Ubi, SOLI DEO GLORIAM, in auguſtiſſimo monumento Muſico conſecramus. Et omni loco & areâ divinâ hoc adſpicimus, quod ſanctitatem, quod Modeſtiam, quod Relligionem deceat. CURIA quoque Auguſtiſſimo Senatus habendi loco nihil pulchrius, nihil excellentius haberi poteſt. Quæ inclyta Themidos domus non minus juſtitia ac Juris æquitate, quàm operis venuſtate ſe commendat. Quippe, pari ſemper in honore & gloria exiſtere debent, & Jovis Optimi Maximi Templum, & Senatoriæ Majeſtatis Tribunal. In horum vicinia Erudita PALLADIS eſt DOMUS, quæ ad Rempublicam Civem benè moratum, & humanioribus diſciplinis imbutum, feliciter tranſmittit. Hinc ſi mecum in proxima paſcua, & amæna vireta fortunatorum nemorum, libeat deſcendere, Dii boni! quàm ſe aperit lætus Veſtæ noſtræ ſinus. Hæc divite cornu hornam nobis meſſem depromit. nunquam fertilitate ſua effæta; aut in colonum ſuum irata. Toties

a) Proſciſſo quod ſuſcitet æquore terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpat aratro.
Neque illam
Flava Ceres alto nequicquam ſpectat Olympo.

Hic videas arva frumentis plena, agros læto gramine veſtitos; areas, pulvillos nova ſemper ſegete & leguminibus vernantes. Præcellant aliæ urbes luculentiſſimis divitiis, congeſtiſque immanibus nummorum acervis; ponant in latepatente imperio ſuum decus, honorem, gloriam. Alcmaria, præter viridantia paſcua, feraceſque agros, præter Urbis ſuæ ſplendorem, Excellentium VIRORUM virtute, ſive lucem illis dederit, ſive adhuc illos alat, jure meritoque aliis Civitatibus famam

a) *Virgil. 1. Georg.*

ſamam & palmam præripuit. Neminem enim noſtrum latet H.A. quod olim Clariſſimos Homines terra hæc dederit, quorum nomina faſti & Annales citant. Et nos,& Poſteri quoque noſtri in ſummo ſemper amore & exiſtimatione habebimus. Utinam præclaras illorum imagines mihi in Theatrum nunc revocare liceret & copioſius de Hiſce, hoc loco, verba facere. Sed, Pudor & præſentia Illuſtrium in hac Republica Procerum, qui ab illa, fortaſſe, ſtirpe oriundi, propoſitum meum ſufflaminant. nec ſe coram illi patiuntur in oculos & adſpectum produci

a) *Curios jam dimidios, naſumque minorem*
Corvini, & Galbam auriculis naſoque carentem.
Aut tabulâ jactare capaci
Fumoſos Equitum, cum Dictatore, Magiſtros

Satis nobis eſt, ſi in pulchra hac Civium corona tacitè contemplari liceat Viros & Pietate & ingenio eminentes. In omni doctrinarum genere eruditos; tam domi, quàm foris famâ & gloriâ excellentes. Habet noſtra nunc Curia, quod nobis & Muſis noſtris gratulemur, CONSULES & SENATORES Nobiliſſimos, Prudentiſſimos. Quorum conſiliis Rempublicam ſartam tectamque retinere licet. Habet Eccleſia animarum noſtrarum *Nutritios* fideliſſimos, quorum ſolertia & vigili labore vapulet Impietas, coërcentur Vitia. Plurimos in TOGA hic video Equeſtri dignitate, & Pileo, libertatis illo inſigni, illuſtres. Sunt, qui in abditos Naturæ receſſus ac penetralia altiſſime irrepentes, de ſanandis ægrorum corporibus ſalubria conſilia ſuſcipiunt, Medici prudentiſſimi. Adeò, ut nihil prorſus deſit auguſtiſſimæ noſtræ urbi, quod ejus famam atque gloriam obſcurare poſſit. Veriſſimumque ſit maximi Hiſtoriographi de ALCMARIA judicium: a) *Quod huic Civitati divinitus ac peculiare hoc datum videatur,*

nu

a) *Iuvenal. Sat.* VIII. b) *P. Vinſemus*

ut cum ſola vinci regiis armis non potuerit, clariſſima ingenia ex illâ liberâ & intactâ ſervitio Civitate ederet, qua terra, in quâ aerem hauſerant, ob'ita, ex cœleſtium ac natura rerum indagatione, non ſine miraculo præſentis ævi, inclareſcerent.

Tanta quoque hujus Urbis à vicino POMOERIO eſt amænitas, tanta ex adjacentibus agris utilitas, ab annona fæcunditas, ut prorſus admirari non deceat, quod optima hic ingenia ſint nata, quorum labore & induſtria ipſæ artes humaniores etiamnum benè audiunt in univerſo Literatorum regno & Republica. De quo nuper ſæculi noſtri magnus ille Coryphæus:

b)*Pulchra Alcmaria, ter beata, felix*
Ter Alcmaria, quò novem Sorores,
Pindi culmina contulêre, & undam,
Quâ doctos creat irrigatque Vates.

In qua Urbe non fori ſtrepitus, aut tumultus auditur, non tubarum clangor, & claſſicorum murmur, ſed lætæ Satyrum voces, & carmina docta Pieridum. Vbi proximè in tacitam Deæ Egeriæ vallem deſcenditur, ac ſapientiæ contemplationi animos noſtros jugiter intendimus. Prorſuſque ab omni vitiorum contagio remoti, ſoli noſtro Apollini litamus. Nam illa maxima ſanctioribus Muſis eſt voluptas, quando in ſolitudinem & ſylvas ire ipſis liceat, ut ab omnibus humanis rebus & actionibus remotæ, divinis tantum contemplationibus incumbant. At non eadem ſemper fati Clementia & felicitas Alcmariam noſtram excepit. Hæc à crudeliſſimo quondam Hiſpano arctiſſima obſidione cincta, extremum ſuæ fortunæ periculum fecit. Cum nulla penè effugii ſpes, nulla Vxoribus & liberis defendendis ſalus relicta. In hoc unum barbarus miles ſumma cura & opera erat intentus, ut crebris dimicationibus præſidio imminuto, tandem in victos cives miſerabili clade ac tyrannide ſæviret.

a) *D. Heinſius.*

ret. Sed non ex voto res hoſti ſucceſſit. Deus Opt Max. hujus Vrbis calamitatem miſeratus, illam è faucibus infeſtiſſimi Regis eripuit. Quod divinæ potentiæ apud poſteros noſtros memorabile eſt exemplum. In hoc Martis pulvere ac periculo quomodo noſtra ſe geſſerit Alcmaria, nemo tam hoſpes ac peregrinus in vita humana, qui illa non toties audiverit, legerit, intellexerit. Pueri innuptæque puellæ arma capere. Sexus ille imbellis ac imbecillis virilem fortitudinem induere. Domi privata negotia feriebantur. In vallo & aggeribus jam Matres f. non manu penſa trahebant, calathis Minervæ aſſuetæ; ſed Vulcania hic arma maſculè expediebant. Dicente id ſuis numeris, Poëta Batavo:

a) *Heſperios ſrevit bellis infracta furores,*
Batacaque affuſis caſtra fugavit aquis.
Pugnavêre Viri. Sed & hic, ſpectaſtis Iberi,
Fœmina pugnanti porrigit arma viro.

Et in rem facit, quod pridem in publico *Neoburgiorum* epithalamio Præceptor meus cecinit:

Extra anni ſoliſque vias ALCMARI *dudum*
Iverat, Heſperiâ poſt tergum Calpe relictâ,
Et Muſis & Marte potens. Non unius orbis
Anguſti Spatio quæ famam inſcripſit Olympo,
Victriceſque manus. Sed adhuc in ſanguine Lauros
Oſtendit, Tarteſſe, tibi, ſeſeque tuetur
Intrepidam Albanos contra. Vetus area laudum
Heroum, & Batavâ pro Libertate cadentum.

Tota Vrbs uno furore correpta, pro Patriâ, pro Aris & focis fortiter pugnabat. Præ oculis erat injuria barbararum Gentium; in vicinas civitates læſa & fracta fides, in ſuos perfidia, crudelitas, ignominia. Adverſus tantam vitiorum turbam ALCMARIA noſtra in aciem deſcendit. Non paſſa libertatem ſuam delibari ab exteris nationibus; non pollui ſacram Relligionem ab impiis Idololatris. Omnia momenta erant acquirendæ ſalutis ſuæ ac ſecuritatis. Quæ eripi ſibi de manibus quæ unquam Chri-

a) *Barlæus.*

ſtiani nominis anima inulta pateretur? Ergò, in ſubſidium ex alto venit DEUS, qui hoſtem immaniſſimum à noſtris hiſce mœnibus propulſavit. Qui templa & religionem violari noluit; qui de tantis calamitatibus nos vivos atque incolumes eripuit. Deus, inquam, Deus, rebus jam penè deſperatis, manum ſuam nobis de cœlo oſtendit. Inde ad prima ſigna Hiſpanus fugere, vaſa colligere; nos novo imperio ac ſecuritate lætari. Omnia recepta tunc erant noſtris Majoribus, quando in tuto Relligio; quando illæſa ac defenſa Libertas. Super hoc ſacro fundamine, *Nobiliſſimi Ampliſſimi DD. Audd.* hodierna conſtituta eſt Reſpublica. Ab illo, inquam, tempore opes noſtræ & potentia creſcere inceperunt. Et nunc, ipſo hoc in loco, quod ſacerrimæ noſtræ Muſæ triumphent, ab iſto ductu & Auguriis. Quod ipſum mutus iſte paries jam, ante decennium, ad oculum nobis pulchrè deſcripſit.

a) *Hic una fulges victrix* ALCMARIA *Lauro;*
Sed facit in Lauros non ſatis una tuas.
Non minus Armata quam Pallade clara Togata
Fortiter Hiſpanos, Barbariemque domas.
Talibus auſpiciis, duplici ſub tegmine Lauri,
Tolle tuum victrix celſa ſub aſtra caput.

Faxitque Opt. Max. in cœlo Deus, ut Inclyta hæc, quam incolimus, ALCMARIA diu vetere ſuâ Fortitudine ſtet incolumis. LIBERTATEM, RELLIGIONEM juxta animam ſuam defendat. Noſtram PALLADA, unum illud de cœlo delapſum Ancile, porrò ſacram & incontaminatam Conſervet. Et Vos, *Viri*, ILLUSTRES, *Viri Ampliſſimi*, *Viri Prudentiſſimi* ſemper in Toga & Armis tales eſſe poſſitis quales olim. MAIORES veſtri, ſub Victricibus AURIACÆ Fortunæ & Fortitudinis Auſpiciis divinitus VICTORES exſtiterunt!

DIXI.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM

Quæ in hoc libro continentur.

A.

ACademia & Gymnaſia fundanda, Pag: 12
Adhortatio ad Sapientiam. 39 Ad literarum conſervationem. 48 Ad virtutem. 56 Ad licitam gloriam. 179 Ad excercendam Eloquentiam. 311
Adami Foreſti obitus. 62
Adulterii pœna. 600
Alexandro ingenita majeſtas. 36
Allocutio ad promovendos in Acad. 497
Alcmaria literas promovet. 11. 41. 274. Obſeſſa & liberata. 81. Alcmariana Amazones. 86 Gymnaſii commendatio. 142. Liberata. 646. Obſeſſa. 648. Encomium Alcmariæ 637. Poëticè. Alcmaria Literata. 678
Amor in pietatem. 477
Amneſtia Belli Britannici. 580
Animus excercendus. 52
Animæ immortalitas. 451. Ejus præclara officia. 453
Annona à Principe curanda. 122
Angli Belgis amici. 504
Auriacorum laudes 3. Victoria. 6. & 9
Avaritia. 399. 404. Avaritiæ hoſtes. 405
Aſyla veterum. 629

B.

BElgarum limites producti à Naſſoviis. 4
Belgæ olim deſpecti. 99
Bella & Belgarum exilia. 100
Belli deteſtatio. 102
Bellum civile fugiendum. 108
Bellum cum Britannis atrox. 505
Bellica virtus hodie magni fit. 491. Ejus initia. 566
Perfidia. 570. Remedia. 574

Gg Cato-

C.

CAtonis conſtantia. 31
Caracalla, aliique literas odio proſequuti 44
Cauſa ruinæ publicæ. 54
Cauſa belli Belgici. 101
Cedant arma togæ. 17
Clementiæ exempla. 34
Clementia. 258
Conſtantia in malis corporis. 255
Converſatio. 485
Corporis humani miſeria. 418
Corpus non denudandum præſente muliere. 580
Crudelitas Hiſpanorum. 84. 342. 352. 354. 502
Chriſti natalia deſpecta. 420
Civis Ingenuus ſordidas artes ne exerceto. 621

D.

DEus defenſor Piorum. 92
Deus Pios non deſerit. 347
Depoſitiones Academicæ. 388
Diſciplina in contemptum venit. 14. Ejus corruptio. 381
Diſcendi cupiditas. 387. Diſcipulorum officium. 157.
Diſcipulorum imaginaria ſcientia vapulat. 304
Diligentia & virtus excercenda. 72
Diligentia antiquorum. 75
Difficultas literaria. 162
Divitiarum majeſtas. 243. Commendantur. 405
Docendi aptitudo requiritur. 149
Doctrina laudatur. 225. Contemnitur. 398

E.

EBrietatis mala. 409
Ebrioſorum infamia & pœna. 411
Eccleſiæ doctoribus debetur reverentia. 321
Eccleſiæ perſequutio. 338
Educatio liberorum. 143. 152. 483.

Eloquen-

Digitized by Google

Eloquentiæ majeſtas. 58. *Ejus deſcriptio.* 301. *Difficultas.* 305. *Præſtantia.* 307. *Vis.* 308. 319. *Vtilitas.* 309. *Iucunditas.* 310
Eruditionis commoda. 394. *Ejus laudes ab Exemplis.* 395. *Difficultas.* 471. *Beneficia.* 473
Excuſatio à lectionibus publicis. 13
Exercitus magni. 391

F.

Fortunæ adverſæ contemptus. 256
Fortuna Belgarum varia & admirabilis. 562
Frederici Principis ingenium. 2. *Ejus Oratio Poëtice.* 528

G.

Gloria hominem ineſcare debet. 171
Gloria inanis ac Phaëtontea. 177
Grammaticæ inventor. 275
Gratiarum actio pro fideli inſtitutione. 497
Guilhelmi Auriaci natales, conjugia, facta. 517
Guilhelmi Principis II. Oratio. 534
Gymnoſophiſtarum inſtitutio. 382

H.

Hiſpaniarum Regi habenda fides. 119
Hiſtoriæ utilitas & neceſſitas. 289
Homo fabrica Dei. 168. *Ejus miſeria* 415 *Ejus in Deum & divina curioſitas* 344

I.

Ieſuitarum inſtitutio 380
Ignaviæ pœna. 160
Induſtria magnorum Principum. 30
Indoles cognoſcenda. 151
Indulgentia parentum. 73. 374
Injuriarum contemptus. 257
Induciæ ſervandæ. 606
Inſtitutionis fundamentum in virtute. 148

Intemperantia exempla. 356
Juriſprudentia commendata. 219
Ius civitatis cum peregrinis communicandum. 634

L.

L*Aus Belli Belgici.* 106
Laus Priſci ævi. 54
Liberalitas. 259
Lingua vitia. 460. *Quod ſit inſtar cuſpidis.* 464. *Cum viperis comparata.* 464. *Quod Aſiam & Europam turbet.* 464. *Lingua bona laus.* 467. *Utilitas.* 468
Literarum amænitas. 168. *præſtantia ejus.* 393
Logica diſſertatio. 279

M.

M*Anu-miſſio diſcipuli.* 297
Manu miſſio Romanorum. 389
Mauritii Princ. Oratio poëtica. 522
Miles bonus laudatur. 115. *Quod ſibi ab otio cavere debeant.* 117. *Militare ſtudium.* 335
Midas tonſor Regis auriculas prodit. 465
Modeſtia. 259
Mors liberorum contempta. 257. *Propria ejus contemptus.* 256. *Ejus cogitatio apud antiquos.* 136. 69. 131. 445.
Ejus neceſſitas. 448
Moriendi varia ratio. 626
Mœnia ſacro ſancta.

N.

N*Egligentia, peſtis ſumma.* 74
Numa Pompilii oratio. 551

O.

O*Dium Hiſpanorum in Belgas.* 104
Omnia intereunt. 134. 436. 441
Operum magnorum interitus. 392
Orator in Eccleſiâ requiritur. 320
Otium fugiendum. 159

Pacis

P.

PAcis commendatio ex exemplis. 18
Pacis Belgicæ gratulatio. 110
Pacis commoda, 123
Patri jus vitæ & necis. 593
Paupertas olim honoris. 406. Ejus mala. 361
Pax publica Belgarum poëtice. 26
Pax Bello præponenda. 112
Pax cum Hiſpano periculoſa. 350
Pax Anglicana. 498. Eadem utilis. 510
Pecuniæ laus. 360. Ejus mala. 404
Peccati humani magnitudo. 416
Pœna in garrulos & dicaces. 463
Philoſophiæ divinæ actiones. 32
Philoſophia & Eloquentia conjungendæ. 50
Philoſophiæ laudes. 57. Ejus bona. 489
Pietas & Prudentia fundamentum Reipub. 15. Ejus laus. 193. 261. Quod in Scholis doceri debeat. 480
Potentia à virtute non eſt ſejungenda. 35
Poëſeos laus. 295
Precationes. 40. 97. 166. 179. 209. 425. 456. 543. 591. Ejus vis. 428. Quod eâ & labore opus ſit. 492
Princeps ad cuſtodiam corp. jungat Satellites. 628
Præceptoris boni laus. 126. Quod, Naturæ dotes habere debeat. 192. Ejus officium. 145. Præceptores mali. 147. Bonorum præmia 379. merita. 481
Principum virorum conſtantia in adverſis. 34
Princeps dubiis Bellorum exemptus ſit. 116
Priſci ſapientes, Fortunæ bonis prætulere ſapientiam. 43
Providentia Dei. 539
Princeps imperii inſignia habeat. 614

R.

REgnorum occaſus. 439
Remedia adverſum nova Bella. 120
Rerum creatarum præſtantia. 434
Rerum humanarum inſtabilitas. 587

Reſpub. mala & de vitiis in illa. 191. *Eadem bona.* 203
Rhetorica diſſertatio. 283
Romani imperii limites. 324. *Romana militia.* 325. *Iſtius initia.* 326. *Romani Imp. Robur.* 327. *Largitiones & ludi.* 329. *Privata opes.* 330. *Luxus.* 331
Roma urbis ſitus. 332
Romuli Oratio. 544
Regni ſocietas infida. 616

S.

S*Apientia laus.* 27. 37
Sapientis animus intrepidus. 33
Schola officina Sapientia. 44. *Earum & juventutis inſtitutio laudata pluribus Exemplis.* 45. *Iſtius inſtitutionis utilitas.* 385. 476. *Scholarum contemptus.* 376, *Illa à Regibus & Princ. honorata.* 377. *Eadem cum publ. malo everſa.* 378
Saculi vitia. 431
Senatorum apud Romanos dignitas. 334
Solatium adverſus mortalia. 455
Superbia. 458
Superbi, invidi, ambitioſi. 400
Superſtitio Ethnicorum. 430
Strages multorum per paucos. 94
Studendi ratio. 56. *Studiorum pracipitantia.* 384

T.

T*Emperantia.* 258
Theologia laus. 214
Triumphi Veterum, vario ritu. 82. 500

V.

V*Ectigalia ſolvenda.* 121
Vectigalia & ararium Romanorum. 328
Virtus origine cœleſtis. 363. *In honeſto & pulchro occupata.* 364. *Illa multos ad ſumma evexit.* 866. *Eadem laudatur teſtibus pluribus.* 371. 253

Virtus

Digitized by Google

Virtus Romana 181. 334
Vitia veterum. 189
Vitia hominum plurima. 457
Vita hominum diverſa. 313
Vita humana ſcena. 67
Vitæ interitus. 443
Voluptas à Sardanapalo laudatur. 357
Voluptas origine infernalis. 363
Vini potus fœminis interdictus. 612

FINIS.

Digitized by Google

Errata evidentiora.

PAg.3.pro liquiſſ. *liquidiſſimo.* p.8.pro innexe, *innixe.* p.27.l.8. lege *nequam.* p.30.l.1.lege *inferiores.* p.31.l.32.lege *partibus.* p.34.l.2. lege *præditus Scævola.* p.36. l.35. lege *Spetioſa.* p.49. l.33. lege ex *animo.* p.51.l.1. lege *deridiculo.* ib.p.l.14.lege *diurnas.* p.75. l.8. lege *unde.* p.76. l.21. lege *illo vidente.* p.80.l.13. lege *rejeciſtis.* p.83.lege *Tartaream ingluviem.* p.87.l.6. lege *Liberis.* p.99, l.19. lege *puſilla.* p.102. l.32. lege *arva.* p.105.l.24. lege *illi nos.* p.108.l.14. lege *exercitu.* p.112.l.8. lege *catenis.* p.124.l.6. lege *confeciſtis.* p.127.l.1. lege *Ætnæo.* p.134.l.17.lege *crudelitas.* p.179.l.10. lege *alimenta.* ibid.p.l.29.lege *acquiſivimus.* p.183. lege *γιϱάτκω.* p.186. inferius, ſenſus ſine ſenſu eſt. p.187.l.18.lege *Salii* p.188,l.36. lege *funambulus.* p.189. lege *pumice lævi. Mariſcæ. Vrtica. Corybanta.* p.190.l.10. lege *palati. Vmbroſo vere.* p.200.l.28. lege *fritillo. natantes.* p.204 l.25. lege *complexa.* p.212.l.3.lege *rubricas.* ib.l.16.lege *Podalirios.* p.218. l.13. lege *medias Syrtes.* p.220.l.14. lege *Muſis.* p.221.l.12. lege *effringere conor.* p.222. l.7. lege *curuli.* p.235.l.18. lege *conſummatæque.* p.295.l.34.lege *exulare.* p.316.l.21.lege *lucida.* p.317. l.29.lege *hyberna.* p.331.l.34.lege *Vitellio.* p.357 l.9 lege *larvâ.* p.363.l.25. lege *Virtus non.* p.383.l.26. *jacietis.* p.394.l.10.lege *doctrinarum.* p.454.l.27. lege *cæcuba.* p.453.l. penult. lege *num eſuriens.* p.527.l.27. lege *Lacheſis.* p.532.l.15. lege *Morinûm.* p.540.l.20. lege jucundiſſima. p.551.l.ult.lege *Cui.* p.549.l.2. lege *mimica.* p.554. l.17. lege *animorum.* p.555.l.18, lege *Ancilia.* p.579.l.23.lege *Caſſidis.* p.640.l.16.lege *liceat.* p.641.l.1.lege *exis.* p.643.l.33. lege *Medus.* p.644.l.35. lege *acri.* l.30. lege *medioſque.* p.645.l.26.lege *damus.* p.647.l.18.lege *faſtis.* l.35.lege *Sylvæ.* p.657.l.16.lege *ore.* p.664.l.19.lege *faſtis.* p.666.l.19.lege *diſceptetis.* Ibid. l.23. lege *Bactra.* p.669.l.31.lege *redegiſſet.*

Cætera legere per Typi feſtinationem non licuit. Benignus Lector ſponte hæc videbit, & emendabit.

Digitized by Google

Digitized by Google

12

Digitized by Google